JC.J'4P.23.Pl.u.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
32
10 B
33
FONDO EBORENSE

Digitized by Google

INSTITUTIONES
THEOLOGICAE

AUCTORE

JOANNE BAPTISTA DALL' OCCA

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE COLLEGIATO, AC BONONIÆ IN PATRIA UNIVERSITATE PUBLICO PROFESSORE, NEC NON PERINSIGNIS COLLEGIATÆ S. PETRONII CANONICO.

EDITIO ALTERA

TOMI IV. PARS I.

CC

LUCÆ M[redacted]LXXXIX.

Typis DOMINICI MARESCANDOLI

Cum Approbatione.

TRACTATUS
DE SACRAMENTIS
IN GENERE.

TRactatum hunc in tres dissertationes divido. In prima explicabo naturam Sacramenti in genere, agamque de Sacramentis veteris Testamenti: in secunda agam de iis, quæ intrinsece spectant ad Sacramenta novæ legis: in tertia de iis, quæ ea eadem Sacramenta spectant extrinsece.

DISSERTATIO I.

Explicatur natura Sacramenti in genere, & agitur de Sacramentis veteris Testamenti.

DIssertationem hanc in duo capita divido. In 1. explicabo naturam Sacramenti in genere: 2. agam de Sacramentis veteris Testamenti.

CAPUT PRIMUM.

Explicatur natura Sacramenti in genere.

EXplicabo hic 1. quid sit Sacramentum juxta doctrinam catholicam: 2. quid sit Sacramentum novæ legis juxta doctrinam Novatorum.

ARTICULUS PRIMUS.

Hæc vox *Sacramentum* significat aliquid habens ordinem ad rem sacram: hinc pro multiplici hoc ordine diversas olim habuit, vel etiam modo habet significationes. Apud Romanos significabat pignus a litigantibus in loco sacro depositum ea lege, ut causa cadens illud amitteret in usus pios insumendum: rursus significabat juramentum, quo sensu dixit Horatius (a): *Non ego perfidum dixi Sacramentum*. In Scripturis aliquando significat rem latentem, quo sensu dicitur (b): *Sacramentum Regis abscondere bonum est:* aliquando mysticum rei occultæ signum, quo sensu dicitur (c): *Ego dicam tibi Sacramentum mulieris*, idest quid significetur per mulierem.

Hæc posterior significatio propria est Sacramenti, prout hic consideratur, & juxta illam ita definitur Sacramentum in genere sumptum: *Sacramentum est cæremonia, seu res sacra & sensibilis, divinitus, stabiliterque instituta ad conferendam immediate ex vi usus & applicationis suæ proportionatam Ecclesiæ sanctitatem, & ad veram significandam.*

Dicitur *cæremonia*, ut denotentur Sacramenta consistentia in actione transeunte, ut est Baptismus, Confirmatio &c. *seu res*, ut denotetur Sacramentum consistens in aliquo permanente, ut est Eucharistia.

Dicitur *sacra*, quia Sacramentum pertinet ad cultum Dei, & sanctificationem animarum.

Dicitur *sensibilis*, tum quia res hæc seu cæremonia debet eese accomodata conditioni hominum, pro quibus est instituta, & qui ut plurimum sensuum ministerio objecta attingant (ad quam

---

(a) *Ode* 17. *lib.* 2. (b) *Tob.* 12.
(c) *Apoc.* 17.

quam rem Chrysostomus ait: (a) *Si incorporeus esses, unde ipsa dona incorporea tibi tradidisset* (Deus) *sed quia corpori conjuncta est anima tua, ideo rebus sensibilibus tibi intelligenda traduntur*, tum ut per Sacramenta visibiliter consocientur in unam religionem fideles juxta Augustinum dicentem: (b) *In nullum nomen religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur.*

Nec dicas contritionem, quæ est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, non esse sensibilem, nec esse sensibile corpus Christi in Eucharistia contentum, ex quo sequi videtur non esse de ratione Sacramenti, ut sit aliquid sensibile; nam

℟. Contritionem non esse partem Sacramenti, nisi quatenus redditur sensibilis per aliquid externum, puta genuflexionem, tunsionem pectoris &c. Corpus autem Christi, ut Eucharistiam constituat, necesse est, ut quodammodo sensibile reddatur per species Eucharisticas.

Dicitur *divinitus instituta*, quia solius Dei est ritus determinare, quibus homines sanctificentur, & ipsius Ecclesia seu populus ipsi consecretur, & ab aliis secernatur.

At inquies. Verba E. G. absolutoria *Ego te absolvo &c.* quæ sunt pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, significant remissionem peccatorum tantum ex institutione hominum Ergo &c.

℟. Hæc verba ex hominum quidem institutione significare remissionem extrinsecam, qua homines invicem injurias condonant, sed non remissionem internam peccatorum, quæ fit per gratiam in Sacramento.

Si ergo Sacramentum debet esse divinitus institutum, patet Sacramentalia vera Sacramenta non esse; nam a Deo non sunt immediate instituta, sed tantum ab Ecclesia. Sacramentalia enim

(a) *Homil.* 82. *al.* 83. *In Matt.*
(b) *Lib.* 19. *contr. Faustum Cap.* 11.

sunt cæremoniæ sacræ, sive actus externi religionis ad colendum Deum ab Ecclesia instituti. Quæ quidem alia sunt proprie talia, & sunt accidentales cæremoniæ quibus voluit Ecclesia nos uti in administratione Sacramentorum, ut signum crucis, exorcismi, insufflationes &c. alia minus proprie talia, & sunt omnia, quæ extra usum Sacramentorum per benedictionem deputativam ad Dei cultum destinantur, ut sunt rami olivarum benedicti, imagines Sanctorum, quæ publico cultui exponuntur &c. Dixi *per benedictionem deputativam*; benedictio enim mere invocativa, qua scilicet Deum propitium invocamus in usu aliquarum rerum, ut esset benedictio mensæ & ovorum in Paschate, hæc non elevat, ut sint Sacramentalia.

Ubi etiam noto ex alio quoque capite Sacramentalia a Sacramentis distingui, ex quo scilicet illa vim ex se & immediate non habent causandi gratiam, adeoque nec remittendi peccata. Ratio deducitur ex dictis: hæc enim sunt instituta ab Ecclesia, quæ ex se auctoritatem non habet gratiam conferendi. Habent tamen vim excitandi pios motus, quibus gratiam consequamur, sicque hanc causant tantum mediate, & solum per modum impetrationis ipsius Ecclesiæ, nec omnino infallibiliter. Præterea Sacramentalia non habent vim remittendi pænas temporales debitas peccatis, nisi proportionaliter ad meritum & satisfactionem illa adhibentis: quamvis enim Ecclesia posset has pœnas remittere per Indulgentias, non semper tamen ipsa has Indulgentias Sacramentalibus adnectit. Remanet ergo, ut hæ pœnæ adhibenti Sacramentalia remittantur dumtaxat juxta illius meritum & dispositionem.

Dicitur *instituta stabiliter*, quia cum per Sacramenta homines, ut dixi, in aliqua religione Deo consecrentur, & ab aliis discernantur, tamdiu debent Sacramenta durare, quamdiu durat status religionis, pro qua sunt instituta. Defectu hujus stabilitatis, quamvis linguæ igneæ, que in Pentecoste super Apostolos apparuerunt (a), & insufflatio Chri-

(a) *Jo.* 20.

Christi in eosdem fuerint signa gratiæ, non tamen fuerunt vera Sacramenta: ut ex eadem ratione nec talia fuerunt transitus mari rubri, esus mannæ, & similia, quia etsi significarent gratiam per Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ Sacramentum conferendam, ad hanc tamen significandam non erant stabiliter instituta. Ut omittam quod hæ actiones nullam ne imperfectam quidem & legalem gratiam conferebant, unde ex hoc etiam a ratione Sacramenti deficiebant.

Dicitur *ad conferendam immediate ex vi uſus & applicationis ſuæ &c.* ut denotetur effectum Sacramentorum produci ex vi præcisa applicationis & usus eorumdem, sive ex vi actionis externæ, in qua eadem consistunt, actionis inquam externæ non nude & materialiter spectatæ, sed quatenus a Deo est supernaturaliter elevata, ut talem effectum producat: scilicet quamvis requiratur & influxus ministri ponentis actionem sacramentalem, & subinde etiam disposisio suscipientis saltem respectu adultorum, ut Sacramentum producat effectum suum, hic tamen non producitur a Sacramento ex meritis aut ministri, aut suscipientis, sed solum quatenus est talis actio, quomodo, ait Bellarminus, etsi ad ligna comburenda requiratur, ut hæc siccentur, hisque ignis admoveatur, combustio tamen immediate fit a solo igne reliquis se habentibus solum vel tanquam causis remotis, vel tanquam conditionibus.

Modus hic producendi gratiam immediate ex vi applicationis & usus actionis Sacramentalis nunc relate ad Sacramenta nostra apud Catholicos exprimitur hac phrasi *ex opere operato*, quod, prout opponitur *operi operantis* denotanti actionem ministri ponentis Sacramentum, & dispositionem subjecti illud suscipientis, exprimit gratiam (utique sanctificantem) conferri a Sacramentis nostris, quatenus tales actiones sunt, nimirum quatenus sunt actiones morales Christi ipsius nomine factæ: Phrasis quidem hæc a Novatoribus de novitate, & falsitate reprehenditur. Sed nulla est hic novitas, nisi quod contra regulas grammaticæ *operatum* de-

rivatum a deponente verbo *operor operaris*, passive sumitur, cujus tamen acceptionis exemplum habemus in Scriptura, dum etiam passive accipitur verbum *promereor promereris* ad deponentia spectans; dicitur enim: (a) *Talibus hostiis promeretur Deus*, & licet nullum haberemus in Scripturis exemplum, sufficeret exemplum Augustini, qui ut facilius intelligeretur, adhibuit potius *ossum ossi*, quam *os ossis* subdens: (b) *melius est reprehendant nos Grammatici, quam non intelligant populi*. Cæterum licet non adhiberetur antiquitus hæc phrasis materialiter, & quoad nomen, adibebatur tamen formaliter, & quoad sensum. Quod vero falsum hac phrasi non exprimatur constabit ex inferius dicendis.

Si autem Sacramenta debent gratiam conferre immediate ex vi usus & applicationis eorum, patet non esse Sacramenta actus virtutum; per hos enim gratia non confertur nisi ex merito operantis. Porro licet Martyrium gratiam probabiliter ex se conferat, ita tamen confert, ut Sacramentum dici non possit; nam ad hoc non est divinitus institutum, cum prout se tenet ex parte Tyranni, potius sit a Deo prohibitum, prout vero se tenet ex parte Martyris, sit præcise actus virtutis, puta fidei, fortitudinis &c., de quo proinde loquendum ut de aliis virtutum actibus. Si igitur Martyrium gratiam ex se confert, eam tantum ex speciali privilegio confert.

Dicitur *ad conferendam proportionatam Ecclesiæ sanctitatem*, idest gratiam proportionatam statui Ecclesiæ, pro qua Sacramenta sunt instituta. Cum autem Ecclesia Mosaica esset tantum umbra & figura Ecclesiæ nostræ, hinc Sacramenta Mosaica non conferebant nisi sanctitatem, quæ esset umbra & figura veræ sanctitatis collatæ per Sacramenta nostra, Erat igitur hæc sanctitas imperfe-

cta

(a) *Heb.* 13.
(b) *In Psalm.* 138. *n.* 20.

cta & legalis consistens E. G. in externa aliqua expiatione, consecratione, aggregatione ad populum Dei &c. Sacramenta vero nostra gratiam sanctificantem ex se conferunt perfectam, ac reddentem hominem vere Dei amicum & filium. Homines quidem etiam in lege Mosaica justificabantur per gratiam sanctificantem, sed hæc non conferabatur illis per Sacramenta ex vi ipsorum; potius enim ex merito quorundam actuum virtutum, & præcipue fidei in mediatorem venturum conferebatur, vel etiam ex Sacramentis non qua talibus, sed quatenus involvebant exercitium horum actuum, & fidei, adeoque potius ex opere operantis, quam ex opere operato.

Ex particulis modo explicatis patet discrimen inter Sacramentum, & sacrificium; primum enim directe institutum est ad sanctificationem hominum, alterum ad excellentiam supremi Numinis testandam. Quod si etiam sacrificium sanctificat, id non efficit immediate usu suo, & corporali sui applicatione, sed solum per modum impetrationis, per hoc scilicet, quod impetret media, quibus postea homo immediate sanctificetur.

Dicitur tandem *& ad veram significandam*; Sacramenta enim debent esse signa veræ justificationis, & gratiæ. Igitur Sacramenta Mosaica significabant quidem veram sanctificationem, sed ex dictis non causabant, nova vero & significant & causant, unde Sacramenta nostra sunt signa practica gratiæ sanctificantis. Juxta hunc respectum Sacramenta *signa demonstrativa* appellantur a S. Thoma, qui tamen alias etiam rationes signi in Sacramentis præcipue nostris agnoscit, videlicet signi *rememorativi*, & *pronunciativi*, quatenus ipsa sunt rememorativa causæ meritoriæ nostræ justificationis, videlicet passionis & mortis Christi, & sunt prænunciativa causæ finalis ejusdem justificationis, videlicet æternæ gloriæ: juxta quod de Eucharistia canit Ecclesia: *Recolitur memoria passionis ejus, & futura gloriæ nobis pignus datur*. Unde hæc Sacramenta commemorant quod est factum, demonstrant quod fit, & pronunciant quod fiet, ita tamen ut

præcipue illorum significatio sit demonstrativa, & consequenter principale significatum sit gratia sanctificans.

Ubi etiam adverto Sacramenta non esse signa naturalia gratiæ, ut E. G. fumus est signum ignis, sed signa arbitraria. Quo tamen non obstante voluit Deus, ut haberent aliquam cum re significata analogiam, sicque non se haberent, ut E. G. ramus viridis significans vinum venale, nullam autem habens cum illo analogiam, sed potius ut ad idem vinum se haberet imago calicis pleni vino, qui cum ipso vino habet aliquam analogiam. Hanc autem in omnibus Sacramentis videmus, & ita ablutione externa, quæ fit in Baprismo, significatur ablutio animæ interna. unctione externa, quæ fit in Confirmatione, significatur unctio animæ, & roboratio virum ejusdem, & sic de singulis.

Ex dictis patet Sacramenta novæ legis in ratione generica Sacramenti univoce convenire cum Sacramentis veteris legis; quæ enim est inter illos differentia, tota est in iis spectatis non præcise qua Sacramenta sunt, sed qua talia Sacramenta: unde ita se habet ratio Sacramenti ad Sacramenta tum nova tum antiqua, ut ratio animalis ad hominem & brutum. Licet ergo illa essent umbra nostrorum, vera tamen erant Sacramenta, ut licet vetus religio esset umbra religionis nostræ, adhuc erat vera religio, & licet vetera sacrificia esssent umbra sacrificiorum nostrorum, adhuc erant vera sacrificia:

Explicata natura Socramenti in genere ita possunt definiri Sacramenta novæ legis: *signa sensibilia a Christo instituta ad conferendam ex opere operato gratiam sanctificantem*. Sensus definitionis patet ex dictis. Interim tamen ad majorem illius explicationem placet afferre & confutare quas tradunt horum Sacramentorum definitiones Heterodoxi.

ARTICULUS SECUNDUS.

Variæ a Novatoribus traduntur definitiones Sacramentorum novæ legis: primo Lutherus vult Sacra-

cramentum solum esse promissionem divinam signo externo adnexam: secundo Sociniani volunt Sacramenta esse nuda signa, quibus Christiani ab Infidelibus distinguuntur: tertio Anabaptistæ docent Sacramenta solum esse allegorias & signa bonorum operum, quæ eadem Sacramenta sumens debet exercere: quarto Zuinglius & Bucerus volunt Sacramenta esse initiationem, seu, ut ipsi dicunt, oppignorationem. quâ homines se obligant Christo, & ejus militiæ nomen dant.

Hæ omnes definitiones in hoc maxime peccant, quod excludant præcipuum effectum Sacramentorum nostrorum, scilicet collationem gratiæ sanctificantis. Prima vero in eo peculiariter peccat, quod vult Sacramentum consistere in promissione gratiæ, cum tamen Sacramenti constitutivum non sit gratiæ promissio, sed ipsum aliunde formaliter constitutum habeat adnexam hanc promissionem. Deinde illa definitio in sensu hæretico a Luthero adhibetur; vult enim promissionem gratiæ hoc sensu esse Sacramentis adnexam, quod ipsa excitent fidem divinarum promissionum, qua sola Novatores contendunt hominem justificari: secunda & tertia in eo peculiariter peccant, quod juxta illas posset dici Sacramentum quælibet protestatio externa religionis Christianæ, cum per talem protestationem discernatur fidelis ab infideli, & ipsa sit signum bonorum operum, quæ debet exercere Christianus: & præterea juxta illas non est necessaria ad Sacramentum divina institutio, cum etiam per homines possint institui signa distinctiva fidelis ab infideli, & admonitiva bonorum operum, quæ Christianus debet exercere: quarta defininitio in eo peculiariter peccat, quod juxta illam Sacramentum est mera actio hominis, non vero Dei, nec a valore passionis & mortis Christi dependens, cum in tali oppignoratione solus homo agat.

Calvinus aliam commentus est definitionem, quæ est: *Sacramentum est symbolum externum, quo benevolentia erga nos suæ promissionem conscientiis nostris Dominus obsignat ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem: & quo nos vicissim pieta-*

tem erga eum nostram testamur: quod ita explicat. Necesse est nos firmiter credere Deum facturum quod promisit, adeoque concessurum nobis remissionem peccatorum, quam promisit. Hæc autem fides sæpe in nobis vacillat. Necesse est ergo easdem promissiones per Sacramenta veluti per sigilla confirmari, ut fides vacillans sustentetur: quomodo, cum Rex per litteras aliquid subditis promittit, solet promissionem sigillo obsignare, & confirmare, ut credatur a Rege esse factam. Et sane, inquit Calvinus, promissiones Dei aliquando fuerunt per externa signa vel symbola obsignatæ. Ita (a) iride confirmata fuit promissio de non mittendo amplius diluvio, Circumcisione confirmatum fuit (b) fœdus inter Deum & Abrahamum. Ita a pari &c.

Hæc definitio si recto sensu explicaretur, posset utcumque admitti; distinguenda enim est in Sacramento institutio a susceptione. Prior habet adnexam generalem promissionem gratiæ, susceptio autem appellari potest sigillum, quo promissio illa generalis speciatim applicatur suscipienti Sacramentum, Valet enim hoc argumentum: *Suscipiens Sacramentum recipit gratiam. Ego nunc illud suscipio: igitur ego nunc recipio gratiam:* quo argumento, ut patet, promissionem illam divinam generalem, quæ continetur in majore, & quæ dependet ab institutione divina, mihi in conclusione applico mediante susceptione, de qua in minore, quæ proinde susceptio obsignat, & quasi sigillum mihi confirmat gratiam.

Sed prout talis definitio explicatur a Calvino in multis peccat; I. enim ipse vult Deum per Sacramenta obsignare promissionem benevolentiæ suæ, non quatenus per illa nobis immediate det gratiam, sed solum quatenus per illam excitet fidem. II. Per divinam benevolentiam, cujus fidem per ipsum

(a) *Gen.* 9. (b) *Gen,* 17.

ipſum excitant Sacramenta, ipſe intelligit gratiam prædeſtinationis, quo poſito mendax, per Calvinum, Deus conſtituitur, cum obſignet & teſtetur promiſſionem prædeſtinationis omnibus Sacramenta ſuſcipientibus, inter quos plures ſunt reprobi. III. Etſi per divinam benevolentiam intelligeret Calvinus gratiam immediate per Sacramentum conferendam, perperam tamen diceretur hoc eſſe veluti ſigillum talis gratiæ teſtificativum. Sigillum enim debet eſſe notius eo, quod ſigillo obſignatur; nam ſi dubitanti mihi E. G. de regiis litteris repræſentetur ſigillum, quod æque mihi ſit dubium ac illæ litteræ, dubium circa has per illud non minuetur. Sacramenta autem non ſunt notiora divinis promiſſionibus, cum tam iſtarum, quam illorum ex ſola Scriptura notitiam habeamus æque utrobique vel claram vel obſcuram. Ergo &c. Et ſane non majoris claritatis eſt illa pars Scripturæ, quæ continet inſtitutionem Sacramentorum, quam quæ continet divinas promiſſiones. Quomodo ergo per Sacramenta hæ firmari poterunt & roborari? Rurſus ſuperflua eſt hæc roboratio facta per Sacramenta; nam licet opus ſit, ut roborentur promiſſiones factæ alicui particulari homini, cum tunc ſubinde non ſufficienter conſtet, quod factæ ſint a Deo (& propterea roboratæ ſunt externis ſignis promiſſiones, de quibus Calvinus); hoc tamen non valet, cum promiſſiones generaliter in Evangelio omnibus fiunt, tunc enim ſufficienter conſtat, quod fiunt a Deo. Rem totam hoc exemplo explicat Becanus. Si Imperator ad me deſtinaret privatum aliquem ex ſuis miniſtris mihi ignotum, & per illum mihi promitteret officium aliquod, merito poſtularem aliquod ſignum, vel indicium, quo poſſem certo cognoſcere ab Imperatore illum fuiſſe deſtinatum. At ſi hic per authenticas litteras, & Cæſareo ſigillo obſignatas generatim promitteret ſubditis ſuis aliquod beneficium, perperam requireretur aliud ſignum, quo promiſſio confirmaretur, imo nullum aliud eſſet ſignum tanti apud ſubditos ponderis, quanti eſt verbum Imperatoris autheutico ſcripto confirmatum. Ita a pari in caſu. Ergo &c.

Plu-

Plura hucusque dicta sunt potius vera supposita, quam demonstrata. Omnium vero in sequentibus veritas ostendetur.

CAPUT SECUNDUM.

De Sacramentis veteris Testamenti.

Cum in sequentibus semper sit agendum de Sacramentis legis evangelicæ, præstat modo ea expedire, quæ spectant ad Sacramenta veteris Testamenti, nimirum status innocentiæ, qui duravit a creatione Adami usque ad illius peccatum: status legis naturæ, qui duravit a peccato Adami usque ad promulgationem legis Mosaicæ: & status legis Scripturæ, qui duravit a promulgatione legis Mosaicæ usque ad Christum. De iis ergo, quæ spectant ad Sacramenta pro tribus his statibus, ex ordine.

ARTICULUS PRIMUS.

Statui innocentiæ non repugnasse Sacramenta videtur certum, unde enim hæc repugnantia desumenda sit, non apparet. An vero de facto fuerint, controvertitur; affirmant alii, alii negant, utrique rationibus parum firmis.

Qui affirmant his præcipue ducuntur: I. quia licet ille status brevissimus fuerit, adhuc tamen de se fuit durabilis. Debuerunt ergo pro illo institui Sacramenta, quibus religio & Ecclesia de se durabilis debet colligari. Adde quod per Sacramenta debuissent posteri Adæ, si peccassent, mundari: II. quia tunc fuerunt probabiliter sacrificia. Ergo etiam Sacramenta: III. quia tunc fuit matrimonium, quod est verum Sacramentum: IV. quia id docet S. Augustinus.

Sed hæ rationes non satis subsistunt. Non prima, tum quia potuit Deus prævidens illius status brevitatem non instituere pro illo Sacramenta, quæ futura essent frustranea, tum quia licet præsens Ecclesia Sacramentis colligetur, non erat tamen necesse, ut sic colligaretur etiam Ecclesia status innocentiæ. In hoc autem statu si posteri Adam

pec-

peccassent, potuissent absque Sacramentis per solos actus internos justificari. Non secunda, quia (omisso, quod fuerint in illo statu sacrificia, hoc enim ob mox adductam rationem est incertum) hoc ideo factum est, quia pro illo statu vigebat finis sacrificii, nempe protestatio divini dominii super omnia. At incertum est, utrum viguerit finis Sacramentorum, qui est, ut infirmitas hominum per signa sensibilia ad gratiam perveniat, cum potuerint tunc homines gratia donari absque his signis. Non tertia, quia matrimonium non fuit Sacramentum, nisi quatenus supponebat Christum venturum, qualis non supponebatur in statu innocentiæ. Non quarta, quia Augustinus sumit Sacramentum solum in lata significatione, pro signo nimirum, quodcumque illud fuerit, rei sacræ.

Qui vero negant ideo negant I. quia non est verisimile Deum pro statu, quem prævidebat tam brevem, instituisse Sacramenta. II. quia tunc non indigebant homines adjuvari per signa sensibilia. III. quia nec ex Scriptura, nec ex traditione colligitur tunc ullum fuisse Sacramentum.

Sed hæ quoque rationes non satis subsistunt. Non prima; ex dictis enim status illæ fuit brevis tantum per accidens, sed de se fuit institutus, ut esset diuturnus: non secunda, nam licet tunc non indigerent homines signis sensibilibus, nil vetat, ne Deus iisdem uteretur ad illorum sanctificationem: non tertia, quia argumenta negativa sunt parum firma.

Hæc attuli, ut appareat rem esse omnino incertam, adeoque satius esse ad certiora properare.

ARTICULUS SECUNDUS.

Circa statum legis naturæ docuerunt aliqui antiqui nullum in illo fuisse Sacramentum; licet enim opus fuisset ut parvuli tunc mundarentur ab originali, id tamen contendunt factum per solam fidem internam in mediatorem venturum, adeoque non per Sacramentum.

Sed

Sed probabilior sententia docet in hoc statu fuisse aliquod Sacramentum pro parvulis mundandis ab originali. Id enim docet S. Augustinus dicens: (a) *Non est credendum ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem iis inerat fides mediatoris in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid illud esset aliqua necessaria causa Scriptura latere valuerit*. Praeterea ratione confirmatur. Nam certe in illo statu fuit aliquod remedium pro parvulis ab originali mundandis: hoc autem remedium probabilius fuit signum externum protestativum fidei in mediatorem venturum, ac proinde verum Sacramentum. Et sane de necessitate fidei in mediatorem venturum non est dubium, cum nullus independenter ab hac fide post peccatum Adæ justificaretur. Necessitas vero signi externi in casu probatur: nam, si suffecisset fides interna, potuisset hoc remedium applicari parvulis omnibus in uteris matrum degentibus, quod tamen illos fecisset melioris conditionis, ac sint parvuli in lege gratiæ, quibus (saltem omnibus) nequit applicari baptismus, dum adhuc sunt in uteris matrum. Accedit, quod si debuisset pro originali remedium institui mere spirituale, hoc potius debuisset institui pro statu legis gratiæ, quæ est lex spiritualis, quam pro quocumque alio. Si ergo pro hoc non est institutum, nec debet dici institutum pro lege naturæ.

Ubi notat Suarez probabiliter non fuisse a Deo determinatam in speciem cæremoniam sensibilem, qua infantes in lege naturæ ab originali mundarentur, sed suffecisse, ut esset externa actio protestativa fidei in mediatorem venturum, sive postea fuisset oratio, sive oblatio, sive aliud simile. Hæc autem actio externa cum actu interno comprehenditur a SS. Patribus nomine fidei. Immo cum aliqui ex

(a) *Lib. 5. cont. Jul. cap.* 11.

ex iis docent sola fide homines in lege naturæ justificatos fuisse, explicari possunt, coherenter ad supradicta, asserendo scilicet eos excludere tantum signa extrinseca determinata, quæ ex dictis nulla erant. Remedium hoc perseveravit etiam in lege scripta pro fœminis, imo & pro masculis ante octavum diem decedentibus, quo tempore non poterat ipsis applicari circumcisio.

An præter hoc Sacramentum alia fuerint in lege naturæ, incertum. Aliqui non improbabiliter aliud saltem Sacramentum admittunt pro mundandis adultis in lethale prolapsis, quos, inquiunt, non est verisimile fuisse mundatos per solum actum internum. Rem incertam ut incertam dimitto.

Probabilius Sacramentum pro parvulis in lege naturæ gratiam sanctificantem contulit ex opere operato, saltem ex privilegio; nam probabilius remissio originalis per tale Sacramentum causanda non dependebat ex merito ministrantium, alias, sicuti plurimi semper fuerunt mali, pauci boni, ita ut plurimum fuisset frustraneum hoc remedium, adeoque plurimi infantes periissent, quod de divina misericordia non debemus existimare. Nec poterat dependere a merito suscipientium, cum meriti infantes sint incapaces. Remanet ergo, ut dependeret tantum ex merito operis, quod idem est, ac istud Sacramentum gratiam contulisse ex opere operato. Unde non est improbabile quod dicunt aliqui, scilicet fidem in mediatorem venturum, quæ ad parvulos mundandos requirebatur, fuisse solum externam, nempe solum manifestatam externo aliquo signo. Dixi gratiam fuisse collatam per hoc Sacramentum *saltem ex privilegio*; nam tale Sacramentum non erat proprie opus Christi, ut sunt nostra, cum Christus tunc nondum venisset: adeoque aliquibus placet, ut potius dicatur hoc Sacramentum contulisse gratiam *ex opere operando*.

Utrum vero hoc Sacramentum sicut & alia, si quæ fuerunt in statu legis naturæ, produxerit alios effectus, puta characterem, gratias sacramentales &c. est omnino incertum, nec apparet, unde possit definiri. Quod idem valet de Sacramentis legis Mosaicæ, de quibus statim.

AR-

ARTICULUS TERTIUS.

In statu legis Mosaicæ plura fuerunt Sacramenta. Ad quatuor hæc possunt reduci, ad circumcisionem, ad esum agni paschalis, ad ordinationes ministrorum sacrorum, & ad lustrationes ac expiationes, quibus homines ab immunditiis mundabantur. Prius correspondebat nostro Baptismo: secundum nostræ Eucharistiæ, tertium nostro Ordini, quartum nostræ Pœnitentiæ. Observat autem S. Thomas nullum tunc fuisse Sacramentum correspondens aut nostræ Confirmationi, quia hæc dat plenitudinem gratiæ, quæ imperfectioni legis antiquæ non conveniebat, aut nostræ extremæ Unctioni, quia hæc est ordinata ad dandum fidelibus introitum expeditum ad vitam æternam, qui in lege veteri nondum patebat, aut nostro Matrimonio, quia hoc fuit institutum ad denotandam conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ conjunctio in lege veteri nondum erat peracta. Ubi noto circumcisionem ideo dici Sacramentum legis scriptæ, quia cum aliis sacramentis legis scriptæ fuit a Deo præcepta, quamvis jam antea fuisset Abrahamo & semini ejus a Deo proposita.

Disputatur inter Theologos, utrum Sacramenta Mosaica gratiam sanctificantem contulerint. Aliqui volunt nedum circumcisionem, sed quædam etiam alia Sacramenta principaliora hanc contulisse ex opere operato. Ita Paludanus & Durandus. Alii cum S. Bonaventura sentiunt quidem ut supra, addunt tamen hanc gratiam collatam fuisse a veteribus Sacramentis non primario & per se, sed veluti secundario & per accidens. Alii vim producendi gratiam ex opere operato tribuunt quidem circumcisioni, negant vero aliis Sacramentis. Ita Scotus multique alii. Alii tandem omnibus indiscriminatim Sacramentis denegant vim conferendi gratiam ex opere operato. In tanta sententiarum diversitate hæc videntur statui posse.

I. certum est gratiam sanctificantem fuisse aliquo modo collatam a Sacramentis Mosaicis; nam hæc

hæc erant ad minimum opera virtutum, ac proinde in illorum usu illud saltem meritum aderat, quod inest omnibus virtutum operibus, quibus mereri homo potest gratiam sanctificantem.

II. probabilius gratia hæc non fuit a Sacramentis Mosaicis collata ex opere operato (præscindo nunc a circumcisione, de qua speciatim infra) sed tantum ex opere operantis. Scripturæ namque testantur hoc esse discrimen inter legem Mosaicam & legem Christi, quod illa non justificabat, hæc vero jusificat; dicitur enim: (a) *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum*, & alibi: (b) *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex;* & infra: (c) *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum*. Ergo Sacramenta antiquæ legis ex se non conferebant gratiam, alias lex antiqua justificasset. Rursus Florentinum ait: (d) *Novæ legis Sacramenta multum quidem differunt a Sacramentis antiquæ legis; illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant, hæc vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt*: ubi, cum negat gratiam a Sacramentis veteribus collatam fuisse, negat profecto illam collatam ex opere operato, cum dubium non sit, quin collata ab illis fuerit ex opere operantis. Tandem S. Augustinus ait: (e) *Alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem: Sacramenta novi Testamenti dant salutem, Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem:* ubi opponit antiqua Sacramenta nostris dicens nostra dare salutem, antiqua vero promisisse Salvatorem, quæ oppostio non staret, si etiam antiqua dedissent gratiam.

III.

(a) *Jo.* I. (b) *Heb.* 7. (c) *Cap.* 10.
(d) *In Decret. Eugen. de union. Armen.*
(e) *In Psalm.* 73, *n.* 2.

III. Hæc Sacramenta gratiam sanctificantem nec contulerunt ex opere operato per accidens. Nam vel vis conferendi gratiam soli fidei tribuitur, cujus Sacramentum erat protestativum, & sic gratia conferebatur ex opere operantis: vel tribuitur fidei simul & Sacramento, & tunc subdistinguitur (1) & sic nihil deerat, ut gratiam hæc Sacramenta ex opere operato per se conferrent: vel non aderat, & tunc non apparet quomodo illa Sacramenta habuerint vim conferendi gratiam ex opere operato etiam per accidens. Ergo &c.

IV. nec ipsa circumcisio gratiam sanctificantem contulit ex opere operato; Scripturæ enim loquentes de effectibus circumcisionis, & de finibus, ad quos fuit instituta, nunquam dicunt ipsam justificasse. Sane (a) ubi narratur illius institutio, solum dicitur ideo fuisse præceptam, ut esset signum fœderis inter Deum & Abrahamum ejusque posteritatem: *Hoc est pactum*, ait Deus, *quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te: circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos:* & Apostolus quærens quid utilitatis attulerit Judæis Circumcisio respondet: (b) *Multum per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei:* de gratia autem per illam collata ne verbum quidem habet, habiturus profecto, si Circumcisio ex opere operato justificasset. Præterea Scripturæ, ut superius dixi, omnibus Mosaycis Sacramentis indiscriminatim negant vim conferendi gratiam. Ergo etiam Circumcisioni.

Plures Patres idipsum docent. S. Justinus ait: (c) Abraham *Circumcisionem accepit in signum, non ad justitiam*, & infra: *Quod genus muliebre Circumcisionis carnalis capax non est, satis id o-*

sten-

(a) *Genes.* 17. (b) *Rom.* 3.
(c) *Dialog. cum Triphon.*

(1) ad Deum promissio de impertienda gratia.

stendit in signum datam Circumcisionem istam, non ut justitiæ opus. S. Irenæus ait: (a) *Circumcisionem non quasi justitiæ consumatricem, sed in signo eam dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahæ*, & infra: *& quia non per hæc justificabatur homo, sed in signo data sunt populo, ostendit quod ipse Abraham sine Circumcisione . . . credidit Deo, & reputatum est illi ad justitiam*. Chrysostomus, *Attende*, inquit, (b) *quomodo postea tempore procedente voluerit Circumcisionem pro lege statui, non quod ad animæ salutem perficere hæc possit aliquod, sed ut hoc grati animi indicium quasi signum & sigillum circumferrent Judæi*. Hos autem Patres adducere placuit, ut innotescat plures huic sententiæ favere, licet ultro fatear alios, & nominatim Augustinum stare pro opposita.

Accedit quod nec Philo, nec Josephus historicus, qui sane fuerunt Judaicarum rerum peritissimi, loquentes de Circumcisione, illiusque effectus recensentes, ullam mentionem faciunt de gratia per illam collata.

Objici solet illud: (c) *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, interibit anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*. Hic dicitur damnandus qui non fuerit circumcisus. At quare damnandus? Quia in eo remanebat originale. Erat igitur necessaria Circumcisio ad originale tollendum, adeoque hæc justificabat.

℟. hic solum adstrui comminationem separationis a populo Israelitico respectu illius, qui non fuisset circumcisus. Quod si comminationem vellemus etiam trahere ad æternam damnationem, respondere possumus ex ea quidem inferri adfuisse præceptum de Circumcisione, quo ab adultis non impleto æterno damnarentur, non vero circumcisionem contulisse gratiam ex opere operato.

Ad

(a) *Lib. 4. cap. 16. al. 30.*
(b) *Homil. 27. in Genes. n. 2.*
(c) *Gen. 17.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

1Ad maiorem tamen intelligentiam, simulque ut difficultatibus occurratur, quæ ulterius adduci possent, adverto hic negari gratiam collatam a Circumcisione, præcise ut erat Circumcisio, non autem negari potuisse illam adhiberi, imo subinde a Judæis adhibitam fuisse ut signum protestativum fidei in Mediatorem venturum, & hoc modo justificasse ex opere operato. Sed tunc, ut patet, non considerabatur secundum se, & juxta quod erat Sacramentum Mosaicum; considerabatur potius juxta quod erat Sacramentum legis naturæ, & gratiam non conferebat, quatenus erat Circumcisio; sed quatenus erat signum protestativum fidei in Mediatorem venturum. Juxta vero hanc duplicem Circumcisionis acceptionem fortasse conciliari possent discordantes sententiæ de efficacia ejusdem Circumcisionis.

DISSERTATIO II.

De iis, quæ intrinsece pertinent ad Sacramenta novæ Legis.

AD Sacramenta novæ legis (de his enim solis deinceps agendum) aliqua spectant intrinsece, ut sunt partes, quibus perficiuntur, illorum numerus & ordo inter sese, alia tantum extrinsece, ut sunt illorum auctor, minister, suscipiens, & effectus. De prioribus hac dissertatione, de posterioribus sequenti. Hanc itaque dissertationem in duo capita divido. In 1. agam de partibus Sacramentorum novæ legis, in 2. de illorum numero & ordine inter sese.

CA-

CAPUT PRIMUM.

De partibus, quibus perficiuntur Sacramenta novæ legis.

EXplicabo in primis naturam harum partium: 2. examinabo quomodo hæ determinatæ ſint a Chriſto: 3. quænam debeat eſſe forma Sacramentórum: 4. reliqua expediam ad has partes ſpectantia.

ARTICULUS PRIMUS.

Inter partes, quibus Sacramenta perficiuntur, una reperitur de ſe indifferens ad perficiendum vel Sacramentum vel aliud, & reperitur altera, a qua prior determinatur ad Sacràmentum potîus, quam aliud conſtituendum. Prior, analogia ducta a partibus corporum, dicitur *materia*, altera *forma*.

Nomina hæc *materiæ* & *formæ* non ſemper ſunt in Eccleſia adhibita; cœperunt enim adhiberi ſolum ſæculo 13. cum antea hæc adhiberentur *res* & *verba*. Modernus tamen loquendi modus magis eſt priore explicativus, cum ob oculos ponat relationem partium Sacramenti ad ſe invicem, & ad ipſum Sacramentum, ſecus prior.

Duplex in quolibet Sacramento reperitur materia, nimirum *proxima* & *remota*, cum enim omnia Sacramenta perficiantur actione aliqua tamquam materia (perficiuntur ſcilicet actione de ſe indifferente vel ad Sacramentum conſtituendum, vel aliud,) in hac actione poteſt conſiderari & res, circa quam verſatur, & uſus talis rei, qui tandem immdiate eſt ipſa actio. Prius dicitur *materia remota* Sacramenti; alterum *proxima*. Ita E. G. in Baptiſmo aqua eſt materia remota, uſus vero aquæ conſiſtens in ablutione baptizandi eſt materia proxima: in Confirmatione materia remota eſt chriſma, uſus vero illius conſiſtens in unctione per illud facta eſt materia proxima.

Diſtinguendum porro eſt inter materiam & formam hucuſque explicata, & materiale atque forma-

le

le cujuslibet Sacramenti ab aliquibus admissa; contendunt enim aliqui esse materiale cujuslibet Sacramenti consistere in omnibus his, quæ in Sacramento sunt sensibilia, & ita materiale E. G. Baptismi erit ablutio per aquam, & prolatio verborum: *Ego te baptizo &c.*, formale vero Sacramenti volunt consistere in practica significatione gratiæ sanctificantis ex dicto materiali consurgente: & ita formale Baptismi consistit in practica significatione gratiæ hominem spiritualiter regenerantis. Horum ratio est, quod simplex positio illorum, quæ in Sacramentis sunt sensibilia, est per se indifferens ad constituendum, vel non constituendum Sacramentum, determinatur autem per practicam gratiæ significationem. Positio erga illa *materiale*, hæc autem significatio *formale* dici debet. Istorum non est reprehendenda sententia, dummodo præter hoc materiale & formale, quod dicere possumus *materiam & formam totius*, agnoscamus etiam materiam & formam supra explicatam, quam etiam dicere possumus *materiam & formam partis*, & cui magis favet communis usus.

Materia, qua perficiuntur Sacramenta, ut superius innui, sunt res, forma vero sunt verba. Id docet Eugenius IV. inquiens (a): *Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri &c.*, & colligitur etiam ex Augustino dicente (b): *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*. Nomine *rerum*, ut a verbis distinguuntur, intelligitur corpus aliquod vel naturale vel artefactum, vel actio aliqua (extra verba, quæ proveniunt ab actione locutiva:) nomine *verborum* intelligitur vox ipsa, vel aliquid supplens vices vocis. Rebus his & verbis quodlibet Sacramentum perfici ostendam, cum de singulis agam.

Interim noto ideo dictum esse materiam Sacramentorum esse vel corpora, vel actiones distinctas

a

(a) *In Decret. Eugen. de union. Arm.*
(b) *Tract.* 80, *in Jo.*

a verbis, quia ista ut plurimum inserviunt pro materia. Cæterum aliquando etiam ipsa verba pro materia inserviunt, ut E. G. in Sacramento Pœnitentiæ, in quo, cum materia sint actus pœnitentis, & inter hos sit etiam confessio, quæ regulariter verbis perficitur, verba hæc, ut patet, pro materia inserviunt. Tunc autem, ut advertit Bellarminus, verba hæc non considerantur præcise ut verba, sed ut res, & ita confessio non est materia Sacramenti Pœnitentiæ præcise ut oratio, sed solum generice ut actus pœnitentis. E contra ideo dicitur formam Sacramentorum esse verba, quia ut plurimum verba sunt, & si quando sunt aliæ actiones, hæ tamen sunt æquivalenter verba, & ut talia considerantur. Et sane in Baptismo, Eucharistia, Pœnitentia &c. forma essentialiter consistit in verbis formalibus, in aliis Sacramentis, si non consistit in verbis formalibus, consistit tamen in aliquo verbis æquivalente, ut E. G. in Matrimonio, in quo juxta probabilem sententiam forma consistit in acceptatione juris in corpora, quæ quidem ordinarie verbis exprimitur, quamvis vel solis etiam nutibus, vel alio æquivalenti signo exprimi possit.

Noto insuper me sæpe dixisse omnia Sacramenta rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma *perfici*, potius quam dicerem *constare*; loquor enim nunc de ratione, quæ omnibus Sacramentis competit, illis scilicet consideratis tantum in fieri. Cæterum præter hanc rationem datur etiam alia ratio propria Sacramenti Eucharistiæ, quod, cum non consistat in actione transeunte, ut consistunt omnia alia, sed in aliquo permanente, scilicet in speciebus & corpore Christi, potest considerari tum in fieri, tum in facto esse, adeoque licet perficiatur pane & vino ut materia, & verbis consecrationis ut forma, cum tamen hæc transeant remanente Sacramento, dici non potest, quod hoc ex illis constet. Quod si in hoc Sacramento considerato in facto esse velimus reperire materiam & formam improprie talem, dicam illam consistere in speciebus dicentibus ordinem ad peractam consecrationem. Sed de hoc alibi.

ARTICULUS SECUNDUS.

Materiam & formam omnium Sacramentorum fuisse a Christo aliquo modo determinatam certum est; nam cum certum sit omnia Sacramenta fuisse a Christo instituta, certum pariter esse debet fuisse aliquo modo determinatas illorum partes; nam hoc ad institutionem spectat.

Quæstio tamen est inter Theologos circa modum hujus determinationis. Pro cujus quæstionis intelligentia adverto tripliciter posse determinari materiam & formam alicujus compositi, nimirum *in genere*, *in specie*, & *in individuo*. Determinatur *in genere*, cum illius assignatur quidem genus, sed non determinatur species: ut si E. G. artifici dicerem: *confice mihi tabulam*, non determinando ex qua specie ligni illam vellem construi, tunc materiam determinarem tantum in genere. Determinatur *in specie*, cum illius etiam species assignatur, & ita contingeret in proposito exemplo, si dicerem: *confice mihi tabulam ex abiete*. Determinatur tandem *in individuo*, cum nedum illius species assignatur, sed etiam talis speciei individuum, ut si dicerem: *confice mihi tabulam ex hoc numero assere abietis*. Quod ergo Christus materiam & formam Sacramentorum determinaverit tantum in genere, importat quod instituerit Sacramenta solum generaliter dicendo: *Volo ut Sacramenta conferantur signis quibusdam aptis significare eorumdem Sacramentorum effectum, cujuscumque postea speciei sint ea signa.* Quod determinaverit in specie importat, quod dixerit: *Volo, ut talis determinate speciei sint ea signa*. Quod tandem determinaverit in individuo importat, quod nedum speciem signi, sed præterea hoc vel illud numero signum determinaverit.

Certum est apud omnes Christum nullius Sacramenti determinasse materiam & formam in individuo; nam pro nullo voluit, ut hæc potius individualis materia & forma, quam alia adhiberetur. Certum pariter est ipsum determinasse in specie materiam & formam aliquorum Sacramentorum; nam

nam determinavit aquam pro Baptismo, panem & vinum pro Eucharistia, verba insuper consecratoria pro forma ejusdem Eucharistiæ. Difficultas ergo reducitur ad aliqua tantum Sacramenta, de quibus dubitatur, num Christus illorum materiam in genere tantum determinaverit, an vero omnium determinaverit etiam in specie.

Divisi sunt circa hoc Theologi, aliis adstruentibus pro omnibus Sacramentis determinationem in specie, aliis pro aliquibus determinationem tantum in genere.

Rationes priorum hæ sunt. Melius in hac sententia salvatur non Ecclesiam, sed Christum omnia Sacramenta instituisse; cum tunc omnium constitutiva non Ecclesia, sed Christus specificè determinaverit: melius etiam dictum Tridentini (a), quod non possit Ecclesia quidquam disponere circa Sacramentorum substantiam; nam si Christus non determinasset in specie omnium Sacramentorum materiam & formam, hanc determinandi facultatem Ecclesiæ reliquisset, quæ proinde posset modo unam, modo alteram adhibere, adeoque modo efficere, ut talis determinata materia & forma esset de substantia Sacramenti, modo non esset, sicque de substantia Sacramenti disponeret. Præterea, inquiunt, nequit Ecclesia novum fidei articulum condere. Ergo nec signum de novo invenire, cui adnexa sit gratia.

His tamen non acquiescunt contrariæ sententiæ patroni; inquiunt enim: etsi Christus in genere tantum determinaverit materiam & formam aliquorum Sacramentorum, adhuc illorum institutio ipsi, non Ecclesiæ tribui debet; nam virtus conferendi gratiam externo signo etiam in hac hypothesi est ab ipso tributa. Et sane si Christus dixisset: *do Ecclesiæ facultatem instituendi quot libuerit Sacramenta, ita ut, quot illa instituerit, ego* ap-

(a) *Sess.* 21. *cap.* 2.

approbem, & illis impertiar facultatem gratiam conferendi, & nihil præterea statuisset, tunc fortasse, potius quam Christus, Ecclesia utens hac facultate institutrix esset Sacramentorum. At non ita dixit, sed dixit: *volo, ut septem sint Sacramenta, quorum unum hunc determinate, & non alium habebit effectum, alterum hunc & non alium*, & sic de singulis: *præterea volo, ut singula conferantur materia & forma analogiam habentibus cum effectu ab illis præstando: hanc materiam & formam pro aliquibus in specie assigno, pro aliis ita non assigno, sed relinquo Ecclesiæ facultatem, ut inveniat*. Hoc posito profecto non Ecclesiæ, sed Christo Sacramentorum institutio tribuitur; nam designatio cujuslibet Sacramenti sufficiens ad distinguendum illud a quocumque altero, & virtus propria cujuslibet Sacramenti distincta a virtute aliorum Christo, non Ecclesiæ tribuitur.

Salvant etiam hi Auctores dictum Tridentini per hoc, quod etsi Ecclesia possit in aliquibus Sacramentis determinare unam vel alteram materiam & formam, cum tamen teneatur materiam & formam determinare, quæ habeant analogiam cum effectu præstando (quod unicum ad substantiam horum Sacramentorum ex Christi institutione requiri volunt) dici non potest, quod habeat facultatem in substantiam Sacramentorum. Hinc licet materia & forma sint de substantia Sacramenti, non tamen, inquiunt, ex Christi institutione tales sunt materialiter spectatæ, sed solum spectatæ formaliter, idest secundum rationem genericam signorum habentium analogiam cum effectu Sacramantorum, juxta quam rationem Ecclesia non habet super illas facultatem. Hoc declarant exemplo. Si quis præcipiat artifici, ut construat mensam ex ligno, nec ligni speciem determinet, verificatur, quod potest artifex vel unam speciem ligni vel alteram adhibere salva tamen substantia mensæ, quia ad substantiam mensæ juxta intentionem præcipientis non spectat hæc vel illa species ligni materialiter considerata, sed solum considerata formaliter, videlicet juxta rationem genericam ligni. Ita in casu.

Por-

Porro etsi Ecclesia nequeat novum fidei articulum condere, (ut nequit de facto, saltem si sermo sit de iis, quæ nullatenus sunt a Deo revelata) inde tamen inferri negant ipsam non posse signum de novo invenire, cui adnexa sit gratia. Disparitatem autem inter utrumque casum hanc esse volunt, quod, ut aliquid sit articulus fidei, debet esse in particulari a Deo revelatum, cum fides divina circa hanc vel illam rem necessario supponat talis vel talis rei in particulari revelationem a Deo factam. Deficiente ergo hac particulari revelatione locus non datur articulo fidei. At ad inveniendum signum collativum gratiæ non est necesse, quod illud sit particulariter a Deo determinatum, sufficit si sit determinatum tantum in genere, ita scilicet ut Deus decreverit cuicumque signo ab Ecclesia determinando alligare collationem gratiæ. Ergo &c.

Hæc posteriores ad rationes adversariorum. Positivam autem & ipsi rationem pro se afferunt deductam ex mutatione materiæ & formæ aliquorum Sacramentorum, quam contendunt factam ab Ecclesia; certum enim est, inquiunt, Ordinem fuisse antiquitus collatum per solam impositionem manuum, & etiam modo sic conferri apud Græcos, cum tamen Eugenius IV. (a) doceat illius materiam saltem pro Ecclesia Latina nunc esse porrectionem instrumentorum (quod idem proportionaliter dictum volunt de Confirmatione, quam multi putant antiquitus collatam per solam manuum impositionem prætermissa unctione, quamvis fatendum sit facilius probari posse nunquam fuisse omissam unctionem in Confirmatione, quam porrectionem instrumentorum in Ordine.) Si ergo mutatio inducta est in Ordine, necessario dicendum non fuisse a Christo illius materiam in specie determinatam.

Reponunt priores nullam in Ordine factam esse mutationem substantialem, qui, ut objectioni nuper adductæ occurrant, dividuntur, statuentibus a-

(a) *In Instruct. Arm.*

liis pro materia essentiali Ordinis porrectionem instrumentorum, & hi vel dicunt hanc fuisse a Christo præscriptam disjunctive cum manuum impositione, ita scilicet ut ipse alterutram determinaverit adhibendam, vel dicunt manuum impositionem determinatam a Christo ut absolute necessariam, porrectionem vero instrumentorum ut necessariam solum in hypothesi quod Ecclesia illam præscripserit; negantibus vero aliis talem porrectionem esse materiam essentialem, & ex his aliqui dicunt Eugenium de materia tantum accidentali locutum fuisse, quam ideo commemoravit, ut doceret Armenos ignorantes illam adhiberi in Ecclesia Latina, alii ulterius etiam progredientes dicunt non esse attendendum quod docuit Eugenius, quippe qui ex suo privato sensu locutus est, & non nomine Concilii, quod jam dissolutum erat, cum edita est instructio pro Armenis.

Sed posterioribus hæc non videntur subsistere; nam, inquiunt, gratis asseritur facta a Christo prætensa disjunctiva determinatio materiæ Osdinis, aut determinatio porrectionis instrumentorum pro casu, quo illam Ecclesia præscripserit: falsum etiam est Eugenium locutum fuisse de materia accidentali cum, assignando materiam aliorum Sacramentorum, semper assignaverit materiam essentialem, nec appareat, quare tantum loquens de Ordine accidentalem voluerit commemorare; præcipue cum non fuerit sollicitus de instruendis Armenis circa ritus accidentales aliorum Sacramentorum apud Latinos adhibitos, quos æqualiter Armeni ignorabant. Multo vero minus admittunt quod sequitur. Primo enim falsum est, inquiunt, dissolutum fuisse Florentinum, cum exarata est instructio pro Armenis, licet enim antea discessissent Græci, illud tamen & tunc & postea per aliquot annos prosecuti sunt Latini. Secundo etsi dissolutum fuisset Concilium, ita ut amplius generale non esset, adhuc Pontifex instructionem edidit consentiente & approbante tota Ecclesia Latina. Quis autem dicat non esse attendendum quod R. Pontifex cum Ecclesia Latina docet?

Hæc

Hæc attuli, ut appareat gravissima esse momenta pro utraque sententia. Quænam sit probabilior definire non audeo. Hoc unum assero, quod, si statuatur ut materia essentialis Ordini sola manuum impositio, revocata porrectione instrumentorum ad materiam accidentalem, videtur præferenda prima sententia, utpote quæ felicius salvat institutionem a Christo factam omnium Sacramentorum, & quod Ecclesia non habeat facultatem supra substantiam Sacramentorum. Si vero satuatur ut essentialis etiam porrectio instrumentorum, videtur præferenda secunda, tunc enim, cum hæc porrectio utpote non adhibita antiquitus in Ecclesia, & nunc etiam apud Græcos, non est dicenda specifice determinata a Christo. Remanet ergo ut sit determinata tantum in genere, consequenter &c. Vide quæ proprio loco dicentur tum circa materiam Confirmationis, tum præcipue circa materiam Ordinis.

ARTICULUS TERTIUS.

Videndum modo quænam debeat esse Sacramentorum forma; de hac enim speciatim agere cogunt Novatorum circa ipsam errores.

Novatores ergo circa formam Sacramentorum multipliciter errant. Et 1. errant in hoc, quod verba, in quibus per Catholicos consistit forma, velint esse non consecratoria, sed concionatoria, vel promissoria: & si consecratoria, velint esse talia solum improprie. Cum ipsi scilicet justificationem tribuant non Sacramentis, sed fidei, volunt verba sacramentalia esse talia, ut excitent in suscipientibus hanc fidem, adeoque volunt esse concionem vel promissionem: non autem volunt esse consecratoria, ut contendunt Catholici, talia scilicet, quæ consecrent materiam, illamque reddant aptam ad conferendam gratiam, admittentes ad summum illa esse consecratoria improprie, quatenus transferunt materiam de usu prophano ad sacrum. Ideo collationi Sacramentorum semper conjungunt concionem, & quamvis in Baptismo proferant verba: *ego te baptizo &c.*, (alias non approbaretur

 ab

ab Ecclesia Baptismus per illos collatus, qui tamen ut validus agnoscitur) illam tamen proferunt solum ut partem concionis, & ut excitent fidem divinarum promissionum. In Eucharistia vero verba consecratoria non proferunt, sed tantum præmittunt concionem (quo fit ut invalide consecrent). Imo Calvinus dicit verba consecrationis adhibita a Catholicis similia esse magicæ incantationi.

Errant secundo in hoc, quod nolint ulla verba pertinere ad essentiam Sacramenti. Quamvis enim requirant verba concionatoria vel promissoria, illa tamen solum requirunt ut conditiones ad fructum Sacramenti, non ut partes illius. Hic autem secundus error in priore fundatur, nam si verba Sacramentalia inserviunt non ad consecrandam materiam, sed solum ad excitandam fidem; cum hæc fidei excitatio sit extrinseca Sacramento, utpote effectus ipsius, verba Sacramentalia non habent rationem veræ partis, ut habent in sententia Catholicorum volentium ipsis consecrari materiam, quam consecrationem hi admittunt ut essentialem Sacramento.

Errant tertio in hoc, quod velint non requiri determinatam formulam verborum in collatione Sacramentorum, cum contendant quæcumque verba dummodo apta ad excitandam fidem, sufficere ad Sacramenta conferenda: qui pariter error ex primo profluit, nam si nullum aliud est munus verborum Sacramentalium nisi excitandi fidem, dummodo hæc fides excitetur, quæcumque verba sufficient.

Catholici è contra docent verba Sacramentalia, quæ formam constituunt, esse consecratoria, nec requiri aut ad valorem aut ad fructum, ut sint concionalia, aut promissoria in sensu Hæreticorum. Scilicet quamvis non renuant verba Sacramentalia ut plurimum excitare in suscipientibus fidem aliquam vel spem de justificatione (sicuti nec negant expedire, ut adulti ante susceptionem Sacramentorum instruantur circa illorum valorem & fructum) volunt tamen hæc verba non constituere Sacramentum ut concionatoria vel promi

miſſorii, ſeu quatenus excitant fidem, ſed quatenus materiam conſecrant, illamque reddunt aptam ad gratiam producendam. Secundo dicunt hæc verba ad eſſentiam Sacramenti pertinere, & ut partes cum materia Sacramentum conſtituere. Tertio dicunt verba hæc eſſe determinatam formulam a Chriſto præſcriptam, & quamlibet aliam eſſe inſufficientem, Juxta hæc ſit.

Assertio prima. *Aliqua verba ſpectant ad eſſentiam Sacramentorum.*

Prob. ex praxi Eccleſiæ, quæ ita ſemper verba adhibuit in collatione Sacramentorum, ut invalida exiſtimaverit Sacramenta ſine verbis collata. Præterea Eccleſia invalida exiſtimavit Sacramenta collata ſub forma illegitima, ut conſtat de Baptiſmate collato a Paulianiſtis non baptizantibus in nomine Patris & Filii & Spiritus S.: hic enim Baptiſmus fuit in Nicæno I. (a) reprobatus, cum è contra Baptiſmus collatus ab aliis Hæreticis formam non vitiantibus, fuerit ſemper approbatus, ut fuit approbatus in Arelatenſi I. (b) Baptiſmus collatus ab Arianis: ex quo patet Baptiſma Paulianiſtarum ob defectum formæ fuiſſe reprobatum. Agnovit ergo Eccleſia formam baptiſmalem ut aliquid eſſentiale Baptiſmo, ſecus enim Baptiſma Paulianiſtarum fuiſſet quidem illicitum, ſed non invalidum. Quod autem de Baptiſmo valet, debet de omnibus aliis Sacramentis ob paritatem rationis valere. Ergo &c.

Prob. ex Patribus. S. Auguſtinus (c) loquens de Baptiſmo hæc habet (omnibus aliis Sacramentis proportionaliter juxta dicta adaptanda): *Detrahe verbum, & quid eſt aqua, niſi aqua? accedit verbum ad elementum & fit Sacrumentum, . . . , Unde iſta tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo? . . , mundatio nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, niſi adderetur in verbo.* Et alibi (d) inquit: *Illæ ſil-*

(a) *Can.* 19. (b) *Can.* 8. (c) *Tract.* 8. *in Joan.*
(d) *Lib.* 19. *contr. Fauſt. cap* 16.

labe celeriter ſonantes & tranſeuntes . . . niſi dicantur, non conſecratur (Baptiſmus). Rurſus: (a) *Deus adeſt evangelicis verbis ſuis, ſine quibus Baptiſmus Chriſti conſecrari non poteſt.* Ergo &c.

Assertio secunda. *Verba, quæ ſpectant ad eſſentiam Sacramentorum, ſunt determinata.*

Prob. ex praxi Eccleſiæ, quæ ſemper certam & determinatam formulam adhibuit in Sacramentorum confectione, & ſi quando aliam ſubſtantialiter ab ea diverſam adhibitam cognovit, invalidum exiſtimavit Sacramentum ſub ea collatum. Circa hanc praxim videantur quæ infra dicentur.

Prob. ex S. Auguſtino, qui inquit: (b) *Certa illa evangelica verba, ſine quibus Baptiſmus non poteſt conſecrari, tantum valent, ut per illa ſic evacuentur quæcumque contra fidei regulam in prece vitioſa dicuntur, quemadmodum Dæmonium Chriſti nomine excluditur.* Ergo &c.

Assertio tertia. *Verba hæc vim non habent ut concionatoria, aut promiſſoria.*

Prob., omnibus aliis omiſſis, quia alias fruſtraneum eſſet Baptiſma parvulorum; (& tamen Lutherani & Calviniſtæ ut fructuoſum admittunt) nam verba Sacramentalia non poſſunt eſſe reſpectu iſtorum concinatoria aut promiſſoria ſenſu ab ipſis intellecto, quatenus ſcilicet valeant excitare in his parvulis fidem. Ergo &c.

Reſpondet Lutherus parvulos in actu Baptiſmi percipere ſacram cæremoniam ob uſum rationis, quem Deus tunc illis concedit. Calvinus vero reſpondet verba Sacramentalia pro tunc quidem in pueris non excitare fidem, ſed excitatura poſtea, cum ad uſum rationis pervenerint: tunc auem excitare fidem ſaltem in adſtantibus. Sed

Contra I. potius cæteroquin irridendum, quam confutandum, ſtat manifeſte Auguſtinus, qui examinans quomodo parvuli, qui dum baptizantur vocibus & motibus corporis reluctantur Baptiſmo, non peccent, inquit: (c) *Unde? . . . niſi quia in*

(a) *Lib. 6. de Bapt. cap.* 25.
(b) *Lib. 6. de Bapt. cap.* 25.
(c) *Ep.* 187. *olim.* 57. *cap.* 7.

tantum nesciunt quid faciunt, ut nec facere judicentur. Porro si jam uterentur rationis & voluntatis arbitrio, quo illi sanctificationi adhiberi deberet assensus, quantum mali esset resistere tantæ gratiæ, quamque non solum nihil prodesset quod fieret, verum etiam inde reatus adcresceret, quis Christianus ignoret? & alibi (a) *Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut . . . mundet infantem quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem.*

Contra II. stat primo, quod fieri potest, ut infans ad usum rationis non perveniat, quo casu nullam fidem hauriet ex verbis Sacramentalibus, & tamen nullus dicet ipsum, cum baptizatus fuit, non fuisse mundatum. Rursus ex supra probatis non minus est de essentia Sacramenti applicatio materiæ, quam prolatio verborum. Si ergo hæc produceret effectum, quatenus excitaret in suscipiente fidem, jam ita se haberet. E. G. ad Baptismum & ablutio pueri facta per aquam, & excitatio fidei facta per verba. Porro fingamus non ita applicari puero aquam, ut eum revera hic & nunc abluat, tunc Sacramentum nullum est. Nullum igitur a pari est Sacramentum, si prolatio verborum hic & nunc non excitet in puero fidem, quod tamen Calvinus non admittit. Ergo &c. Alterum, quod ipse adjungit, magis etiam est ineptum: non enim Sacramenta conficiuntur propter adstantes, sed propter suscipientes. Quid igitur conferre debet ad validitatem Sacramenti fides excitata in adstantibus? Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. I. Christus Apostolos alloquens ait: (b) *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S., docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis*. Verbum ergo, quod præcipitur in collatione Baptismi, est tantum concionale, & instructionis.

II. Verbum Sacramentale profecto illud est, de quo Apostolus ait: (c) *Mundans eam* (Eccle-

(a) *Tract.* 80. *in Joan.* (b) *Matt.* 28.
(c) *Ephes.* 5.

siam) *lavacro aquæ in verbo vitæ*. Atqui illud est solum instructio juxta D. Hieronymum, qui illum locum interpretatur: *Ut eam sanctificet verbo doctrinæ*. Ergo &c.

Ad I. R. & nos concedere, quod Baptismo debet respectu adultorum præmitti instructio pro fide & moribus: sed hæc instructio non est verbum Sacramentale, de quo hic ert quæstio, nam hoc consistit in illis: *Ego te baptizo &c.* Quod clarius etiam ex sequenti responsione patebit.

Ad II. R. per *verbum vitæ* Patres communiter intelligere invocationem SS. Trinitatis in forma baptismali contentam. Ita Theodoretus inquiens: (a) *Mundans lavacro aquæ in verbo, pro eo quod est in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Ita Chrysostomus inquiens. (b) *In verbo quonam? In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.*: quibus similia habet Theophilactus inquiens: (c) *Purificavit lavacro aquæ, hoc est in Baptismi verbo & vitæ, Patris scilicet & Filii, & Spiritus S. nomine: purgavit lavacro aquæ, idest Baptismate. In verbo quali? In Nomine Patris & Filii & Spiritus S.*. Hieronymus autem locum hunc non litteraliter, sed tropologice est interpretatus, & respiciens ad illud Apostoli: *Viri diligite uxores vestras*, per *viros* animas, per *uxores* corpora intellexit, atque animam hortatus est, ut corpus suum diligat, & verbo doctrinæ a peccatis emundet. En ejus verba: (d) *Quia secundum tropologiam viros animas & uxores corpora dixeramus, sic diligat anima carnem, quomodo Christus Ecclesiam, ut semetipsam tradat pro salute ipsius, & eam sanctificet verbo doctrinæ*. Ubi, ut patet, non loquitur præcise de mundatione, quæ fit per Baptismum, sed generaliter de quacunque purgatione, quæ suo modo fieri potest per verbum Dei. Ergo &c.

Obj. ex Patribus. I. S. Ambrosius ait: (e) *Aqua sine prædicatione Dominicæ crucis ad nullos usus futuræ salutis est: Cum vero salutaris fuerit cru-*

(a) *In illum loc.* (b) *in illum loc.* (c) *in illum loc.*
(d) *in illum loc.* (e) *De Myster. Cap.* 3.

crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritualis lavacri, & salutaris populi temperatur. Sicut ergo in illum fontem Moyses misit lignum . . . ita & in hunc fontem Sacerdos prædicationem Dominicæ crucis mittit, & aqua fit dulcis ad gratiam. Hic docet Ambsosius aquam reddi efficacem per prædicationem, adeoque per verba ut concionatoria. Ergo &c.

II. S. Augustinus explicans illud: *Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis,* inquit (a) *Quare non ait mundi estis propter Baptismum, quo loti estis, sed ait propter verbum, quod locutus sum vobis? nisi quia & in aqua verbum mundat? Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum . . . Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? non quia dicitur, sed quia creditur: nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, ait Apostolus, quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Jesus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, unde in actibus Apostolorum legitur: Fide mundans corda eorum... Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, quo sine dubio, ut mundare possit, consecratur & Baptismus . . Mundatio igitur nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo. Hac verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem. Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait: Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis.* Hic S. Doctor loquitur de verbo sacramentali; nam dicit

(a) *Tract. 80. in Joan.*

sine illo aquam non esse nisi aquam, illo elevari elementum, ut sit Sacramentum, illud mundare &c. At verbum hoc per Augustinum mundat ut concionatorium est; nam mundat ut mundavit verbum a Christo & Apostolis prædicatum: hoc autem mundabat ut concionatorium. Ergo &c. Præterea verbum hoc juxta Augustinum non mundat quia dicitur, sed quia creditur. Ergo mundat ut concionatorium; solum enim ut tale excitat fidem. Ergo &c.

Ad I. varii varia. Continuator Tournely respondet crucem Christi posse prædicari tum verbis, ut predicata est ubique ab Apostolis passio Christi, tum factis & opere, ut contingit cum aliquid fit, quod vel a cruce virtutem suam trahit, vel ejus dignitatem commendat. Cum autem per Baptismum exprimatur vis crucis & passionis Christi, quæ meruit aquæ virtutem sanctificandi, hinc vult hos ritus dici ab Ambrosio prædicationem crucis Christi, & asseri sine ritu baptismali consistente in infusione aquæ, & prolatione formæ, non valere aquam ad salutem. P. Berti respondet S. Ambrosium loqui non de forma Baptismi, sed de benedictione fontis baptismalis; quod probat ex illo: *cum vero salutaris fuerit &c.* Hæc autem benedictio revera fit per prædicationem Dominicæ crucis, nam in precibus, quas fundit Sacerdos in benedictione fontis, exaltatur virtus dominicæ passionis. Quod si objiciatur falsum esse aquam sine benedictione ineptam esse ad Baptismum, cum certum sit quamlibet aquam esse pro ipso sufficientem, respondet Berti S. Ambrosium loqui de usu & consuetudine, non de jure & validitate. Qeælibet ex his responsionibus potest adhiberi.

Ad II. ℟. S. Augustinum ibi agere de omni verbo quo fit mundatio. Cum autem hæc aliquando fiat immediate in Sacramento per formam, aliquando mediate extra ipsum per prædicationem, qua excitantur pii motus, per quos postea mundamur; hinc S. Doctor aliquando agit de forma sacramentali, aliquando de verbo concionali. Agit quidem de forma, cum dicit hoc verbum mundare,

non quia dicitur, sed quia creditur, sed hoc loquendi modo non indicat formam esse debere verbum concionale, indicat solum hanc non mundare prout est nudus sonus materialis, sed vel prout continet mysterium fidei de SS. Trinitate, vel per virtutem illi inditam a Deo, quæ virtus est objectum fidei (quod indicare videtur ipse Ausustinus per sequentia dum ait: *In ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens:*) vel ipsam non mundare, nisi quatenus creditur ab Ecclesia ejus efficacia; si enim hæc ab Ecclesia non crederetur, ipsa non conferret Sacramentum, adeoque non mundaret a peccatis. Recte autem concludit S. Doctor: *Totum hoc* (idest mundatio) *fit per verbum, de quo Dominus ait: Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis*, quia inter illa, quæ docuerat Christus, erat etiam forma Sacramentalis, cujus vi Apostoli fuerant mundati. Et sane per illud, quod ait Augustinus: *Verbum in Baptismo mundare non quia dicitur, sed quia creditur*, ipsum non contendere, quod verbum istud mundet, quatenus excitat fidem in suscipiente, ut contendunt adversarii, patet ex quo infra doceat hoc verbo mundari etiam infantem nondum valentem credere. Non igitur mundat quatenus fidei excitativum. Ergo &c.

Assertio quarta. *Verba jam dicta vim habent in Sacramento ut consecratoria materiæ.*

Prob. momento deducto ex Scripturis & Patribus. Verba sacramentalia aliquando vim habent ut verba ipsa Christi, quibus materia consecratur, ut accidit in Sacramento Altaris, in quo vi illorum in persona Christi prolatorum fit transubstantiatio panis & vini in Corpus & Sanguinem ejusdem Christi: unde S. Ambrosius ait: (a) *Panis iste panis est ante verba sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur adstruamus. Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio autem quibus*

(a) *Lib.* 4. *de Sacram. cap.* 4.

bus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua omnia, quæ dicuntur in superioribus, a Sacerdote dicuntur, laudes Deo deferuntur, oratio petitur pro populo; pro Regibus, pro cæteris: ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus utitur Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Aliquando vero verba sacramentalia vim habent ut invocativa nominis Dei, & sanctificativa materiæ per talem invocationem, ut contingit in aliis Sacramentis. Sane Scriptura dicit homines baptizari in nomine Domini, ut: (a) *Baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus S.*, quod idem indicat Paulus, dum ait: (b) *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Baptizari autem in nomine Trinitatis importat invocationem nominis Trinitatis, ut patet ex similibus locis, E. G. ex illo: (c) *Nonne .... in nomine tuo Dæmonia ejecimus:* & alibi: (d) *In nomine Jesu Christi surge & ambula:* ubi illud *in nomine* solum importat invocationem. Invocatione autem Domini materiam sanctificari docent Patres, ut Cyrillus asserens (e) *aquam simplicem per S. Spiritus, Christi, & Patris invocationem sanctitatem consequi:* & Augustinus (f) ubi ait: *Non est aqua prophana & adultera, super quam invocatur nomen Domini, etiamsi a prophanis & adulteris invocetur, quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen adulterum est. Baptismus vero Christi verbis evangelicis consecratur & per adulteros & in adulteris sanctus est.* Quod autem de Baptismo valet, etiam de aliis Sacramentis proportionaliter valere debet. Ergo &c.

AR-

(a) *Matt.* 28. (b) 1. *Cor:* 1 (c) *Matt.* 7.
(d) *Act.* 3. (e) *Cathech.* 3.
(f) *Lib.* 3. *de Bapt. contr. Donat. cap.* 10.

ARTICULUS QUARTUS.

Sed jam reliqua expediantur ad materiam & formam Sacramentorum spectantia.

Cum itaque materia & forma Sacramentorum fuerint a Christo vel in genere vel in specie determinata, patet hæc mutari non posse. Sed notandum mutationem materiæ & formæ esse posse vel *substantialem*, vel *accidentalem*. Substantialis habetur, cum materia, quæ adhibetur ab ea, quam Christus instituit & Ecclesia adhibet, distinguitur specie moraliter, ita ut in communi hominum existimatione diversum ab ea nomen & usum habeat. Variatur ergo materia substantialiter, si E. G. in Baptismo pro aqua adhibeatur vinum, quia hoc ab illa moraliter (& etiam physice) specie differt: vel si adhibeatur aqua congelata, nam hæc ab aqua liquida si non specie physica, differt tamen specie morali, & in ratione signi, quia diversum ab illa nomen & usum obtinet, nec est apta ad abluendum, quod tamen ad rationem signi in Baptismo requiritur. Ob id etiam quamvis massa farinæ subactæ adhuc crudæ fortasse in specie physica conveniat cum pane, quia tamen moraliter non convenit, usus talis materiæ in conficienda Eucharistia erit variatio substantialis. Mutatio vero tantum accidentalis tunc habetur, cum materia, quæ adhibetur, est moraliter ejusdem speciei cum ea, quam Christus instituit, & adhibet Ecclesia, & solum in aliquo accidentali ab Ecclesiæ præscripto discrepat, ut esset si Sacerdos latinus consecraret in fermentato.

Mutatio formæ substantialis habetur, cum sensus in morali existimatione est diversus ab eo, quem Christus instituit, ut si conferendo Baptisma quis diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii, & Spiritus S.* Est vero tantum accidentalis, si moraliter perseveret idem sensus, solum autem aliquatenus alteretur, ut si quis baptizando diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, qui incarnatus est, & Spiritus S.* Ubi noto mutationem formæ esse tantum accidentalem in his casibus primo,

si

si proferatur diverso idiomate ab eo, quod solet adhiberi, ut E. G. si forma baptismatis proferatur italo, vel gallico idiomate: secundo si aliquid addatur, vel detrahatur, vel transponatur, dummodo tamen perseveret debitus verborum sensus, ut si quis in exemplo supra adducto ad vocem *Filii* adderet: *qui incarnatus est*, vel in forma Eucharistiæ omitteret particulam *enim*, vel in eadem forma pro eo quod diceret: *hoc est corpus meum*, diceret *hoc est meum corpus*: tertio si adsit interruptio inter unum verbum & aliud, sive etiam inter unam syllabam & alteram ejusdem verbi, dummodo tamen interruptio sit tam brevis, ut moraliter sit eadem oratio continuata, ut si E. G. dum quis baptizat, diceret *ego te baptizo*, deinde adderet: *hæc aqua est nimis frigida*, postea prosequeretur: *in nomine Patris &c.*, vel diceret *ego te bap.*, deinde brevi habita oscitatione prosequeretur *-tizo in nomine Patris &c.*: quarto si ex imperitia linguæ latinæ, vel ex balbutio, vel alio simili motivo verba corrupte pronuncientur, dummodo tamen ita pronuncientur, ut ex circumstantiis cognoscatur debitus illorum sensus: talis fuit adhibita a rudi baptizante, qui dixit: *Ego te baptizo in nomine Patria & Filia & Spiritua Sancta*, quam formam ut validam approbavit Zacharias Papa (a). Quinto, si pro uno verbo aliud substituatur idem significans, ut si pro *baptizo* diceret quis *abluo*. Quod tamen est intelligendum dummodo distincte vox substituta idem significet ac prior, nam si confuse tantum idem significaret, mutatio posset esse substantialis, ut si loco illorum verborum: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.*, diceretur: *Ego te baptizo in nomine Trinitatis*, tunc enim mutatio esset substantialis, ut etiam ex professo probabitur ubi de Baptismo. Extra hos & similes casus mutatio formæ erit substantialis.

Si

(a) *Cap.* retulerunt *de Cons. dist.* 4.

Si igitur mutatio materiæ vel formæ sit substantialis, irritum est Sacramentum, & Minister semper per se peccat lethaliter ob irreverentiam in Sacramentum. Si autem sit tantum accidentalis, irritum non est Sacramentum, Minister tamen peccat, & quidem mortaliter, si mutatio sit notabilis, si quamvis levis, fiat ex contemptu, vel ex animo inducendi ritum contrarium ritui Ecclesiæ &c. Secus peccat tantum venialiter.

Dictum est irritum fore Sacramentum, *si mutatio materiæ vel formæ sit substantialis*, quod tamen explicatione indiget; potest enim E. G. mutatio esse substantialis in forma, quin irritum sit Sacramentum, si nempe hæc mutatio accedat, cum jam Sacramentum completum est, nec desit intentio debita in Ministro. Pro qua re suppone Macedonianum (negantem divinitatem Spiritus S.) baptizaturum puerum habere intentionem faciendi quod Christus instituit, & sub tali intentione baptizare utendo hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus S. ab utroque creati*. In hac hypothesi forma, ut patet, est variata substantialiter, sed tamen Baptismus probabilius est validus, nam additio illam falsificans habetur, cum jam Sacramentum consummatum est, consummatur enim in fine verbi *Spiritus S.*, unde hæc additio est ipso Sacramento posterior: intentio autem Ministri, ut supponitur, est sufficiens, cum ipse absolute velit ponere Sacramentum, ut Christus instituit, & intentio hæc ipsum determinet, ut per additionem illam erroneam tantum velit exprimere errorem suum speculativum, qui, ut infra dicam, non officit valori Sacramentorum: unde, in hypothesi sensus formæ hic est: *Ego te baptizo in nomine veri Patris, veri Filii, & veri Spiritus S., quem ego puto creaturam*. Secus contingeret, si hic non haberet absolutam intentionem baptizandi, ut Christus instituit, sed haberet tantum intentionem conditionatam, & quidem dependentem ab errore: secus etiam si additio falsificans esset in medio formæ, vel in principio, nam tunc, etiam non obstante debita intentione, falsificaret illam, cum nondum com-

completum est Sacramentum, adeoque impediret illius validitatem.

Addendum licere aliquando in Sacramentis uti forma conditionata. Hujus quidem formæ exempla non occurrunt nisi post septimum sæculum; antea enim, si quando repetendum erat Sacramentum ob prudens dubium, dicebatur repetendum absolute. At usus postea invaluit data causa rationabili adhibendi formam conditionatam, quem usum confirmavit Alexander III. docens (a) illos, quorum est dubius Baptismus, baptizandos sub hac formula: *Si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo &c.* Licet autem possit adhiberi forma conditionata, immo & debeat aliquando, non tamen potest adhiberi, nisi cum adest necessitas conferendi Sacramentum, & adsunt validæ rationes impedientes usum formæ absolutæ.

Ad validitatem Sacramentorum requiritur, ut materia & forma simul existant. At cum diversæ inter se rationes sint Sacramentorum, diversa quoque est simultas materiæ & formæ, quæ in singulis Sacramentis requiritur. Itaque in Baptismo, Confirmatione, extrema Unctione, & Ordine talis requiritur simultas materiæ & formæ, ut dum Minister verba profert, vere dicatur abluere, ungere &c.; sicque in his admodum modica materiæ & formæ disjunctio admitti potest. In Eucharistia talis materiæ & formæ coexistentia admitti debet, ut verificetur pronomen *hoc* & *hic:* adeoque nedum necesse est, ut materia existat eodem tempore ac forma, sed sit etiam actu præsens consecranti. At Sacramentum Pœnitentiæ, quod institutum est per modum judicii, talem solum requirit materiæ & formæ simultatem, ut idem judicium perseverare & per sententiam perfici moraliter existimetur. Tandem in Matrimonio, quod de natura contractus participat, sufficit, ut quomodo contingit in aliis contra-

(a) *Cap.* de quibus *de Baptis.*

tractibus, consensus unius accedat ad consensum alterius, cum hic censetur moraliter perseverare.

CAPUT SECUDDUM.

De numero Sacramentorum novæ legis, & eorumdem ordine inter sese.

DIvisionem capitis desumo ex titulo. Sit ergo

ARTICULUS PRIMUS.

Noto 1. certum esse de fide Sacramenta novæ legis nec plura esse nec pauciora quam septem.

Noto 2. plures esse errores Hæreticorum præsertim recentiorum circa numerum Sacramentorum. Ut enim omittam Schvenfeldianos, qui omnia Sacramenta rejiciebant, Lutherus prius Baptismum tantum admisit, cui postea addidit Eucharistiam, & mox Pœnitentiam, quam tandem rejecit, sicque ad duo tantum redegit Sacramenta, idest ad Baptismum & Eucharistiam. Qui postea subsecuti sunt Hæretici aliquando plura, aliquando pauciora Sacramenta admisere, sed communius statuerunt tantum duo recensita.

Noto 3. me hic generalibus tantum rationibus probaturum septenarium numerum Sacramentorum, quæ enim spectant ad vindicandam singulis rationem Sacramenti dabuntur, cum in Tractatu de Sacramentis in specie de singulis erit sermo.

Assertio. *Sacramenta novæ legis nec plura sunt, nec pauciora quam septem.*

Probatur ex sensu & traditione Ecclesiæ. In Florentino enim dicitur: (a) *Novæ legis septem sunt Sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium:* & in Tridentino: (b) *Si quis di-*

(a) *In instruct. Arm.*
(b) *Sess. 7. Can. 1.*

dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto inſtituta, aut eſſe plura vel pauciora quam ſeptem, videlicet Baptiſmus &c., aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe vere & proprie Sacramentum, anathema ſit. Rurſus traditionis Eccleſiæ quoad hoc caput habemus teſtes illuſtres uſque a ſæculo 12 Petrum Lombardum, & Ugonem Victorinum, & a ſæculo 13 Lucam Tudenſem. Habemus etiam pro hac traditione vetuſtiſſima Ritualia tum latina, tum græca, quorum pleraque edidit Goartius, & collegit Martene, & quæ ſingulorum Sacramentorum præſcribunt ritus. Nec in hunc numerum conveniunt ſoli Græci Eccleſiæ Romanæ addicti, ſed etiam Græci Schiſmatici, ut patet ex Jeremia Patriarcha Conſtantinopolitano, qui docet (a) *ſeptem divina Sacramenta eſſe*, quæ ſingillatim enumerat, ut nos enumeramus & concludit: *Hæc igitur ſunt Eccleſiæ Dei Sacramenta, totque numero, hoc modo & ratione, quod dictum eſt, nobis tradita*. Patet etiam ex libro Gabrielis Philadelphienſis Metropolitæ *de Sacramento Pœnitentiæ*, (b) ubi jubetur Sacerdos interrogare pœnitentem, *num dubitet de ſeptem Sacramentis*: & ex actis Concilii Conſtantinopolitani a Parthenio Epiſcopo Conſtantinopolitano celebrati anno 1642. (c) ubi enumeratis quinque Sacramentis, quæ communius, ut dictum eſt, a Sectariis rejiciuntur, definitur, *hæc etiam ut ſanctam & divinam gratiam conferentia ab antiqua traditione eſſe relicta*. Ergo &c.

Juvat etiam hic afferre congruentiam, quæ pro ſeptenario Sacramentorum numero ab aliquibus affertur, & eſt. Ita providet Deus per Sacramenta vitæ hominum ſpirituali, ut per naturam providet illorum vitæ corporali. Huic autem ſeptem modis providet; nam providet quæ pertinent primo ad na-

(a) *In Reſcrip. ad Confeſs. Auguſtanam ipſi exhibitam anno* 1576. (b) *Apud Morin. in append. ad Com. de Sacr. Ord.* (c) *Apud Labbè tom.* 2.

nativitatem, secundo ad augmentum, tertio ad alimenta, quarto ad sanitatem post morbos recuperandam, quinto ad reficiendam imbecillitatem ex morbo relictam, sexto ad externum regimen in republica, septimo ad propagationem speciei. Pariter ergo septem modis providere debuit Deus vitæ hominum spirituali, & de facto providit: nam primo per Baptismum spiritualiter renascimur: secundo per Confirmationem in vita spirituali roboramur: tertio per Eucharistiam alimur: quarto per Pœnitentiam amissam sanitatem recuperamus; quinto per extremam Unctionem reliquias peccatorum tollimus: sexto per Ordinem spirituales Magistratus in Ecclesia constituuntur: septimo per Matrimonium conservationi Christianæ reipublicæ, & Dei cultoribus procreandis consulitur.

Ad probandum tamen Sacramenta esse pauciora, quam septem.

Obj. ex Patribus. I. Apud hos nunquam reperitur expressus numerus septenarius Sacramentorum. Ergo &c.

II. Sacramenta profluxerunt è latere Christi occisi: ex hoc autem nonnisi Eucharistia & Baptismus profluxerunt, ut testantur Patres in aqua & sanguine, quæ ab eodem latere exierunt, agnoscentes denotatum Baptisma & Eucharistiam. Ergo &c.

Ad I. ℟. Patres nullibi expresse meminisse septenarii Sacramentorum numeri, quia summopere cavebant, ne claram mysteriorum religionis nostræ ideam scriptis consignarent, ad evitandam insipientium Gentilium irrisionem: subinde tamen vel hujus, vel illius Sacramenti mentionem fecerunt, nec unquam alios excluserunt. Ergo &c.

Ad II. ℟. prænotando hoc, quod Sacramenta e latere Christi occisi profluxerint, ita tantum esse accipiendum, vel ut vulnus Christi occisi fuerit veluti complementum passionis ejusdem Christi, ex qua Sacramenta vim acceperunt: vel ut per sanguinem & aquam, quæ ex latere Christi occisi exierunt, præfigurata sint Sacramenta: vel ut, sicuti ex latere Adami dormientis educta est ipsius sponsa Eva, ita e latere Christi in cruce dormientis

tis efformata sit Ecclesia Christi sponsa, quæ Sacramentis fulcitur & adjuvatur. His positis dico nedum Eucharistiam & Baptismum, sed etiam omnia alia Sacramenta è latere Christi modis explicatis profluxisse, quamvis non omnia æque expresse fuerint tunc præfigurata; expressius enim aliis fuerunt præfigurata Baptismus & Eucharistia, sed per hæc alia quoque figurata sunt, per Baptismum quidem, quatenus hic est janua omnium aliorum, per Eucharistiam vero, quatenus est Sacramentum omnium nobilissimum, & veluti complementum totius cultus divini. Addo non omnes Patres convenire in hoc, quod per aquam & sanguinem expressa sint Baptisma, & Eucharistia, quamvis enim pro hac significatione stent Chrysostomus, Damascenus, Cyrillus Alexandrinus, aliique; S. tamen Cyrillus Hierosolymitanus (a), & S. Hieronymus (b) intelligunt duo Baptismata alterum sanguinis, alterum aquæ: S. Ambrosius (c) per sanguinem intelligit pretium redemptionis, per aquam illius applicationem, quæ fit in Baptismo. Ergo &c.

Ad probandum Sacramenta esse plura, quam septem

Obj. ex Scripturis & Patribus. Lotio pedum est verum Sacramentum. Ergo &c. Prob. antecedens; nam hæc est signum sensibile, ut patet, continet promissionem gratiæ, ut constat ex illo Christi ad Petrum (d): *Si non lavero te, non habebis partem mecum:* habetur de illa præceptum, ut constat ex illis (e) *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos facietis:* continet tandem mysticam significationem, ut constat ex illis (f): *Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea.* Quod idem innuunt Patres; nam S. Ambrosius (g) ipsam

(a) *Cathec*, 3. (b) *Epist.* 69. *ad Ocean. al.* 83.
(c) *Lib.* 10. *in Luc. n.* 135 (d) *Jo.* 13.
(e) *Ibidem*. (f) *Ibidem*.
(g) *Lib.* 3. *de Sacr. Cap.* 1. *n.* 5.

ipsam dicit mysterium, quo nomine apud veteres plerumque Sacramenta significantur: & docet per lotionem pedum causari mundationem a peccatis: inquit enim: *Audi quia mysterium est & sanctificatio: nisi lavero tibi pedes, non habebis partem mecum*: & infra: *In Baptismate omnis culpa diluitur, recedit ergo culpa: sed quia Adam supplantatus est a Diabolo, & venenum ei effusum est supra pedes, ideo lavas pedes, ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis*: & alibi (a) *Ideo planta ejus* (Petri) *abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur; nostra enim propria per Baptismum relaxantur*. S. etiam Bernardus (b) postquam dixerat Sacramenta fuisse instituta a Christo, ut nobis daret gratiam, subdit: *Ad hæc ubique instituta sunt omnia Sacramenta, ad hoc Eucharistiæ participatio, ad hoc pedum ablutio, ad hoc denique ipse Baptismus*: & infra: *Ut de remissione quotidianorum minime dubitemus, habemus ejus Sacramentum pedum ablutionem*. Deinde, ut ulterius probet ablutionem pedum veram habere rationem Sacramenti, subdit: *Vis autem nosse, quia pro Sacramento illud est, non pro solo exemplo factum? Illud attende, quod Petro dictum est: Si non lavero te non habebis partem mecum. Aliquid igitur latet, quod necessarium est ad salutem, quando sine eo nec ipse Petrus partem haberet in regno Christi & Dei . . . . & unde scimus quia ad abluenda peccata, quæ non sunt ad mortem, & a quibus plane cavere non possumus ante mortem, ablutio ista pertineat? ex eo plane quod offerenti manus & caput pariter ad abluendum, responsum est: qui lotus est non indiget, nisi ut pedes lavet*. Ergo &c.

℞. Lotionem pedum non esse Sacramentum proprie tale; nam nulla in eo habetur promissio gra-

---

(a) *Lib. de Myst. Cap. 6.*
(b) *Serm. 1. de Cœna Dom.*

tiæ, nulla stabilis illius institutio, nulla mystica significatio propria Sacramenti. Sane cum Christus dixit Petro: *si non lavero te non habebis partem mecum*, non indicavit per lotionem conferendam esse Petro gratiam, sed solum vel peccaturum Petrum, si obstitisset Christo volenti absolute illi lavare pedes, vel Petrum non habiturum partem in sumptione Eucharistiæ, nisi in se maximam munditiam curasset, quæ per lotionem pedum significabatur. Pariter per illud: *exemplum dedi vobis &c.*, non adstruit Christus præceptum de lotione pedum sumpta materialiter, sed tantum de ea sumpta mystice, sive de eo, quod per talem lotionem significatur, scilicet tum de munditia, tum de fraterna charitate, tum maxime de humilitate, juxta quod docet Augustinus inquiens (a): *Didicimus fratres humilitatem ab excelso, faciamus invicem humiles, quod humiliter fecit excelsus*: nec aliud præceptum agnoscunt Patres. Ex his patet mysticam significationem lotionis pedum non esse practicam significationem gratiæ ad rationem Sacramenti requisitam: unde cum dixit Christus Petro: *quod ego facio tu nescis modo &c.*, indicavit tantum Petrum tunc rudem in virtutibus non cognoscere excellentiam illius humilitatis, quam Dominus ostendebat, sed postea factum perfectiorem cognosciturum.

S. porro Ambrosius per lotionem pedum intelligit refrænationem concupiscentiæ, quæ etiam dimissis per Baptismum peccatis in homine remanet, & quæ nos assidue ad malum urget: *Cum enim*, inquit S. Doctor, *venenum Diaboli effusum sit super pedes hominis*, idest Diabolus per concupiscentiam hominem moveat ad malum, *necesse est, ut pedes istos lavemus*, idest concupiscentiam conpescamus, & a malo nos retrahamus. Seipsum alibi explicat S. Doctor inquiens; (b) *Lavemus & pedes, ut calcanei lubricum possimus auferre, quo fida*

(a) *Tract.* 58. *in Jo.*
(b) *In Psal.* 48. *n.* 9.

fida statio poſſit eſſe virtutum, & ne paterno quis errore labatur, qui ſuo paratus eſt stare propoſito, & non metuat lubricum hæreditatis, qui cupit veſtigium tenere virtutis: quo poſito optime explicantur objecta ex S. Doctore. Ipſe ſcilicet lotionem pedum appellat *myſterium* ob myſticam ſupra explicatam illius ſignificationem: appellat *ſanctificationem*, quia per lotionem modo adducto explicatam homo refrænans concupiſcentiam vel ſanctificatur, vel in ſanctitate firmatur (ſed ut patet ex opere tantum operantis). Ex his patet ſenſus verborum, quæ ſequuntur; cum enim, juxta S. Ambroſium; *Diabolus effuderit venenum ſuum ſuper pedes*, greſſus ſcilicet hominis per concupiſcentiam fecerit proclives ad malum, neceſſe eſt hos pedes *lavare*, ideſt concupiſcentiam refrænare, *ut accedat majus ſubſidium ſanctificationis*, ut ſcilicet ſanctitatem vel ſemel habitam cuſtodiamus, vel amiſſam recuperemus. Per hæreditaria autem peccata, quæ debent tolli ex pedum lotione, intelligit Ambroſius impulsum concupiſcentiæ ad malum, quem vocat *peccatum hæreditarium*, quia veluti per hæreditatem ex peccato primi parentis in nos fluxit: debet autem tolli hic impulſus, ideſt coerceri modo ſupra explicato. Ergo &c.

Et ſane S. Ambroſius alibi ita loquitur, ut lotionem pedum ad ritum diſciplinæ, non ad verum Sacramentum pertinere indicet: ait enim hanc lotionem ſuo tempore viguiſſe in Eccleſia Mediolanenſi, non in Romana, indicio ſane non fuiſſe agnitam ut verum Sacramentum, alias non fuiſſet ab Eccleſia Romana omiſſa. En ejus verba: (a) *Conſuetudo, quæ rectius ſervatur in Romana Eccleſia de non lavandis pedibus, in Mediolanenſi Eccleſia de ipſis lavandis etiam recte cuſtoditur, tum propter exemplum Christi & Petri, tum ut gratiam virtute humilitatis & Christi imitationis*

C 2 obti-

(a) *Lib.* 3. *de Sacram. Cap.* 1.

obtineat. Ubi etiam videtur S. Doctor tribuere lotioni pedum vim sanctificandi ex opere operantis, seu præcise quatenus est actus virtutis.

S. Bernardus lotionem pedum dixit quidem Sacramentum, sed Sacramentum sumit in ampliore significatione, pro eo scilicet, quod utcumque denotat rem Sacram; per ablutionem enim pedum ipse denotari vult ablationem peccatorum venialium. Mentem suam clarissime exponit S. Doctor per ea, quæ sequuntur; subdit enim: *Lotus est qui gravia peccata non habet, cujus caput, idest intentio, & manus, idest operatio, & conversatio munda est: sed pedes, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati plusquam oportet cedat animus vel ad horam:* & infra: *Nemo perniciosa securitate dormitet declinans in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, quoniam, ut audivit Petrus ab ipso, nisi laverit ea Christus, non habebimus partem cum eo*. Audis Bernardum trahentem lotionem pedum ad mysticam significationem? Rationem igitur Sacramenti late talem in ea agnoscit; sed probari nequit illum in ea agnoscere rationem Sacramenti stricte talis. Recte autem dicit lotionem illam non ad solum exemplum, sed etiam pro Sacramento factam esse, & esse ad salutem necessariam, quia nedum Christus voluit per illam nobis præbere exemplum humilitatis, sed denotare quoque munditiam a peccatis etiam levibus, quæ necessaria est ad salutem, cum nihil coinquinatum ingredi possit regnum cœlorum.

Juxta hanc latam Sacramenti significationem explicari quoque possunt alii Patres vel Doctores, qui inter Sacramenta numerant modo professionem religiosam, modo susceptionem cinerum, modo benedictionem palmarum &c.; hæc enim nomine Sacramenti catenus tantum insigniuntur, quatenus sacrum aliquid significant, vel causant, quamvis ex opere tantum operantis.

Obj.

Ob. ex ratione. Ordo dividitur in varia Sacramenta. Ergo omnia simul Sacramenta sunt plusquam septem. Nec valet respondere, quod Ordines utpote directi ad unum Sacerdotium, sunt tantum Sacramenta partialia, adeoque integrantia unum Sacramentum totale; nam si hoc valeret, posset etiam dici septem communiter admissa esse partialia & integrare unum totale Sacramentum, cum ad unum finem dirigantur, nempe ad sanctificationem animarum, & ad cultum Dei. Hoc non. Ergo nec primum.

℟. salvari septenarium Sacramentorum numerum, etiam admissis pluribus in Ordine Sacramentis; hæc enim sunt tantum partialia integrantia unum totale Sacramentum. *Ordinis divisio*, inquit Angelicus (a); *est totius potestativi, cujus hæc est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius.... Tota enim plenitudo Sacramenti hujus est in uno ordine, scilicet sacerdotio, sed in aliis est quædam participatio ordinis..... & ideo omnes ordines sunt unum Sacramentum*. Nec valet quod subditur; disparitas enim est, quod sanctificatio animarum & cultus Dei sunt fines aliorum Sacramentorum tantum remoti, ut sunt fines omnium aliarum operationum spiritualium, & ad hos fines alia Sacramenta tendunt per rationes proxime inter se non subordinatas: Ordinum vero omnium idem est finis etiam proximus, nempe reddere hominem idoneum Eucharistiæ Ministrum, & ad hunc finem omnes Ordines tendunt per rationes proxime inter se subordinatas. Ergo &c.

ARTICULUS SECUNDUS.

Ad aliud modo initio capitis propositum transeundo, nimirum quinam sit ordo Sacramentorum inter sese, dico posse spectari ordinem vel dignita-

(a) *In Suppl. 3. p. quæst. 37. artic. 1. ad 2.*

tis, vel necessitatis, vel naturæ, quem etiam dicere possumus enumerationis. Ordinem aliquem dignitatis inter Sacramenta reperiri constat ex Tridentino ita definiente: (a) *Si quis dixerit hæc septem Sacramenta esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit*. Ordinem pariter necessitatis in illis esse admittendum constat ex eodem Tridentino dicente (b): *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua . . . . licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit*. Esse tandem admittendum ordinem naturæ seu enumerationis constat ex quo non omnia eodem modo se habent ad vitam spiritualem, sed unum proximius, alterum minus proxime. His positis

Ut prius de ordine dignitatis dicam, placet cum Juvenin sic distinguere. Dignitas Sacramentorum potest considerari vel quoad substantiam ipsorum, vel quoad ministerium, vel quoad effectnm, vel quoad significationem. Quoad substantiam omnibus aliis dignior est Eucharistia, cum nedum gratiam, sed & gratiæ auctorem contineat. Quoad ministerium Ordo est dignior, cum a solo Episcopo possit conferri, omnia vero alia etiam a simplici sacerdote saltem extraordinarie conferri possint. Quoad effectum omnibus aliis præstat Baptismus, Pœnitentia, & Confirmatio; nam primus delet omnem culpam & pœnam, quod a nullo alio Sacramento præstatur; secunda delet omnia peccata post Baptismum commissa, quod nullum aliud Sacramentum per se præstat: tertia dat jus ad gratiam pro confitenda etiam publice & cum periculo vitæ fide, adeoque est ipsi fidei glorisior omnibus aliis Sacramentis. Tandem quoad significationem, omnibus aliis præcellit Matrimonium; nam hoc significat unionem Christi cum Ecclesia.

Quod

(a) *Sess. 7. Can. 3.*
(b) *Ibidem Can. 4.*

Quod spectat ad ordinem necessitatis, distinguenda est necessitas relate ad totam Ecclesiam a necessitate relate ad singulos fideles. Priori necessitate omnibus aliis præcellunt Baptismus, Ordo, & Matrimonium: primus quidem quatenus est Ecclesiæ janua, & conditio necessaria ad constituendam Ecclesiam: secundus quatenus per hunc disponuntur Ecclesiæ rectores: tertium vero quatenus per illud producuntur subjecta apta ad constituendam ipsam Ecclesiam. Posteriori necessitate omnia alia antecedit Baptismus, utpote qui singulis hominibus est necessarius necessitate medii: sequitur Pœnitentia, quæ est necessaria necessitate medii adultis post Baptismum lapsis in lethale; tandem veniunt, quæ solum sunt necessaria necessitate præcepti, ut est Eucharistia. Reliqua singulis nullo modo necessaria, ut E. G. Ordo, Matrimonium, ad hanc classem vel non pertinent, vel ad ultimum locum sunt referenda.

Quod tandem spectat ad ordinem naturæ seu enumerationis, ita procedit S. Thomas. Sicuti unum est prius multitudine, ita primo debent poni Sacramenta, quæ ad unius personæ, postea quæ ad multitudinis perfectionem ordinantur. Ad primam igitur classem spectant Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, & extrema Unctio: ad secundam Ordo & Matrimonium. Sed rursus inter illa, quæ ordinantur ad perfectionem unius personæ, prius poni debent quæ per se ordinantur ad perfectionem vitæ spiritualis, postea quæ tantum per accidens, scilicet quæ ordinantur tantum ad tollendum impedimentum superveniens. Prius ergo debent poni Baptisma, Confirmatio, & Eucharistia, quorum prius ad productionem vitæ spiritualis, alia ad augmentum & nutritionem per se ordinantur: postea Pœnitentia & extrema Unctio, quarum prior ordinatur ad vitam deperditam recuperandam, altera ad tollendas reliquias peccatorum. En igitur tres classes Sacramentorum: prima continet Baptismum, Confirmationem, & Eucharistiam: secunda continet Pœnitentiam & extremam Unctionem: tertia Ordinem & Matrimonium. In

prima classe præcedit Baptismus, qui est initium vitæ spiritualis, sequitur Confirmatio, quæ ordinatur ad perfectionem virtutis eidem vitæ respondentis, & tandem Eucharistia, quæ ordinatur ad perfectionem finis ejusdem vitæ spiritualis. In secunda classe præcedit Pœnitentia, quæ inchoat sanationem, sequitur extrema Unctio, quæ sanationem perficit. In tertia tandem præcedit Ordo, quia magis proxime se habet ad vitam spiritualem, sequitur Matrimonium, quod minus proxime se habet. Ita Angelicus, & quidem egregie, ut solet.

DISSERTATIO III.

De iis, quæ extrinſece ſpectant ad Sacramenta novæ legis.

EXtrinseca sunt Sacramentis illorum auctor, minister, suscipiens, & effectus. De his ergo hac dissertatione agendum, quam proinde in quatuor capita divido. In 1. agam de auctore Sacramentorum, in 2. de illorum ministro, in 3. de suscipiente, in 4. de effectibus.

CAPUT PRIMUM.

De auctore Sacramentorum novæ legis.

EXaminabo hic 1. quinam sit hic auctor: 2. an sit de fide Christum esse institutorem immediatum omnium Sacramentorum.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto 1. aliam hic esse quæstionem de facto, aliam de possibili. Circa hanc postremam infra. Circa primam certum est auctorem præcipuum Sacramentorum esse Deum, utpote qui virtute pro-

pria

pria & independente Sacramentis dedit virtutem sanctificandi: consequenter illorum auctor præcipuus erit etiam Christus qua Deus.

Noto 2. certum etiam esse Christum qua hominem Sacramentorum auctorem dici debere, cum ut talis docuerit nos Sacramenta, illorum materiam & formam determinaverit, jusserit ut iisdem uteremur, & nobis meruerit sanctificativam in illis virtutem. Est tamen Christus ut homo auctor minus principalis, cum influxus per jam dicta importatus sit minor influxu Deitatis, quæ gratiæ principalis est auctrix.

Noto 3. aliquos antiquos (concedentes cæteroquin omnia Sacramenta a Christo instituta fuisse) contendisse non omnia Sacramenta fuisse ab illo instituta immediate. Dixerunt scilicet Christum dedisse Apostolis & Ecclesiæ auctoritatem instituendi Sacramenta, qua auctoritate dicebant ipsam usam, & quædam Sacramenta instituisse, quæ, ut patet, dicenda essent instituta immediate ab Ecclesia, a Christo autem tantum mediate. Ita Ugo Victorinus, & Magister Sententiarum docuerunt extremam Unctionem fuisse a S. Jacobo institutam: Alensis, & S. Bonaventura docuerunt Confirmationem fuisse institutam in Concilio Meldensi. Contra hos sit

Assertio. *Omnia Sacramenta fuerunt a Christo immediate instituta.*

Prob. ex Tridentino quod ait: (a) *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta... anathema sit*: ubi subintelligitur *immediate*; nam si per alios tantum Sacramenta Christus instituisset, ut volunt adversarii, non diceretur simpliciter ea instituisse, quomodo non dicitur instituisse Sacramentalia, quia dedit Ecclesiæ potestatem ea instituendi. Rursus Tridentinum (b) loquens de extrema Unctio-

(a) *Sess. 7. can. 1.* (b) *Sess. 14. cap. 1.*

ctione, de qua maxime posset dubitari, utrum fuerit a Christo immediate instituta nec ne, dicit *illam, vere & proprie Sacramentum esse a Christo institutum, & a B. Jacobo Apostolo promulgatum*. Si ergo Apostolis tribuit tantum promulgationem, jam illos non agnoscit ut institutores, & consequenter agnoscit institutorem solum Christum, qui proinde dicendus est institutor immediatus. Ergo a pari, imo a fortiori idem dicendum de aliis Sacramentis. Tandem idem Concilium agnoscit in Ecclesia potestatem varia statuendi & mutandi circa Sacramentorum administrationem salva tamen illorum substantia (verba supra dedi). Si autem ex Tridentino in Ecclesia non est potestas mutandi Sacramenta quoad substantiam, nec erit potestas quoad substantiam instituendi, cum eadem sit ratio institutionis, & mutationis. Ergo &c.

Prob. ex Patribus. Hi ex una parte ita faciunt Christum Sacramentorum auctorem, ut videantur omnes alios excludere. Ita S. Ambrosius inquiens: (a) *Auctor Sacramentorum quis est nisi Dominus Jesus?* ex alia per 12. priora sæcula nunquam alterius institutoris Sacramentorum Patres meminerunt, nisi solius Christi. Inverisimile autem est illos mentionem aliquando non facturos de aliis, si alios agnovissent. Ergo &c.

Prob. ratione. Sacramenta vetera, quæ sane tantæ non erant dignitatis ac nostra, Deus immediate instituit. Ergo a fortiori nostra.

Obj. ex Scripturis. Christus mittens Apostolos ad prædicandum ait: (b) *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*. Cum autem Christus missus sit a Patre cum potestate instituendi Sacramenta, hæc etiam potestas erit dicenda Apostolis a Christo concessa.

R. te-

(a) *Lib. 4. de Sacram. Cap. 4.*
(b) *Jo. 20.*

R. textu quidem denotari Apostolos missos esse a Christo per eandem potestatem, qua ipse missus fuit a Patre, sed non ita ut eadem potestas, quæ Chsisto a Patre fuit communicata, fuerit etiam a Christo communicata Apostolis; alias sicuti Christus etiam extra Sacramentum remittebat peccata, id quoque potuissent Apostoli, quod nemo dixerit. Ergo &c.

Obj. ex Patsibus. I. S. Augustinus de Sacramentis ait: (a) *Quædam pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu augustissima, & observatione castissima ipse Dominus, & Apostolica tradidit disciplina:* ubi docet alia Sacramenta a Christo, alia ab Apostolis provenire. Et alibi: (b) *Christus Sacramentis numero paucissimis... societatem novi populi colligavit, sicuti est Baptismus... Communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur... Illa autem, quæ non scripta sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis... commendata atque statuta retineri.* Cum igitur non omnium Sacramentorum scripta sit institutio, aliqua fuisse ab Apostolis instituta dicendum est. Ergo &c.

II. S. Cyprianns ait: (c) *Ipse summus Sacerdos sui est Sacramenti institutor & auctor: in ceteris homines Spiritum S. habuerunt doctorem, & sicut par est Spiritui S. & Christo divinitas, ita in suis institutis æqua est auctoritas & potestas, nec minus ratum est quod dictante Spiritu S. Apostoli tradiderunt, quam quod ipse tradidit, & in sui commemorationem fieri præcepit.* Ubi, ut patet, asserit solam Eucharistiam fuisse institutam a Christo, reliqua vero fuisse instituta ab Apostolis. Ergo &c.

(a) *Lib.* 3. *de Doctr. Christ. Cap.* 9.
(b) *Epist.* 54. *ad Januar. olim* 118.
(c) *Serm. de ablut. ped.*

Ad I. ℟. priore loco Augustinum tantum denotare Sacramenta a Christo & Apostolis esse tradita, quod & nos concedimus, quamvis velimus hæc fuisse instituta a Christo, & ab Apostolis promulgata, vel etiam ab iisdem Apostolis cæremoniis vestita, quas etiam nunc adhibet Ecclesia. Favet vox *Discipliua*, quæ non institutionem, sed magisterium significat. Altero loco Augustinus per illa, quæ *non scripta sed tradita custodimus*, non intelligit Sacramenta, sed vel cæremonias & ritus eorumdem Sacramentorum, vel alios ritus Ecclesiasticos. Tria enim ibidem assignat: primo Sacramenta a Christo instituta, ut est Baptismus & Eucharistia: secundo quæ ab universa Ecclesia servantur, & de quibus illud verificatur *non scripta sed tradita custodimus*: tertio, quæ in variis locis varia sunt, ut est jejunium sabathi. Per expressa autem secundo loco, in quibus sita est vis objectionis, Augustinum non intelligere Sacramenta, sed ritus ecclesiasticos, patet exemplo, quod subdit de celebratione festorum passionis, resurrectionis, & ascensionis Dominicæ· Hæc autem recte dicuntur vel ab Apostolis, vel a plenariis Conciliis instituta. Ergo &c.

Ad II. ℟. Auctorem illius sermonis (qui sane non videtur esse S. Cyprianus) per illud *in cæteris* non intelligere alia Sacramenta præter Eucharistiam, sed ritus spectantes ad ministrationem & sumptionem ejusdem Eucharistiæ, puta quæ spectant ad sacram lythurgiam, ad jejunium naturale &c, Et sane si hic Auctor negaret alia Sacramenta fuisse immediate a Christo instituta, id negaret etiam de Baptismo, quem tamen fuisse a Christo immediate institutum expresse docet Scriptura. Ergo &c.

Quærunt Theologi utrum alteri homini præter Christum potuerit conferri potestas instituendi Sacramenta.

Pro responsione adverto triplicem distingui hanc potestatem, primariam unam & independentem, alteram excellentiæ, seu ministerii principalis: tertiam infimam seu ministerii minus principalis. Pri-

Primam certum est nulli puræ creaturæ posse conferri, nam eo ipso quod conferretur, hæc non esset primaria & independens: hæc igitur soli Deo competere potest: secunda soli creaturæ, quæ sit etiam Deus, potest competere, nam hæc potestas importat, quod instituens Sacramenta secundum unum respectum habeat auctoritatem absolutam & independentem Sacramenta instituendi, secundum alterum meruerit merito peculiari & summo virtutem Sacramentis. Hæc autem nonnisi in creaturam, quæ sit etiam Deus, cadere possunt. Ergo &c.: tertia tandem non video cur non possit etiam puræ creaturæ conferri; quare enim non poterit Deus huic conferre potestatem, ut inveniat signa practica gratiæ, quæ proinde sunt vera Sacramenta? Hoc confirmari potest auctoritate S. Augustini, qui inquit: (a) *Potuit Dominus Jesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui servo suo, ut daret Baptismum suum tanquam vice sua, & transferre a se baptizandi potestatem, & constituere in aliquo servo suo, & tantam vim dare Baptismo translato in servum, quantam vim haberet Baptismus datus a Domino. Hoc noluit ideo, ut in illo spes esset baptizatorum, a quo se baptizatos agnoscerent. Noluit ergo servum spem ponere in servo. ideoque clamabat Apostolus, cum videret homines volentes ponere spem in seipso: Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?*

ARTICULUS SECUNDUS.

Noto Bellarminum contendere assertionem supra positam esse de fide: contra quem stant alii communius concedentes cæteroquin ita esse certam, ut temeritatis notam vix effugeret, qui ipsam negaret. Cum istis sit.

Assertio. *Non est de fide omnia Sacramenta fuisse immediate a Christo instituta.*

Prob.

(a) *Tract. 5. in Joan. n. 7.*

Prob. Si hoc esset de fide, maxime quia hoc esset de fide definitum in Tridentino. Hoc non, nam ita testati sunt doctissimi Theologi, qui Tridentino interfuerunt, ut Jodocus Ravestein (a) & Ruardus Tapperus (b) ambo Theologi Lovanienses. Præterea in Tridentino dicitur quidem omnia Sacramenta fuisse instituta a Christo, sed non dicitur expresse, quod fuerint instituta *immediate*, licet hoc ratiocinando colligatur: quod autem tantum ratiocinando infertur ex definitione aliqua Ecclesiæ, sed expresse in definitione non continetur, per se dogma fidei non est. Ergo &c.

Obj. Bellarminus. Etsi non habeatur in definitione Tridentini particula *immediate*, debet tamen necessario intelligi, alias ipsum nihil definivisset contra Hæreticos, cum nullus ex his unquam negaverit Sacramenta esse saltem mediate a Christo instituta. Ergo &c.

℟. Nullum quidem Hæreticum negasse Sacramenta ab ipsis Hæreticis admissa fuisse a Christo aliquo modo instituta: at id negabant de aliis, quæ ipsi non admittebant & admittunt Catholici. Tridentinum igitur nedum definit Sacramenta esse a Christo instituta, sed definit esse instituta omnia illa, quæ admittit Ecclesia Catholica, ut patet ex verbis illius: etenim post illa (c): *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta*, subditur, *aut esse plura vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum &c., aut etiam aliquod horum septem non esse vere & proprie Sacramentum, anathema sit*. Si autem definitio Tridentini facit sensum adductum, patet illa urgeri Hæreticos, quin includat definitionem de institutione immediata Sacramentorum per Christum facta. Ergo &c.

CA-

(a) *Apolog. contr. Kemnit.*
(b) *Explicat. artic. contr. Hæretic. dogm.*
(c) *Sess. 7. can. 1.*

CAPUT SECUNDUM.

De Ministro Sacramentorum novæ legis.

EXaminabo hic 1. quis sit Minister horum Sacramentorum: 2. utrum in illo ad valorem Sacramenti requiratur probitas: 3. utrum requiratur fides: 4. utrum requiratur intentio: 5. quænam intentio requiratur: 6. agam de requisitis in Ministro ad licitam Sacramentorum administrationem: 7. tandem aliquot quæsita proponam & resolvam maxime ad dictorum intelligentiam & ad praxim inservientia.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto 1. Lutherum docuisse omnes homines etsi laicos vel fœminas, imo ipsum Diabolum validos esse Sacramentorum Ministros, quamvis addiderit non omnibus licere eadem ministrare, sed iis tantum, qui legitime sunt vocati. Calvinus e contra docet munus ministrandi Sacramenta esse ita proprium Sacerdotum, ut ne ipsum quidem Baptisma in casu necessitatis possit ab aliis, præterquam a Sacerdotibus valide conferri. Hunc postremum errorem refellam, cum sermo erit de Baptismo.

Noto 2. Sacramentorum Ministrum alium esse ordinarium, alium extraordinarium. Prior est, quem de facto stabiliter, & juxta consuetam providentiam Deus vult Sacramenta ministrare: alter, quem Deus deputat ad ministranda Sacramenta non juxta consuetam providentiam procedendo, sed ex peculiari dispensatione. Quemlibet hominem, imo Angelos & Spiritus hominum beatorum posse ut Ministros extraordinarios Sacramenta conficere, omnes concedunt; quare enim Deus non poterit omnibus istis hanc facultatem impertiri? Præterea id ex factis colligitur, ut ex eo, quod narrat Nicæphorus (a) de S.

(a) *Lib.* 11. *cap.* 20.

S. Amphilochio, qui fuit ab Angelis consecratus Episcopus. (Omitto alia facta Angelorum, qui Eucharistiam exhibuerunt, nam hæc exhibitio non fuit confectio Sacramenti, de qua hic disputatur) Quæstio ergo reducitur ad ministerium ordinarium. Circa quod

Contendunt omnes Catholici contra Lutherum illud solis hominibus competere, nam Scripturæ, dum de Ministris Sacramentorum agunt, nonnisi homines innuunt. Solis profecto hominibus dixit Christus (a): *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* Iis solis dixit (b): *Hoc facite in meam commemorationem*: iis solis dixit (c): *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*: solos homines alloquebatur Apostolus, dum inquit (d) *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, & alibi (e): *Idoneos nos fecit Ministros novi Testamenti*. Accedit, quod Apostolus loquens de Pontificibus asserit illos ex hominibus assumi, inquit enim (f): *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis, qui condolere possit iis, qui ignorant & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate, & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro se ipso offerre pro peccatis*. Ratio autem, quæ adducitur pro Pontificibus, militat etiam pro aliis omnibus Ministris. Ergo &c. His autem positis sic. Scripturæ cum de Ministris Sacramentorum loquuntur, non loquuntur nisi de hominibus: rationes ab illis pro hoc ministerio adductæ militant solum pro hominibus: nulla extat ratio probans alios præter homines esse Sacramentorum Ministros. Ergo &c.

Acce-

(a) *Matt.* 28. (b) *Luc.* 22. (c) *Jo.* 22.
(d) 1. *Cor.* 4. (e) 2. *Cor.* 3. (f) *Heb.* 5.

Accedit quod, cum Sacramenta pro solis hominibus sint instituta, congruum quoque fuit, ut potestas ordinaria ea ministrandi solis hominibus concederetur. Rursus docent Patres potestatem conferendi Sacramenta Angelis non fuisse concessam: nam Chrysostomus ait (a): *Qui terram incolunt, in eaque commorantur, ad ea, quæ in cœlis sunt, dispensanda sunt commissi, potestatemque acceperunt, quam neque Angelis, neque Archangelis dedit Deus. Neque enim illis dictum est: Quæcumque alligaveritis in terra &c.* Ergo &c.

At dicit Lutherus. Habent facultatem ordinariam ministrandi Sacramenta Sacerdotes impii, qui sunt membra Diaboli. Ergo a fortiori ipse Diabolus.

℟. Hos Sacerdotes esse quidem membra Diaboli secundum unum respectum, sed esse etiam membra Christi secundum alium, nempe secundum potestatem conficiendi Sacramenta, quam ab ipso acceperunt, & quam ipse ob impietatem ab iis non aufert, ut infra probabitur. Hoc nequit dici de Diabolo, qui nunquam factus est hoc modo membrum Christi. Ergo &c.

Utrum vero soli homines viatores sint ordinarii Sacramentorum Ministri, controvertitur inter Catholicos. Aliqui ut Ledesma, Sotus, Gonet, Suarez, Salmanticenses existimant etiam spiritus jam comprehensores posse, reassumpto proprio vel alieno corpore, esse Ministros ordinarios Sacramentorum, si nempe sint spiritus Episcoporum, vel Presbyterorum, cum in iis maneat character, in quo fundatur facultas ministrandi Sacramenta: Sed alii quamvis concedant posse valide in casu a spiritibus comprehensoribus (immo etiam damnatis) Sacramenta ministrari, negant tamen id ab illis præstandum ut Ministris ordinariis; nam cum hoc non possit præstari, nisi mediante corpore aliquo assumpto, & hæc assumptio sit quid extraordinarium, ministerium quoque talem assumptionem supponens erit ex-

(a) *Lib. 3. de Sacerdot.*

extraordinarium. Hanc porro controversiam utpote potius de nomine quam de re indicasse sufficiat. Sit interim contra Lutherum.

Assertio. *Non omnes homines etiam viatores possunt valide conficere Sacramenta, sed ii tantum, qui per legitimam ordinationem ad id sunt deputati (excepto Baptismo & Matrimonio.)* Est de fide.

Dixi *excepto Baptismo & Matrimonio*, nam omnes, ut suo loco probabo, possunt valide conferre Baptismum: & probabiliter non Sacerdos, sed ipsi contrahentes sunt Ministri Matrimonii.

Prob. assertio ex Scripturis. Apostolus ait (a): *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra: habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis differentes sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando:* & alibi dicit (b): *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus, & divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus, & divisiones operationum sunt, idem vero Deus:* rursus (c): *Ipse* (Christus) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores.* Ex his apparet diversa esse in Ecclesia munera fidelium, qui comparantur diversis membris ejusdem corporis. Ergo munus ministrandi Sacramenta non omnibus fidelibus æqualiter competit.

Nec dicat Lutherus adducta loca explicari posse non de valida, sed de licita Sacramentorum administratione, quæ non omnibus competit; nam Apostolum etiam de valida loqui constat ex quo primo loco instituit comparationem inter fideles & membra corporis. Sicut ergo absolute ad id, ad quod valet unum membrum, non valet alterum, ita a pa-

(a) *Rom.* 12. (b) 1. *Cor.* 2. (c) *Ephes.* 4.

pari &c.; secundo autem loco eodem modo loquitur de divisione ministeriorum, ac de divisione gratiarum gratis datarum: atqui hæ absolute non omnibus conceduntur, non enim omnibus conceditur prophetia, gratia sanitatum &c. Ergo a pari &c.

Prob. ex sensu Ecclesiæ. Leo X damnavit hanc Lutheri propositionem: *Ubi non est Sacerdos: æque potest quilibet Christianus ministrare Sacramenta, etiamsi mulier, aut puer esset: qui enim baptizatus est, spiritum Christi habet. Ubi autem spiritus Christi, ibi omnium potestas & libertas.* Et Tridentinum ait (a): *Si quis dixerit Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.* Præterea consuevit Ecclesia reprobare nedum ut illicita, sed etiam ut invalida Sacramenta collata ab iis, qui legitima potestate non pollent. Sufficiat exemplum narratum a S. Athanasio (b) de quodam Ischira, qui in Concilio Alexandriuo agnitus fuit ordinatus a Collutho Presbytero se Episcopum mentiente, qui proinde ad gradum laicorum fuit redactus, declarata invalida ipsius ordinatione, redacto pariter Collutho ad gradum Presbyterorum. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. Omnes saltem fideles sunt Sacerdotes: nam iis omnibus data est in ultima cæna potestas conficiendi Corpus Christi, cum omnibus dixerit Christus (c): *Hoc facite in meam commemorationem*. Rursus de iis dicitur (d): *Vos genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta*: & alibi (e): *Fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes.* Ergo omnes fideles sunt ordinarii Sacramentorum Ministri.

℟. Priora verba, ut important facultatem conficiendi Eucharistiam, dicta esse solis Apostolis, quatenus constituebantur Sacerdotes, ut docet Tridentinum asserens (f), his verbis: *Hoc facite in meam*

(a) *Sess.* 7. *Can.* 10. (b) *Apolog.* 2.
(c) *Luc.* 27. (d) 1. *Pet.* 2.
(e) *Apol.* 5. (f) *Sess.* 22. *cap.* 1.

vis ex Augustino hunc errorem postea limitaverint ad peccatores publicos. Eundem errorem postea secuti sunt sæculo 12. alii Hæretici dicti Apostolici, Valdenses, & Albigenses, & sæculo 14. Wiclephitæ & Hussitæ, ac tandem sæculo 16. variæ Novatorum classes, ut Anabaptistæ, Zuingliani &c. Contra hos omnes sit

Assertio. *Ad valorem Sacramentorum non requiritur in Ministro probitas*. Est de fide.

Prob. ex Scripturis. I. ex his constat Deum non auferre potestatem recta docendi ab impio Ministro; nam inquit Christus (a): *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia, quæcumque dixerint vobis, servate & facite, secundum opera eorum nolite facere* Ergo ex paritate rationis, nec ab illo aufert potestatem ministrandi Sacramentum. II. ex iis constat Sacramentum conferri in nomine & auctoritate Christi; nam dicitur (b): *Hic est, qui baptizat in Spiritu S.*: & Apostolus (c) ait: *Cum quis dicat: ego quidem sum Pauli, alius autem: ego Apollo, nonne homines estis? Quid igitur est Apollo, quid vero Paulus? Ministri ejus, cui credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.... Dei enim sumus adjutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis*. Quo posito sic: Cum aliquis operatur ut minister alterius & ipsius nomine, actus non desumit valorem ab immediato operante, sed ab illo, cujus nomine fit. Cum ergo actio Sacramentalis fiat nomine Christi, illius valor ita repeti debet a Christi voluntate, ut illum non impediat malitia Ministri, quomodo malitia legati aliquod beneficium conferentis nomine Principis non lædit ipsius Principis beneficium. Ergo &c.

Prob.

(a) *Matt.* 23. (b) *Jo.* 1. (c) 1. *Cor.* 3.

Prob. ex sensu Ecclesiæ. I. Nicolaus I. ait (a): *Sciscitantibus vobis, si a Sacerdote, qui sive comprehensus est in adulterio, sive de hoc fama sola respersus sit, debeatis communionem suscipere nec ne, respondemus: non potest aliquis, quantumcumque pollutus sit, Sacramenta divina polluere . . . Non potest solis radius per cloacas & latrinas transiens aliquid exinde contaminationis attrahere: proinde, qualiscumque Sacerdos sit, quæ sancta sunt, coinquinare non potest: idcirco ab eo, usquequo Episcoporum judicio reprobetur, communio percipienda est, quoniam mali bona ministrando se tantummodo lædunt, & cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis vero in tenebris lumen administrat, & unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet*. II. Constantiense damnavit hunc Wiclephi articulum (b): *Si Episcopus vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat*. III. Tridentinum ait (c): *Si quis dixerit Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema sit*. Ergo &c.

Prob. ex Patribus. Chrysostomus ait (d): *Nunc autem etiam per indignos Deus solet operari, nec Baptismatis gratia quidquam læditur a vita Sacerdotis*. S. Augustinus ait (e): *Discit Joannes . . . . potestatem Dominici Baptismatis in nullum hominem a Domino transituram, sed ministerium plane transiturum; potestatem a Domino in neminem, ministerium in bonos & malos: non exhorreat columba ministerium malorum, respiciat Domini potestatem*.

(a) *Ad consult. Bulgarorum Cap.* 15.
(b) *Num.* 4. (c) *Sess.* 7. *Can.* 12.
(d) *Homil.* 8. *in* I. *ad Cor. n.* I.
(e) *Tract.* 5. *in Jo. n.* 11.

tem. Quid tibi facit malus Minister, ubi bonus est Dominus, quid te impedit malitiosus praco, si est benevolus Judex? & infra: *Quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si Baptisma Christi erat, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur, hic est qui baptizat:* rursus (a): *Qui fuerit superbus Minister, cum Zabulo computatur, sed non contaminatur donum Christi, quod per illum fluit purum, quod per illum transit liquidum, venit ad fertilem terram, puta quia ipse lapideus est, quia ex aqua fructum ferre non potest. Per lapideum canalem transit aqua, transit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generans, sed tamen hortis plurimum fructum affert; spiritualis enim virtus Sacramenti est ut lux, & ab illuminandis pura excipitur, & si per immundos transeat, non inquinatur.* Nazianzenus bonum ac malum Ministrum comparat (b) duobus annulis, quorum unus aureus est, alter ferreus, & ambo eandem imaginem Imperatoris exculptam habent, & imprimunt ceræ. Euthymius (c) improbum Sacerdotem comparat Caiphæ, qui licet improbus, cum tamen esset Pontifex, prophetavit, & Theophylactus asserit (d) gratiam operari per malos Ministros, sicuti per asinam Balaam locuta est. Ergo &c.

Prob. ratione. Vis conficiendi Sacramentum in caractere ut plurimum fundatur. Cum ergo hic non tollatur per improbitatem Ministri, nec tollitur illa. Præterea inter bonos Ministros unus est melior altero, nec tamen Sacramentum ab uno collatum est substantialiter melius collato ab altero (quamvis quoad aliquid accidentale melius sit recipere Sacramentum a bono, quam a malo, scilicet propter bonum impetrationis, & ut inquit Augusti-

(a) *Ibidem n.* 18. (b) *Orat. in sanct. Bapt.*
(c) *In cap.* 11. *Jo.* (d) *Ad caput* 12. *Jo.*

stinus (a) propter exemplum imitationis.) Ergo bonitas Ministri non influit in bonitatem Sacramenti. Eo ipso nec illius malitia impedit Sacramenti valorem. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. I. non potest valide confici Sacramentum nisi per concursum Dei specialem. Hunc Deus non exhibet impio, utpote cui prohibet ministrationem Sacramenti juxta illud (b): *Qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus*. Ergo &c.

II. In Scripturis Sacramenta æquiparantur unguento & mali Ministri muscis morientibus: hæ autem tollunt vim ab unguento juxta illud (c): *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti*. Ergo &c.

III. Ibi dicitur (d): *Spiritus S. disciplinæ effugiet fictum*. Igitur gratia non potest tribui ab impio, qui per collationem Sacramenti fingit se esse conjunctum cum Christo, etsi inimicus ejus sit.

IV. Ibi dicitur (e): *Ab immundo quis mundabitur?* Rursus (f): *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio ejus?* Ab immundo ergo & spiritualiter mortuo Ministro non potest quis mundari. Ergo nec valide recipere Sacramenta, quæ per se mundant.

V. David detestatur Sacramenta ab impiis collata; inquit enim (g): *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*. Ergo ea non agnoscit valida.

VI. In Scripturis dicitur (h): *Quid paleis ad triticum?* Ergo mali, qui per paleas exprimuntur, nihil ad triticum, ad bonos scilicet, & ad sacra ministeria pertinent. Ergo &c.

VII. Ibi dicitur (i) *contaminari quidquid tetigerit pollutus in anima*. Ergo Sacramenta ab impio contaminantur. Ergo invalide conferuntur.

VIII.

(a) *Lib. 3. contr. Crescon. cap. 6.*
(b) *Levit. 21.* (c) *Eccle. 10.* (d) *Sap. 1.*
(e) *Eccle. 34.* (f) *Ibidem.* (g) *Ps. 140.*
(h) *Jerem. 25.* (i) *Agge. 2.*

VIII. Ibi dicitur (a): *Non potest . . . arbor mala bonos fructus facere:* rursus: *Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* Minister ergo improbus, qui est arbor mala, ac tribulis & spinis comparatur, non potest Sacramenta facere, quæ sunt fructus optimi, & æquiparantur ficis & uvis.

IX. ibi dicitur: *Scimus* (b) *quia peccatores Deus non audit*. Non igitur Deus cooperatur intentioni peccatoris volentis conficere Sacramentum.

X. Ministri conficiunt Sacramenta virtute Spiritus S. Christus enim tradens Apostolis potestatem remittendi peccata, inquit: (c) *Accipite Spiritum S., quorum remiseritis peccata remittuntur eis*. Impii autem non habent Spirirum S. Ergo &c.

XI. Improbi salis, qui evanuit, nomine veniunt. At hoc est ineptum ad aliquid boni peragendum; dicitur enim: (d) *Si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus*. Ergo improbus est ineptus ad aliquid boni agendum, adeoque etiam ad Sacramentum conficiendum.

XII. Apostolus inquit: (e) *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial?* Impii ergo, qui sub nomine *iniquitatis, tenebrarum, & Belial* comprehenduntur, non possunt tribuere Sacramentum, quod dat justitiam, lucem, & Christum.

Ad I. ℟. concursum hunc dirigi ad substantiam Sacramenri, quæ cum sit optima, non est prohibita, non ad modum, qui, cum sit impius, prohibitus est. Ergo &c. Addo textum adductum litteraliter intelligi de habentibus maculam in cor-

---

(a) *Matt.* 7. (b) *Jo.* 9.
(c) *Jo.* 20. (d) *Matt.* 5. (e) 2. *Cor.* 6.

pore, subditur enim: *Si cæcus fuerit, si claudus, si parvo, vel grandi, vel torto naso &c.*

Ad II. ℟. locum adductum varie a Patribus explicari, quin tamen ullus illum intelligat de Ministris Sacramentorum. Sanctus Hieronymus illum explicat de eo, qui peccat, & peccando amittit gratiam, & odorem bonæ famæ. Affinis est interpretatio Augustini per muscas morientes intelligentis malos Christianos muscis propter eorum multitudinem comparatos, qui, cum in dedecus cedant religionis Christianæ, quodammodo lædunt bonum odorem, quem justi ad hanc religionem pertinentes, emittunt, juxta illud Apostoli: (a) *Christi bonus odor sumus*. Sed etsi vellet quis locum adductum intelligere de Ministro Sacramentorum, responderi posset ipsum ministrando Sacramentum in statu peccati perdere suavitatem unguenti, quatenus efficit, ut actio per se optima in proprium detrimentum cedat ob sacrilegium, quod admittit. Ergo &c.

Ad III. Respondebat S. Augustinus ad hominem contra Donatisras (b), quod stante objectione magis esset invalidum Sacramentum collatum a peccatore occulto, quam a publico, (cum tamen illud Donatistæ admitterent, hoc respuerent) quia magis occulti, quam publici ficti sunt: *Qui enim*, inquit S. Doctor, *fictus est, tanto magis fictus est, quanto magis latet*. Deinde ℟. directe cum eodem S. Augustino, gratiam quidem effugere Ministrum improbum, cum hæc illi non conferatur, sed non suscipientem, si sit dispositus; hic enim ficte non agit.

Ad IV. ℟. ita ibi asseri nullum posse mundari ab immundo, ut asseritur non posse verum dici a mendace: hæc enim habentur: *Ab immundo quis mundabitur, & a mendace quid verum dicetur*? Sicuti ergo mendax potest aliquando verum dicere, ma-

(a) 2. *Cor.* 2.
(b) *Lib.* 2. *contr. Ep. Parm. cap.* 10.

maxime si nomine alicujus veridici loquatur, ita immundus potest aliquando mundare, maxime si operetur nomine alicujus mundi, ut in confectione Sacramenti operatur Minister malus, qui agit nomine Christi. Secundo ℟. directe cohærenter ad dicta Sacramentum operari virtute non Ministri, sed Christi. Potius ergo hic mundat, quam Minister: Christus autem est mundus. Ergo qui suscipit Sacramentum non ab immundo, sed a mundo mundatur. Alterius loci hic est sensus. Qui post contactum mortui, ob quem contactum immunditiam legalem contraxit, lavat se, ut mundetur, & postea iterum tangit mortuum, frustra antecedenter se laverat: ex quo postea concluditur: *Sic homo qui jejunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se?* Hoc autem posito nihil ex adducto loco contra nos. Ergo &c.

Ad V. ℟. S. Hieronymum per illud *oleum* intelligere perversa dogmata Hæreticorum. Litteralius S. Augustinus intelligit laudes assentatorum, quas David rejiciebat, eligens potius increpationes justorum. Favet contextus, ubi dicitur: *Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris &c.* Ambæ istæ explicationes tollunt difficultatem. Adde Sacramenta non posse dici oleum peccatoris, cum potius sint oleum Dei.

Ad VI. respondet S. Augustinus paleas non pertinere ad triticum in horreo, pertinere autem in agro, & in area: *Nunquid*, inquit (a) *in agro dici potest: quid paleis ad triticum, quando eadem radice portantur? . . . sed utique in horreo, quid paleis ad triticum?* Quibus innuit paleas, idest malos non pertinere ad triticum, idest ad justos in cœlo, sed in terra nimis pertinere; ubi sunt mixti bonis, adeoque non esse mirum, si boni a malis aliquando Sacramenta recipiant.

(a) *Lib. 3. contr. Ep. Parmen. Cap. 3.*

Ad VII. ℟. S. Optatus Milevitanus (a) contaminari quæ tangit pollutus, si solus sit tactus, & non interveniat invocatio nominis Domini, nam si talis sit invocatio, ipsa sanctificat & quod pollutum esse videbatur: hæc autem invocatio habetur, cum Minister malus conficit Sacramentum. Ergo &c. S. Augustinus (b) textum explicat metaphorice contendens Prophetam illo prohibere *spiritualem accessum* ad impios *consistentem in consensione factorum*. At hoc quid ad Sacramenta? S. Hieronymus (c), & quidem magis litteraliter explicat illud *pollutus in anima* pro eo, qui tetigerat mortuum; hic enim juxta legem (d) omnia, quæ tangebat, immunda reddebat. Sed neque hoc refertur ad Sacramenta. Ergo &c.

Ad VIII. ℟. primo ita dici arborem malam non posse facere fructus bonos, ac arborem bonam non posse facere malos. Ut ergo arbor bona potest aliquando facere fructus malos, si nempe non operetur ut bona, ita mala poterit facere aliquando fructus bonos, si nempe non operetur ut mala. Directe respondet S. Augustinus (e) Ministrum Sacramenta conficientem qua talem non posse dici arborem malam, cum ex se non promat fructus; cum enim malus verbum Dei prædicat, & Dei Sacramenta ministrat, non de suo prædicat aut ministrat. Ergo &c.

Ad IX. ℟. idem Augustinus (f) etiam peccatores audiri a Deo, cum loquuntur ut ipsius ministri, quomodo fuerunt etiam adimpleta vaticinia Balaam (g). Addit ea verba dicta esse a cœco, *qui oculos corporis jam restitutos habebat, sed ei oculi cordis nondum patebant*. Ergo &c.

Ad

(a) *Lib. 6.* (b) *Ad Donatist. post. Collat. n.* 31.
(c) *In hunc locum.* (d) *Num.* 19.
(e) *Lib.* 2. *contr. litt. Petilian.* 6.
(f) *Lib.* 2. *contr. Ep. Parmenian. cap.* 8.
(g) *Num.* 24.

Ad X. ℞. vel per Spiritum S. intelligi virtutem producendi in aliis gratiam, vel ipsam gratiam, seu aliis verbis, vel intelligitur gratia ministerialiter vel formaliter. Si primum, dico Spiritum S. remanere in Ministro improbo: si alterum, dico datum quidem fuisse Aposrolis Spiritum S., & dari omnibus Ministris, dum rite ordinantur, at ad licitam, non ad validam Sacramentorum administrationem. Ergo &c.

Ad XI. ℞. improbos comparari quidem sali, quod evanuit, quatenus inepti sunt ad merendam de condigno vitam æternam, non autem quatenus inepti sint omnino ad bene operandum; certum est enim, quod apti sunt ad elicienda opera bona tum moraliter, tum supernaturaliter, & de congruo meritoria vitæ æternæ. Quod si improborum possunt aliquæ esse actiones bonæ ex opere operantis, multo magis poterunt esse actiones bonæ ex opere operato.

Ad XII. ℞. peccatorem conferentem Sacramentum non nomine proprio operari, sed Christi, adeoque non dare justitiam & Christum; quatenus est iniquitas, tenebræ, & Belial: præcipue cum suscipiens Sacramentum a peccatore, ut percipiat illius fructum, debeat non participare de moribus ipsius peccatoris. Hæc profecto vel alia similis participatio justitiæ & iniquitatis, lucis & tenebrarum est quæ excluditur ab Apostolo. Cæterum posse in aliquibus justitiam & iniquitatem convenire patet ex quo in Ecclesia & fide possunt convenire peccatores & justi. Pariter posse iniquitatem aliquid dare justitiæ, patet ex quo ad actus bonos potest justus excitari per prædicationem peccatoris. Ergo &c.

Obj. ex RR. Pontificibus. I. Innocentius I. inquit: (a) *Qui perfectionem Spiritus, quam acceperunt, perdiderunt, non ejus. dare plenitudinem*

D 3 *pos-*

(a) *Ep.* 2. *ad Episcop. Maced. Cap.* 3.

possunt (*quæ maxime operatur in ordinationibus*), *quam per suam perfidiam perdiderunt*.

II. Pelagius inquit: (a) *Non est Christi Corpus, quod Schismaticus conficit, si veritate duce dirigimur*.

III. S. Gregorius VII. ait: (b) *Ordinationes, quæ interveniente pretio, vel precibus, vel obsequio alicujus personæ ea intentione impensa, vel quæ non communi consensu Cleri & populi secundum canonicas sanctiones fiunt, & ab his, ad quos consecratio pertinet, non comprobantur, infirmas & irritas esse judicamus*. Ergo &c.

Ad I. ℟. cum doctissimis Juristis Innocentium loqui de ordinatis ab episcopo hæretico; hi enim etsi valide ordinati suspenduntur ab exercitio ordinis, quæ venit per ea verba *dare plenitudinem*.

Ad II. ℟. Pelagium per Christi corpus non intelligere Eucharistiam. sed Ecclesiam, cujus partem negat esse Schismaticum. Hunc esse sensum Pelagii patet ex contextu: *Nec enim*, inquit, *divisum esse Christum poterit quisquam sine Apostoli reprobatione confingere. Unam, ut sæpe dictum est, quæ Christi corpus est, constat esse Ecclesiam, quæ in duo vel plura dividi non potest; simul enim ab ea quisque recesserit, esse destitit in Ecclesia*.

Ad III. ℟. Ordinationes, de quibus in objectione, dici irritas & infirmas, quia ita ordinati in pœnam suspendebantur ab exercitio Ordinis.

Quo loco ad uberiorem responsionis hujus intelligentiam, & ad præcavendas alias difficultates, quæ possent contra assertionem adduci, adverto fuisse olim in Ecclesia controversiam circa validitatem Ordinationum factarum ab Episcopis vel Hæreticis, vel Schismaticis, vel Simoniacis, vel Intrusis. Hæc controversia diversa est ab ea, quæ modo agitatur: nam etiam exclusa generaliter necessitate probitatis in

(a) *Capit.* Schisma 24. *quæst.* 1.
(b) *In Concil. V. Rom. can.* 4.

in Ministro, adhuc aliqui Catholici contendebant Ordinationes a dictis Episcopis factas esse nullas non præcise ex defectu probitatis, alias generaliter asseruissent invalida omnia Sacramenta collata ab improbis (quod tamen ipsi execrabantur ,) sed ex quo in allatis circumstantiis vel Episcopi spoliarentur charactere, ut aliqui dicebant, vel saltem hic elanguesceret & redderetur insufficiens ad validanda Sacramenta ab illis collata, ut communius ab aliis putabatur.

Dubium tamen omne circa hoc jam sublatum est consentientibus jam omnibus Theologis, qui a quingentis ab hinc annis floruerunt, characterem in Episcopis semel impressum non amplius tolli, & semper esse sufficientem, ut ipsi possint valide munera Episcopalia exercere, adeoque validas esse Ordinationes a quibuscumque Episcopis factas.

Juxta hæc, quæ possent adduci ad probandas invalidas Ordinationes dictorum Episcoporum, possunt primo explicari, ita ut repetitæ aliquando fuerint, vel præceptum fuerit ut repeterentur hæ Ordinationes, quia ob sententiam supra adductam, quæ antiquitus erat probabilis, dubium erat prudens de illorum valore. Secundo explicari possunt, immo ut plurimum debent, non de vera repetitione Ordinationis, sed de cæremonia reconciliativa sic ordinati cum Ecclesia, & tollente impedimenta ab Ecclesia statuta respectu illius pro exercitio Ordinum, quæ cæremonia ut plurimum fiebat per manum impositionem, vel per collationem insignium Ordinis, vel aliud simile.

Et sane etsi aliqua fortasse possent adduci exempla Ordinationum in dictis circumstantiis repetitarum, multo tamen plura possunt adduci contraria. Ita Cornelius Papa approbavit Ordinationes Novatianorum Schismaticorum, & R. Ecclesia approbavit Ordinationes Donatistarum scribente Augustino (a)

(a) *Lib. 2. contr. epist. Parm. cap. 13.*

Ad I. ℟. S. Ambrosium loqui de suscipiente Baptismum, qui, si sit perfidus, idest absque debita dispositione ad Baptismum accedat; potius quam mundetur, polluitur. Et sane ipsum non loqui de Ministro patet ex eo, quod infra dicit (a): *Non merita personarum, sed officia consideres Sacerdotum.*

Ad II. ℟. S. Hieronymum non loqui de reali confectione Eucharistiæ, sed de mystica, idest de gratiarum actione, quæ importatur per nomen *Eucharistiæ*, & quam dicit non exhiberi a Sacerdote malo, quod est verissimum.

Ad III. ℟. S. Augustinum ideo asserere malos non dare remissionem peccatorum, quia hæc datur non ex ipsorum meritis, sed Christi & Ecclesiæ. *Sacramentum gratiæ*, inquit alibi S. Doctor (b), *dat Deus etiam per malos, ipsam vero gratiam nonnisi per seipsum, vel per Sanctos suos, & ideo remissionem peccatorum vel per seipsum facit, vel per illius columbæ membra, quibus ait: si cui dimiseritis &c.* Ubi, ut patet, S. Doctor distinguit effectum Sacramenti ab ipso Sacramento, & vult hoc posse conferri a Ministro malo, gratiam non posse (sensu nuper explicato.) Quod idem innuit infra, dum ait (c): *Proinde consentimus Cypriano Hæreticos remissionem dare non posse, Baptismum autem dare posse . . . sicut etiam maligni & invidi, quos & intus esse ipse testatur, remissionem peccatorum dare non possunt, cum eos Baptismum dare posse omnes fateamur.* Ubi etiam noto aliquando Augustinum negavisse Sacramenta ab impiis collata esse utilia ob malitiam non conferentis, sed suscipientis. Ita inquit (d): *Malus perniciose tradit Baptismum, non quia talis tradit, sed quia tali tradit: nam cum malus tradit bono; idest in unitatis vinculo veraci conversione mutato, inter bonum Sacramentum, quod traditur, & bonum fidelem, cui traditur, tradentis malitia non separat:* quibus etiam

 aper-

(a) *Cap.* 5. (b) *Lib.* 5. *de Baptis. Cap.* 21.
(c) *Ibid. Cap.* 22. (d) *Lib.* 6. *de Bapt. Cap.* 4.

apertiſſime fatetur malitiam conferentis non obſtare validitati Sacramenti. Ergo &c.

Obj. ex ratione. I. Miniſter improbus non habet jus miniſtrandi Sacramenta. Ergo invalide illa miniſtrat.

II. Nemo dat quod non habet. Miniſter improbus non habet gratiam. Ergo illam per Sacramentum dare non poteſt.

III. Ita ſe habet ad confectionem Sacramenti probitas Miniſtri, ut ad fructum verbi Dei peritia oratoris. Atqui ſi hæc deſit, verbum Dei eſt infructuoſum. Ergo &c.

Ad I. ℟. Diſtinguendo antecedens, quoad ſubſtantiam Sacramenti negatur, quoad modum conceditur. Cum ergo impius Miniſter retineat jus circa ſubſtantiam Sacramenti, ideo hoc ab illo collatum validum eſt. Ulterius etſi nullum jus haberet impius circa Sacramenta, non tamen ſequeretur ipſa eſſe invalida; nam, ut inquit Auguſtinus (a): *Etſi jus baptizandi non habuit, tamen Chriſti eſt quod dedit, & ille Chriſti eſt, qui accepit; multa enim contra jus dantur, nec tamen ideo vel nulla, vel non data dicuntur*. Ergo &c.

Ad II. ℟. Diſtinguendo majorem: nemo dat quod non habet ullo modo, conceditur, quod non habet formaliter, ſi tamen habeat vel virtualiter, vel miniſterialiter, vel alio modo, negatur. Sane Medicus licet infirmus poteſt dare alteri ſanitatem, & pauperrimus famulus, qui nihil habet in bonis, poteſt nomine Domini dare alteri pecuniam, quia licet iſti ſanitatem, aut reſpective pecuniam formaliter pro ſe non habeant, habent tamen vel miniſterialiter, vel eminenter. Ita a pari in caſu.

Ad III. Negari poteſt tum major, tum minor: major quidem; etſi enim voluiſſet Deus, ut aliquo modo influeret in fructum verbi ſui peritia oratoris, non tamen voluit ex probatis, ut influeret in validitatem Sacramenti probitas Miniſtri: minor vero, quia

(a) *Lib.* 5. *de Baptis. Cap.* 15.

quia etiam deficiente peritia oratoris ille subinde movet corda hominum, quia per asinam, ut supra dictum est, Prophetam voluit erudiri.

ARTICULUS TERTIUS.

Videndum modo utrum ad validitatem Sacramenti requiratur in Ministro fides. Circa hoc

Noto 1. Quæstionem, quæ hic proponitur, esse diversam a præcedente; licet enim qui adstruit necessitatem probitatis in Ministro, debeat etiam adstruere necessitatem fidei, cum sine fide probitas haberi nequeat, non tamen qui adstruit necessitatem fidei, debet consequenter adstruere necessitatem probitatis, cum possit haberi fides etiam sine probitate.

Noto 2. Sæculo 3. sedente Carthagine Agrippino prædecessore S. Cypriani invaluisse in Africa morem rebaptizandi baptizatos ab Hæreticis, cum existimarent Africani fidem in Ministro Sacramentorum necessariam esse ad illorum validitatem, qua proinde deficiente essent invalida. Hunc morem cum conservasset S. Cyprianus, immo plura celebrasset Concilia ad illum firmandum, ac certiorem de eo fecisset S. Stephanum Papam, hic morem reprehendit addens comminationem excommunicationis, si aliter fieret. S. Cyprianus his auditis excanduit, & existimans S. Stehanum decipi, aliam Synodum congregavit, in qua errorem suum firmari voluit, & ad alios Orientales præcipueque ad Firmilianum Cæsareæ Episcopum scripsit, illosque vel traxit in propriam sententiam, vel in ea confirmavit. Ab his ad Stephanum paulo acrius, quam Christiana mansuetudo ferret, rescriptum est, qui tamen, quamvis invictissime semper steterit pro veritate, obtinere ab iis non potuit, ut errorem deponerent, vel id saltem est incertum. Isti tamen inter Hæreticos numerari non debent, cum existimaverint quæstionem hanc non ad fidem, sed ad disciplinam pertinere, circa quam etiam R. Pontifex decipi potest. Incertum pariter utrum Stephanus hæserit intra minas, an revera Orientales excommunicaverit. Controversia hæc S. Augustino definita fuit in Concilio ple-

nario post mortem S. Cypriani, quod Concilium quodnam fuerit controvertitur, de qua re Historici.

Noto 3. etiam ab iis, qui admittebant ut validum Sacramentum ab Hæreticis collatum, fuisse aliquando dubitatum circa validitatem Baptismi collati a non baptizato. Ita dubitavit S. Augustinus acerrimus cæteroquin defensor validitatis Sacramenti ab Hæreticis collati; is enim inquit (a): *Et hæc quidem alia quæstio est, utrum ab iis, qui nunquam fuerunt Christiani, possit Baptismus dari, nec aliquid temere inde affirmandum est sine auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei sufficit.* (Dixi *circa validitatem Baptismi*; nam etsi olim dubitaretur utrum Hæreticus posset valide conferre tum Baptismum, tum alia Sacramenta, ut E. G. utrum Presbyter hæreticus posset valide baptizare, & consecrare, nunquam tamen dubitatum est de validitate alterius Sacramenti collati a non baptizato, præterquam de validitate Baptismi, cum certum sit nullum aliud Sacramentum posse a non baptizato valide confici) Sed modo, postquam accesserunt declarationes Conciliorum & RR. Pontificum, ac consensus Theologorum & Ecclesiæ, admittendum est absolute ut validum Baptisma etiam collatum a non baptizato, qui, quantum est in se, rite illud confert: præcipue cum rationes militantes pro validitate Baptismi ab Hæretico collati militent etiam pro validitate Baptismi collati a non baptizato. His positis sit

Assertio. *Ad valorem Sacramentorum non requiritur in Ministro fides.* Est de fide.

Quoniam autem multa attuli in probationem superioris assertionis, quæ etiam hanc probare videntur, idcirco pauca tantum ad hanc peculiariter pertinentia adjungam. Omissis ergo probationibus ex Scriptura, quarum aliquæ iisdem argumentis confici possunt, quibus supra probatum est non requiri probitatem in Ministro.

Prob.

(a) *Lib. 2. contr. Ep. Parmen. cap.* 13.

Prob. assertio ex traditione, quam maxime contra rebaptizantes urgebat S. Stephanus. *Nihil innovetur* (hæc est summa decreti S. Stephani) *nisi quod traditum est*. Constans scilicet erat Ecclesiæ traditio etiam tempore S. Cypriani validum esse Baptismum collatum ab Hæreticis. De hac traditione loquitur S. Augustinus (a): *Nondum erat diligenter illa Baptismi quæstio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia in ipsis quoque Schismaticis. & Hæreticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est, sanare quod vulneratum est, non curare quod sanatum est. Quam consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem.*

Nec contra hanc consuetudinem facit consuetudo Ecclesiæ Africanæ, (quam objiciebat S. Cyprianus) vel aliarum Ecclesiarum Orientalium, quæ Baptisma Hæreticorum iterabant, aut contraria sententia plurium Patrum, ut S. Cypriani, Tertulliani, quibus adjungi solent S. Dionysius Alexandrinus, S. Basilius, S. Optatus Milevitanus, S. Athanasius, aliique; nam consuetudo Ecclesiæ Africanæ non erat antiquior Agrippino, sicut modernæ erant tempore S. Cypriani consuetudines aliarum Ecclesiarum, & tam hæ, quam Africana in comparatione illarum, quæ consuetudinem contrariam servabant, tam paucæ erant, ut non impedirent moralem universitatem traditionis. Quod idem dicendum de Patribus, circa quos illud proportionaliter valere debet, quod de S. Cypriano dicebat Augustinus (b): *Non accipio quod de baptizandis Hæreticis & Schismaticis Beatus Cyprianus sensit, quia hæc Ecclesia non accipit, pro qua Beatus Cyprianus sanguinem fudit*. Ubi tamen noto non deesse Theologos, plures ex adductis Patribus vindicantes ab errore rebaptizantium. Ipse brevitatis studio hanc provinciam aliis relinquo.

Prob.

(a) *Lib. 2. de Bapt. cap. 7.*
(b) *Lib. 2. contr. Crescon. Cap. 32.*

Prob. ex sensu Ecclesiæ. Arelatense I. ait (a): *Placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum, & si perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu S. esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum S.* Nicænum I. (b), quamvis velit rebaptizari baptizatos a Paulianistis, quia ipsi vitiabant formam, admittit tamen ut validum Baptismum aliorum Hæreticorum; ait enim (c): *De his, qui se nominant Catharos, idest mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit sancto & magno Concilio, ut impositionem manus accipientes sic in clero permaneant*. Similia habent Laodicænum, Constantinopolitanum II., Arelatense II., & Florentinum, ubi ait (d): *In causa necessitatis . . . etiam Paganus & Hæreticus baptizare potest*, & novissime Tridentinum inquit (e): *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptisma, anathema sit*. Nicolaus I. ait (f): *A quodam Judæo, nescitis, an Pagano multos in Patria vestra baptizatos asseritis, & quid de iis sit agendum consulitis. Hi profecto si in nomine Ss. Trinitatis, vel tantum in nomine Christi baptizati sunt, constat eos non fuisse denuo baptizandos*. Præterea in Cap. *Romanus* dicitur (g): *Spiritum Dei subministrare gratiam Baptismi, licet Paganus sit qui baptizat*. Ergo &c.

Prob. ratione. I. Baptismus vim habet a Christo non a Ministro. Quid igitur fides Ministri ad valorem Sacramenti? II. ex supra statutis non requiritur in Ministro probitas ad validitatem Sacramen-

---

(a) *Can.* 8. (b) *Can.* 19. (c) *Can.* 8.
(d) *In Decret. Eugen. pro union. Armen.*
(e) *Sess.* 7. *Can.* 4. (f) *Ad consult. Bulgaror.*
(g) *De Consecr. dist.* 4.

menti. Ergo nec fides. Ita Augustinus inquiens (a): *Sicuti urgeri videor, cum mihi dicitur; Ergo hæreticus dimittit peccata? sic & ego urgeo cum dico: Ergo qui cælestia mandata non servat, avarus, raptor, fœnerator, invidus &c. peccata dimittit? Si per vim Sacramenti Dei sicut ille, ita & ille: si per meritum suum, nec ille, nec ille.* Ergo &c.

Obj. ex Scripturis I. Ecclesia dicitur (b) *hortus conclusus, fons signatus*. Qui ergo extra illam est ex defectu fidei, non potest de ejus aquis attingere, ac aliis præbere. Ergo nec Sacramenta ministrare.

II. S. Petrus (c) docet nos salvos fieri posse tantum per Baptismum Ecclesiæ, ut qui salvati sunt a Diluvio, per arcam salvati sunt. Sicuti ergo extra arcam nullus est salvatus, ita nec salvabitur nisi qui recipit Baptismum Ecclesiæ: Baptismus autem collatus ab infideli non est Baptismus Ecclesiæ. Ergo &c.

Ad I. ℞. Locum posse exponi de Ecclesia triumphante, & si exponatur de militante, posse intelligi juxta S. Augustinum (d) de Ecclesia non considerata secundum totam suam latitudinem, sed tantum quoad justos, & sanctos, quo etiam sensu dicitur *lilium inter spinas, speciosa, columba, sine macula, sine ruga &c.* Sed etsi Ecclesia secundum totam suam latitudinem accipiatur, responderi potest illam esse quidem hortum conclusum, quatenus nullus, nisi ipsa sponte aperiente, potest in illam ingredi: hoc autem non impedit, quin ipsa sponte quodammodo permittat in se aditum exteris, ut aliquid ex se accipiant aliis dandum, sive potius ipsa sponte per exteros aliquid sui det, ut de facto Baptismum suum etiam exteris concedit per ipsos ministrandum. Ad hanc etiam rem optime facit quod dicitur in Jure (e): *Ecclesia Paradiso comparata indicat nobis*

(a) *Lib.* 4. *de bapt. contr. Donatis. cap.* 4.
(b) *Cantic.* 4. (c) 1. *Pet.* 3.
(d) *Lib.* 5. *de bapt. contr. Donatis. cap.* 27.
(e) *Cap.* Ecclesia *de cons. dist.* 4.

his, poſse quidem ejus Baptismum homines etiam foris recipere, sed salutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere vel tenere. Non enim in Mesopotamia vel Ægypto, quo illa flumina pervenerunt, est felicitas vitæ, quæ in Paradiso commemoratur. Et sane quod ipsa sit hortus conclusus & fons signatus, non impedit, ne poſsit quis ab illa exiens secum asportare Baptisma, ut de facto asportant Apostatæ. Ergo a pari non impediet, ne poſsit qui nunquam in illam intravit, de illius Baptismate aliis tribuere, quia utrumque fit de ipsius voluntate & consensu.

Ad II. ℟. Baptisma datum ab Infidelibus ex dictis esse Baptismum Ecclesiæ. Ergo &c.

Obj. ex ratione. I. Baptismus flaminis est verus Baptismus, nec tamen valet sine fide. Ergo a pari nec Baptismus fluminis.

II. Ad Sacramentum constituendum, ut infra probabitur, requiritur intentio. Ergo etiam fides; quomodo enim potest haberi recta intentio, nisi præsupposita fide, cum actus voluntatis, qualis est intentio, dirigatur ab actu intellectus, qualis est fides, & in illo fundetur, adeoque hoc sublato & illud auferri necesse sit?

III. Per Sacramentum, & præcipue per Baptismum Christo filii spiritualiter generantur. Generatio ergo hæc debet fieri per sponsam Christi, adeoque per veram Ecclesiam. Infideles autem ad veram Ecclesiam non pertinent, adeoque nec ad veram sponsam. Quomodo ergo poterunt per Sacramenta generare Christo filios?

Ad I. ℟. Negando consequentiam; ideo enim non valet Baptismus flaminis sine fide, quia sine hac in taliter baptizando nequeunt haberi constitutiva talis Baptismi: hæc enim solum sunt actus charitatis cum voto suscipiendi Baptismum. Non potest autem haberi hæc charitas sine fide. At sine fide possunt in Ministro haberi constitutiva Baptismi fluminis, scilicet applicatio aquæ, prolatio formæ, & debita intentio. Ergo &c.

Ad II. ℟. Negando consequentiam; potest enim infidelis habere intentionem sufficientem ad valide

con-

conficiendum Sacramentum, idque nedum si error in fide versetur circa aliud diversum a Sacramento (patet enim non impedire, ne velit quis conficere Sacramentum, quod erret E. G. in fide præcise circa Purgatorium, aut circa cultum Imaginum,) sed etiam si erret circa ipsum Sacramentum, existimans E. G. illud esse vanam & otiosam cæremoniam. Quid enim vetat, ne etiam hoc posito, ipse facere velit quod vera facit Ecclesia, vel quod Christus instituit? quo casu intentio hæc practica & absoluta non lædetur ab errore, seu etiam ab intentione contraria implicita, quæ in errore fundatur, & ab illo profluit; hæc enim est mere speculativa, & conditionalis, adeoque insufficiens ad infirmandam priorem. Sane quod ego E. G. existimem medicamentum nihil ægroto profuturum, non impedit, ne possim cum intentione faciendi quod facit Medicus illud ægroto exibere. Ergo a pari &c. Nec officit quod additur; licet enim intentio utpote actus voluntatis debeat dirigi ab actu intellectus, hic tamen non debet necessario esse fides circa idem objectum, circa quod versatur intentio; sufficit si sit actus quo cognoscatur utcumque illud objectum, & aliqua in illo saltem implicita bonitas, quæ utique in casu etiam absque fide potest cognosci. Ergo &c.

Ad III. ℟. baptizatos semper renasci Christo per Ecclesiam, quæ illos Christo generat vel per se, vel per uterum ancillarum suarum; idest per eos, qui extra illam sunt: quomodo Lia & Rachel uxores Jacob eidem genuerunt aliquos filios per se, alios genuerunt per uteros ancillarum, quas marito dederunt, ut ex illis earum nomine generaret filios. Ita S. Augustinus, qui pluribus prosequitur hoc argumentum, & postea ait: (a) *Ergo ipsa Ecclesia generat & per uterum suum, & per uteros ancillarum ex iisdem Sacramentis tanquam ex viri sui semine*. Ergo &c. Agendum modo de intentione. Sit ergo

AR-

(a) *Lib.* I. *de Baptis. Cap.* 10.

ARTICULUS QUARTUS.

Noto 1. intentionem generaliter esse propositum voluntatis, adeoque relate ad Sacramenta esse actum voluntatis, quo ipsa vult positionem Sacramenti.

Noto 2. hanc intentionem a Luthero & Calvino respui ut superfluam; putant enim sufficere ad validitatem Sacramenti, quod ponatur materia & forma (explicata prout ipsi explicant) etsi ponatur irrisorio modo, vel mimice, vel ab eo, qui ob fatuitatem, aut ebrietatem, aut somnum, aut distractionem noscit quod facit, adeoque humano modo non operatur. In his inquam & similibus casibus, etsi Minister nullam habeat intentionem conficiendi Sacramentum, volunt ipsum confectum iri: eo proportionaliter modo, quo si in similibus circumstantiis ignis admoveatur stuppæ, etiam absque eo quod admovens intendat illum admovere, stuppa comburetur. Contra Catholici docent ad validitatem Sacramenti requiri, ut Minister operetur humano modo, adeoque ut & cognoscat quod agit, & velit ponere Sacramentum saltem per hoc, quod velit facere quod facit Ecclesia, ita ut defectu hujus intentionis, & illius, quæ ad intentionem requiritur, cognitionis, Sacramentum nullum sit futurum. Sit ergo

Assertio. *Ad valorem Sacramentorum requiritur in Ministro intentio, qua revera proponat facere quod facit Ecclesia*. Est de fide.

Prob. ex Scriptura. Hæc docet conferentes Sacramenta esse Ministros Christi: dicit enim Apostolus: (a) *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. Ut autem quis operetur tanquam Minister & dispensator alterius, necesse est, ut per intentionem se determinet

(a) 1. *Cor.* 4.

net ad operandum nomine illius, præcipue si actio ex se possit fieri a priore nomine tam proprio quam alterius: seclusa enim hac determinatione, actio semper censebitur facta a priore nomine proprio, adeoque non operabitur ut Minister & dispensator alterius. Porro actio sacramentalis fieri potest ab homine nomine tam proprio quam Christi: potest enim quis infantem abluere & ad conferendum illi Sacramentum Baptismi, quo casu actio fit nomine Christi, & ad sordes corporis tollendas, invocando ex mera devotione Trinitatem per illud: *Ego te baptizo in nomine Patris &c.*, quo casu actio non fit nomine Chrirti. Ergo &c.

Hoc totum exemplo roboratur & explicatur. Sit Minister Principis, cui hic eommsserit, ut eleemosynas det ipsius nomine ita tamen, ut has posset etiam dare nomine proprio; si hic per intentionem non se determinet ad dandam eleemosinam potius nomine Principis, quam proprio, profecto eleemosynam, quam dat, potius nomine proprio, quam Principis dabit. Ergo a pari &c. Et sane admissa sententia Novatorum valide Sacramenta conferrent dormiens, amens, minus præcise ludere intendens, & alii hujusmodi ponentes materiam & formam. Quis autem dicat hos se gerere ut Ministros Christi? Non magis profecto se gerunt, quam se gerat ut Minister Regis qui hystrionis indutus habitu in scena ludere intendens, vel inter pocula ebrius munera Regis dispensaret, quem nullus dicet operari ut Ministrum Regis. Ergo &c. Ulterius si conficiens Sacramentum est Minister Christi, est illius instrumentum (quod importatur a ratione Ministri) & quidem instrumenrum non inanimatum & iners, sed vivens & liberum, adeoque humano modo operans: quis enim credat Christo suffecisse, ut actio fieret a Ministro suo more pecudum, præcipue cum illius prudentiæ & arbitrio commiserit Sacramenti administrationem? Ut autem quis opererur tanquam tale instrumentum, requiritur, ut patet, intentio. Ergo &c.

Prob.

Prob. ex sensu Ecclesiæ. Eugenius IV. recensitis septem Sacramentis subdit: (a) *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum*. Leo X. proscripsit hunc Lutheri articulum: (b) *Si sacerdos non serio absolveret, sed joco, si tamen credat pœnitens se esse absolutum, verissime est absolutus*. Tridentinum ait: (c) *Si quis dixerit in Ministris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit:* & alibi: (d) *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi & declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum, aut sacerdos non serio, sed joco absolvet, anathema sit*. Accedit quod Cornelius Papa ordinationem Novati in Episcopum nullam & irritam declaravit (e), *eo quod homines simplicioris ingenii temulentos & crapula oppressos adumbrata quadam & inani manuum impositione Episcopatum sibi tradere per vim coegerit*. Ergo &c.

Prob. ratione. Admissa sententia contraria jam sacerdos E. G. mensæ assidens, atque, ut fit in mensis Regularium, legens Evangelium, ubi fit mentio de cœna Domini, proferens historice illa verba: *hoc est corpus meum* super panem appositum in mensa, illum consecraret. Rursus mimi in Theatro celebrantes Matrimonium, vere illud contraherent. Hæc sunt absurda. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. Ibi narratur (f) Isaacum volentem benedicere Esau benedixisse Jacobo putando

(a) *In Decret. Eugen. de union. Armen.*
(b) *In Bulla contr.* (c) *Sess. 7. Can.* 11.
(d) *Sess.* 14. *Can.* 9. (e) *Ep. ad Fabium Antiochen. apud Eusebium lib. 6. hist. Eccles.*
(f) *Genes* 27.

do ipsum esse Esau, & tamen valuit hæc benedictio, quamvis in Isaaco deesset intentio benedicendi Jacobo. Ergo a pari valebit Sacramentum absque intentione a Ministro collatum.

℟. primo ideo valuisse hanc benedictionem, quia hæc non fuit rigorose operativa, sed solum prophetia felicitatis Jacob, quæ jam fuerat a Deo antecedenter decreta. Ad prophetiam autem non requiritur intentio prophetantis, cum sæpissime Prophetæ extra se constituti futura prædixerint. Sacramentum autem est operativum. Ergo &c. Secundo ℟. illam benedictionem non fuisse validam ut primo datam, sed solum ut confirmatam ab Isaaco, qui advertens Deum velle, ut Jacob ampliori fortuna donaretur, quam Esau, ratihabuit priorem benedictionem. Ergo &c.

Obj. ex Ecclesiasticis monumentis. I. cum S. Athanasius referente Rufino (a), Socrate (b), & Sozomeno (c) adhuc puer & ludens baptizasset alios pueros, hoc Baptisma approbatum fuit a S. Alexandro Episcopo Alexandrino.

II. Narrat Nicephorus (d) ævo suo contigisse, ut pueri per ludum alium puerum Hebræum ad littus maris stantem baptizarent, supponentes cereo baculum, & amictui discissam partem vestimenti, & hoc Baptisma a Constantinopolitano Præside fuisse approbatum. Ergo &c.

Ad I. ℟. primo (omisso interim facto) Athanasium voluisse facere quod viderat fieri ab Episcopo baptizante, adeoque veram habuisse intentionem baptizandi (& ita eum confessum fuisse coram Alexandro narrant prædicti Historici). Huic autem intentioni non officiebat finis ludendi; nam hic erat extrinsecus administrationi Sacramenti. Dupliciter enim potest per ludum conferri Sacramentum: primo ita ut Sacramenrum sit subjectum, ex quo ludus captetur, quatenus vere vult quis conficere Sacramentum, animo tamen oblectationis inde

(a) *Lib. 1. histor. cap.* 14. (b) *Lib.* 1. *cap.* 15.
(c) *Lib.* 1. *cap.* 17. (d) *Lib.* 3. *cap.* 37.

de captandæ, quomodo petest quis E. G. cytharam pulsare animo quidem oblectationis inde captandæ, sed tamen cum intentione vere pulsandi & juxta regulas artis: secundo ita ut Sacramentum sit objectum ipsum, quod luditur, quatenus non vult quis ponere Sacramentum, sed tantum ludere, quomodo quis potest animo oblectationis capiendæ fingere se pulsare cytharam, vel illam pulsare non servatis regulis artis. Hic secundus lusus officit valori Sacramentorum, prior non. Et hoc solum modo lusit Athanasius.

℟. secundo factum hoc esse commentitium: nam illud evenisse traditur tempore S. Alexandri, qui anno 313. vel 314. ad sedem Alexandrinam fuit evectus (& hoc patet ex quo S. Petrus Alexandrinus unus ex prædecessoribus S. Alexandri ex Eusebio (a) fuit creatus Episcopus Alexandriæ anno 300. & sedit annos 12. & post illum fuit interpontificium unius anni: deinde fuit creatus Episcopus Achillas, qui sedit tantum 5. mensibus, & postea fuit creatus Episcopus S. Alexander, ut constat ex Gelasio Cyziceno (b). Anno autem 320. S. Athanasius erat Diaconus; nam epistolæ Synodicæ hoc anno editæ a S. Alexandro adversus Arium subscriptus legitur inter Diaconos. Igitur anno 320. erat ad minimum 25. annorum, cum eo tempore juxta canones Neocæsarienses & Agathenses Diaconi nonnisi 25. annorum ordinarentur: consequenter etsi fingamus Baptismum ab illo collatum inito Episcopatus S. Alexandri, adeoque anno 313.: dicendum erit tunc ipsum fuisse annorum 18. vel 19., quo posito non poterat esse puer inter pueros ludens. Idem alio pacto ostendi potest. S. Athanasius ex communi Scriptorum fuit creatus Episcopus Alexandrinus anno immediate subsequente celebrationem Concilii Niceni, quod fuit celebratum anno 325., adeoque anno 326. At tunc ad minimum 30. annorum erat, cum minor ætas ad Episcopatum non sufficeret juxta canones tunc vigentes: & hoc etiam pa-

(a) *Lib. 7. histor. cap. 23.*
(b) *Lib. 2. histor. Concil. Niceni cap. 2.*

patet ex quo nunquam Ariani cæteroquin infensissimi hostes S. Athanasii, illi objecerunt, quod fuisset ordinatus junior, quam par esset, hoc profectò objecturi, si contigisset, ut sæpius objectum fuit Pauliniano fratri S. Hieronymi. Si igiiur anno 326. Athanasius erat annorum ad minimum 30. patet tempore S. Alexandri ipsum non fuisse puerum, sed ad minimum 18. annorum, Ergo &c.

Ad II. ℟. Nicephorum narrare Episcopum Constantinopolitanum reperisse puerum Judæum revera voluisse baptizari, & consequenter decrevisse, *ut etiam in illo quod deesset juxta mysterii executionem compleretur*. His vel indicatur voluisse Episcopum, ut huic Judæo conferretur Baptisma, & hoc supponit prius fuisse invalidum, adeoque etiam dato defectu intentionis in baptizantibus nihil contra nos, vel indicatur Baptismum fuisse agnitum ut validum, & solum decretum, ut supplerentur illius cæremoniæ accidentales, & sic dico pueros baptizantes habuisse veram intentionem baptizandi. Ergo &c.

Obj. ex Romanis Pontificibus. Innocentius IV. ait: (a) *Non est nacesse, quod baptizans sciat quid sit Ecclesia, quid baptizatus, & unde sit, neque quod gerat in mente facere quod facit Ecclesia, imo si contrarium gereret in mente, scilicet non facere quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatus est*. Ergo ex Innocentio non requiritur intentio.

℟. Primo Innocentium, cum hæc scripsit, nondum fuisse Papam, unde hæc non ut verba R. Pontificis auctoritatem habent. ℟. secundo Innocentium solum excludere necessitatem intentionis versantis circa effectum Sacramenti, cæterum absolute velle ut necessariam intentionem, quæ respiciat illius substantiam. Mens ipsius ex proxime sequentibus patet; subdit enim: *Unde si aliquis .... vadat ad Saracenum, & dicat: baptiza me, & doceat eum formam, & ille Saracenus baptizet non credens per immersionem aliquid aliud fieri nisi madefactionem, &*

(a) *In 3. Decret. cap.* Si quis Puerum *de baptis.*

& non intendat eum baptizare, vel etiam madefacere secundum intentionem petentis Baptismum, idest ut Baptismus operetur quidquid operari potest, & ipse baptizans tanquam minister conferat quod alii baptizantes conferunt, vere baptizatus est. Sed si hoc non intenderet, non baptizaret. Ergo &c.

Obj. ex Patribus I. Chrysostomus inquit (a): *Sacerdos & linguam & manus præbet: neque enim justum est propter alterius malitiam ad salutis nostræ symbola accedentes offendi.* Hic vult Chrysostomus præberi a Ministro solam actionem materialem, non ergo agnoscit necessariam intentionem: præsertim cum, si hæc necessaria esset, posset ex illius defectu irritari Sacramentum, adeoque lædi ex alterius malitia suscipientes, quod S. Pater dicit absurdum. Hunc esse sensum Chrysostomi patet etiam ex quo comparat (b) sacerdotem impium asinæ Balaam, per quam locutus est Deus, & quæ sane humano modo non est locuta.

II. S. Augustinus solam actionem materialem ad constituendum Sacramentum sufficere existimat: inquit enim (c): *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, ubi de intentione ministrantis nihil habet. Præterea ipse intentionis excludit necessitatem, dum inquit (d): *Quos baptizavit ebrius, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si Baptismus Christi erat, Christus baptizavit.* Ebrius autem est incapax intentionis. Ergo &c. Ad summum dicendum Augustinum de necessitate intentionis dubitasse; ita enim scribit (e): *Ubi totum ludicre & mimice, & joculariter ageretur, utrum approbandus esset Baptismus qui sic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum ... implorandum esse censerem.* Ergo &c.

Ad I. ℟. Chrysostomum tantum contendere non officere valori Sacramenti improbitatem Ministri, de intentione vero ipsum nihil asserere. Dicit quidem injustum esse, ut lædatur suscipiens ob alterius ma-

(a) *Homil.* 86. *ol.* 85. *in Jo.* (b) *Ibid. immediat. ante.*
(c) *Tract.* 80. *in Jo.* (d) *Tract.* 5. *in Jo. n.* 18.
(e) *Lib.* 7. *de baptism. cap.* 53.

malitiam, sed hic solum considerat malitiam in genere, quatenus scilicet ex ipsa, ut præcise malitia est, lædi nequit suscipiens; at non negat illum lædi posse ex tali vel tali malitia, sive quatenus ex hac potest Minister invalide ponere Sacramentum. Et sane non ignorabat S. Doctor posse Ministrum E. G. loco aquæ naturalis in Baptismo adhibere alium liquorem ineptum, & ita invalide baptizare, sicque lædere suscipientem. Ergo a pari &c. Ex his patet quo sensu comparet Ministros Sacramentorum asinæ Balaam, ut scilicet excludat ab ipsis necessitatem probitatis.

Ad II. ℟. Scopum Augustini primo loco solum esse, ut probet elementum absque verbis Evangelicis non posse constituere Sacramentum, illis autem accedentibus constituere: at a modo, quo verbum accedere debet, Augustinus hic præscindit. Non ergo negat necessitatem intentionis. Secundo loco non dicit validum Baptismum collatum ab *ebrio*, sed ab *ebrioso*, ita enim legendum monent emendatissima exemplaria; ebriosus autem, qui scilicet solet inebriari, capax est rectæ intentionis, si ebrius actualiter non sit. Tertio loco vel solum dubitavit Augustinus utrum posset in mimo adesse intentio sufficiens ad substantiam Sacramenti, & sic dubium illius non attingit assertionem nostram: vel etiam dubitavit, utrum absente quacumque intentione validum esset Sacramentum, & hoc non obstante dico nunc dubitari amplius non posse, cum nunc accesserint monumenta, ex quorum defectu olim Augustinus dubitabat.

Obj. ex ratione I. Antequam Episcopus ordinet, denunciat se nolle ordinare excommunicatos, aut alios simili vitio laborantes, & tamen si aliquis ex his sit inter ordinandos, est valide ordinatus; nam plectitur quidem suspensione, sed non reordinatur. In casu autem deficit in Ministro intentio. Ergo &c.

II. Verbum divinum, etsi mimice proferatur, habet suam efficaciam. Ergo etiam Sacramentum.

III. Sacramentum habet suam vim solum ex meritis Christi. Non ergo dependet ab intentione Ministri.

periore responsione) etsi verbum Dei mimice proferatur, potest movere audientem, quia hic effectus non provenit præcise ab ipso verbo, sed a re per verbum significata, quæ res significatur etiam per verba mimice prolata: ut E. G. quod ego audiens hanc propositionem: *Deus est amabilis*, movear ad amandum Deum, non oritur præcise ex propositione, sed ex amabilitate Dei, quæ menti meæ per illam objicitur, etsi a psyttaco proferatur. Hæc autem amabilitas existit independenter a modo, quo per propositionem exprimitur. At ex probatis independenter a modo humano cum non ponatur actio Sacramentalis, non ponitur id, quod producit effectum Sacramenti. Ergo &c.

Ad III. ℟. Distinguendo antecedens, quoad efficaciam. conceditur, quoad existentiam negatur. Quod itaque Sacramentum in esse constitutum producat effectum non dependet a Ministro: at ab illo dependet, quod in esse constituatur: quomodo sententiæ inferiorum judicum efficaciam habent a sola voluntate Principis, & existentiam a voluntate judicis, qui illas humano modo ponere debet. Ergo &c.

Ad IV. ℟. Primo Græcos revera sentire quod consecratio fiat verbis illis: *hoc est corpus meum*, & solum velle requiri adjunctam orationem, ut Eucharistiæ vis fidelibus applicetur. Ita Cabasilas Græcus (a), Sed etsi contrarium sentirent, adhuc valide consecrarent, cum absolute intendant facere quantum possunt, ut consecrent, adeoque habeant intentionem saltem implicitam adhibendi illa verba ut consecratoria.

Ad V. ℟. Valituras in casu litteras Principis, quia tunc Minister nihil debet conficere, sed solum exhibere litteras confectas, adeoque est de genere illurum Ministrorum, quorum corporalis tantum actio exigitur, At contra erit, si Minister ali-

E 2 qua

(a) *Lib. 4. de vita Christi.*

qua conficere debeat per voluntatem & prudentiam suam, ut E. G. concordare pacem, condemnare vel absolvere reos &c.; tunc enim confectum a Ministro amente vel ebrio, adeoque debita intentione destituto, nullum censendum est. Ministri autem Sacramentorum conficere debent Sacramentum per prudentiam & voluntatem propriam. Ergo &c.

Ad VI. ℟. In nostra sententia excludi quidem certitudinem physicam de validitate Sacramenti, sed non moralem, quæ exurgere debet ex quo videamus Ministrum rite Sacramentum extrinsecus ministrare; hoc enim posito, nec possumus nec debemus prudenter dubitare, ne in illo fuerit necessaria intentio. Hæc autem moralis certitudo anxietatem nimiam excludit, sed non quemcumque timorem, quem tamen non esse irrationabilem docet Apostolus inquiens (a): *Cum metu & tremore salutem vestram operamini*. Cæterum etiam in sententia Novatorum debet admitti hic timor; etsi enim non requireretur intentio, semper possemus timere de aliis requisitis pro Sacramentis, ut E. G. ne loco aquæ naturalis adhibitus sit in Baptismo alius liquor ineptus, ne loco panis triticei pro Eucharistia adhibitus sit panis hordeaceus. Ergo &c.

ARTICULUS QUINTUS.

Videndum modo qualis debeat esse intentio Ministri.

Intentio itaque varias patitur divisiones partim deductas ex modo, quo ipsa fertur in objectum, partim ex ipso intentionis objecto. Ex modo dividitur I. in *actualem*, *virtualem*, *habitualem*, & *interpretativam*. Actualis est, qua agens hic & nunc advertit quod facit, illudque facere vult (ubi noto hanc intentionem haberi exercite, dummodo Minister actu advertat quod facit, etsi nec corde nec

(a) *Philip.* 2.

nec ore dicat *intendo*, seu *volo hoc agere*, exercite enim id dicit: imo scrupulosum est non putare intentionem actualem, nisi talis sit in actu signato seu reflexo.) Virtualis est, cum hic & nunc non habetur advertentia & voluntarietas, sed antea habita fuit, nec est retractata, & vi illius moraliter censetur poni actus, sicque in effectu perseverat. Dixi *moraliter*; ad intentionem enim virtualem non sufficit influxus mere physicus prioris intentionis in actum, qualis haberetur in eo, qui sanæ mentis voluisset celebrare Missam, & postea in amentiam prolapsus, & vi specierum relictarum a priore intentione Missam celebraret, tunc enim influxus prioris intentionis esset mere physicus, & materialis; sed requiritur influxus moralis, & qui importet humanum modum agendi. Habitualis habetur, cum operans aliquid agit nec advertens hic & nunc quod agit, nec ex vi præteritæ intentionis moraliter moventis, sed solum ex habitu, vel habituali dispositione, vel ex vi actus præcedentis solum physice hic & nunc influentis modo supra explicato. Interpretativa tandem est quæ nec existit, nec extitit aut in se, aut in effectu, aut in habitu, sed solum præsumitur adfutura, si sufficienter proponeretur objectum. Si Sacerdos E. G. advertat hic & nunc se absolvere, & revera absolvat, habet intentionem actualem: si hic cœpit audire confessiones animo absolvendi, & plene compos sui, non retractata priore intentione hic & nunc distractus absolvit, habet solum virtualem: si sit amens, & absolvat ex habitu absolvendi ante amentiam contracto, habet tantum habitualem: si sit amens ipsique suggeratur ut proferat verba absolutionis supra moribundum, & ex hac præcisa suggestione proferat, prolaturus etiam si esset sui compos, habet intentionem tantum interpretativam. Ubi adverto antiquitus fuisse confusas intentionem virtualem & habitualem; omnis enim intentio, quæ non esset actualis, dicebatur habitualis, ita tamen ut habitualis tunc solum diceretur sufficere, cum moraliter vi illius agens operabatur, quo casu est quæ modo dicitur virtualis.

II Dividitur ex parte modi intentio in *directam*, qua aliquis rem vult immediate in se, & in *indirectam*, qua vult rem in alio. Si quis E. G. in se velit homicidium, erit intentio directa: si velit ebrietatem, ex qua prævidet secuturum homicidium, erit indirecta.

III. Dividitur ex parte modi intentio in *absolutam*, qua quis vult rem independenter ab ulla conditione, & in *conditionatam*, qua rem vult dependenter tantum ab aliqua conditione. Si Sacerdos E. G. velit puerum nulla apposita conditione baptizare, intentio erit absoluta, si velit illum baptizare solum in hypothesi, quod sit masculus, erit conditionata.

Ex parte vero objecti dividitur intentio (relate ad Sacramentum) in *externam*, quæ præcise respicit ritum externum sacramentalem (ubi, ut patet, intentio hæc dicitur externa non ratione principii; nam hoc est actus voluntatis internus, sed ratione objecti, quod est aliquid præcise externum) & *internam*, quæ hunc ritum respicit ut sacrum & sacramentalem. Circa has intentionis species hæc sunt notanda.

Certum est intentionem actualem in Ministro pro valore Sacramentorum esse optimam, sed non necessariam, virtualem sufficere, non vero habitualem, & multo minus interpretativam. Primum ostenditur; nam intentio actualis est melior quacumque alia: sed cum sit moraliter impossibile, ut semper habeatur, ideo non est censendum Deum voluisse, ut illa requireretur ad confectionem Sacramentorum, alias hæc sæpe essent irrita. Secundum ostenditur; nam si non est necessaria intentio actualis, & alias Minister debet operari humano modo, dum conficit Sacramenta, sufficiet virtualis, quæ inferior est actuali, & facilior, & qua posita Minister humano modo operatur, & quæ in omnibus aliis humanis actionibus sufficit. Tertium ostenditur, quia intentio habitualis non sufficit, ut Minister humano modo operetur, cum ipsa possit esse etiam in amente, & in ebrio. Quartum tandem ostenditur, quia (præterquamquod intentio inter-

pre-

pretativa & ipsa in amente & ebrio haberi potest, unde est insufficiens, ut ex illa quis operetur humano modo) accedit insuper quod hæc intentio nec fuit nec est, sed solum esset: quis autem dicat sufficere ad valorem Sacramenti intentionem, quæ tantum esset?

Ubi adverto ab hac generali regula, quod non sufficiat in Ministro Sacramentorum intentio habitualis, aliquos excipere Matrimonium; cum enim Ministri hujus Sacramenti probabilius sint contrahentes, & hi possint contrahere per procuratorem, fieri potest, ut cum procurator contrahit, alter ex contrahentibus dormiat, quo casu non habet intentionem nisi habitualem, & tamen, dummodo antecedenter non fuerit revocatus consensus, Matrimonium est validum, indicio sufficere pro hoc Sacramento intentionem in Ministro habitualem. Sed alii reclamant volentes in hoc casu intentionem esse virtualem, cum voluntas præterita & non retractata principalis moraliter moveat procuratorem ad contrahendum, adeoque moraliter perseveret. Cum autem consentiant omnes Matrimonium in casu esse validum, quæstio reducitur ad litem de nomine, utrum scilicet intentio in casu debeat dici virtualis, an habitualis. Si primum placeat asserere, generaliter possumus dicere pro nullo Sacramento sufficere in Ministro intentionem habitualem: si vero alterum, ab adducta generali regula debemus excipere Matrimonium.

Ad probandum tamen quod generaliter sufficiat in Ministro intentio habitualis ad valorem Sacramentorum,

Obj. I. Si aliquis obligatus ad applicandam E. G. cras Missam pro Petro, hodie illam applicet, satisfacit obbligationi suæ, & cras valet pro Petro Missa ab illo celebrata, etsi non renovet intentionem: quo casu intentio applicativa est tantum habitualis ut per somnum interrupta. Ergo a pari sufficiet intentio habitualis pro confectione Sacramentorum.

II. Vere peccat qui habens ante ebrietatem intentionem occidendi, in ebrietate occidit, quo ca-

su intentio est tantum habitualis. Ergo a pari vere conficit Sacramentum, qui ante ebrietatem vult illud conficere, & postea in ebrietate ponit materiam & formam, adeoque valebit intentio habitualis.

Ad I. ℟. Assignando disparitatem; applicatio enim sacrificii est ad instar donationis, qua nihil conficitur, sed solum veluti transfertur rei dominium: confectio vero Sacramenti aliquid ponit in esse. Non ergo mirum si minus ad illam, quam ad hanc requiratur, adeoque si sufficiat intentio habitualis ad illam, non ad hanc.

Ad II. ℟. Et hic esse disparitatem; nam Sacramentum formaliter debet poni, cum Minister actu conficit, adeoque requiritur, ut tunc agat humano modo, ad quem insufficiens est intentio habitualis. At peccatum homicidii non fit formaliter, cum in hypothesi ponitur occisio, sed cum ponitur actus volitivus occisionis. Non ergo mirum si ad contrahendum peccatum necesse non sit, ut, cum ponitur occisio, ponatur humano modo, adeoque sufficiat intentio habitualis Ergo &c.

Intentio directa ad valorem Sacramentorum sufficit, ut per se patet: aliquando vero sufficit indirecta, aliquando non. Sufficit cum operans ex tali intenrione humano modo operatur, & saltem implicite vult Sacramentum: ut si E. G. infidelis nesciens quid sit Sacramentum Baptismi, rogatus a Catechumeno in necessitate constituto, ut super illum infunderet aquam, & proferret formam juxta propriam intentionem, id humano modo faceret, valide baptizaret, & tamen solum indirecte tunc intenderet Sacramentum, cum ipse directe solum vellet morem gerere petenti. Non autem sufficit, si operans ex illa non humano modo operetur, ut si quis vellet ebrietatem prævidens se in illa baptizaturum, vel prolaturum formam absolutionis.

Intentio absoluta per omnes sufficit. Circa conditionatam communiter distinguitur; vel enim conditio est de præsenti, vel de præterito, vel de futuro: si est de præsenti, aut præterito subdistinguen-

guendum est; vel enim hæc verificatur, & tunc valet Sacramentum, vel non verificatur, & tunc non valet. Si vero sit de futuro, dicitur communiter Sacramentum non valere, quia ad illius valorem debet expectari purificatio conditionis, quæ cum habebitur, non amplius habetur materia & forma. Aliqui tamen hic distinguunt; vel enim, inquiunt, conditio non purificabitur, & tunc Sacramentum est nullum, vel purificabitur, & tunc Sacramentum valet; nam positio Sacramenti non dependet ab actuali positione conditionis (ut penderet si conditio ita exprimeretur: *volo conferre Sacramentum solum cum ponetur talis vel talis conditio*,) sed solum a futuritione determinata ejusdem conditionis, quæ nunc habetur. Sed quidquid sit de hac subtilitate cæteroquin non irrationabili, communiter, ut dixi, Sacramentum sic collatum nullum censetur, & erit semper illicitum in praxi illud ita conferre.

An sufficiat externa intentio, an vero requiratur interna in Ministro ad valorem Sacramentorum, lis est celebris inter Doctores Catholicos, circa quam, antequam assertionem statuam, hæc sunt notanda.

Noto ergo I. certum esse, quod licet definitum sit requiri in Ministro ad validitatem Sacramentorum, ut habeat intentionem faciendi *quod facit Ecclesia*, non tamen requiritur, ut habeat intentionem explicitam faciendi quod facit Ecclesia Romana; sufficit enim si habeat intentionem generalem faciendi quod facit vera Ecclesia Christi, quæcumque credatur esse, & licet credatur esse E. G. vel Ecclesia Lutherana, vel Calviniana. Patet hoc tum a posteriori; nam rata semper sunt habita Baptismata collata a Lutheranis, Calvinistis &c., qui baptizando non intendunt explicite facere quod facit Ecclesia Romana, quam ipsi falsam putant, sed quod facit propria Ecclesia, quam putant veram: tum a priori; nam qui talem habet intentionem, intendit principaliter facere, quod facit vera Christi Ecclesia, quam licet per errorem putet Lutheranam, vel Calvinisticam, non tamen hic error infirmat principalem intentionem, cum

intentio in tali errore fundata faciendi scilicet quod facit Ecclesia E. G. Lutherana &c. subordinetur priori intentioni faciendi quod facit vera Ecclesia Christi (& hoc patet; nam si a taliter ministrante quæratur, quare velit facere quod facit Ecclesia Lutherana, vel Calvinistica, respondebit quia ipse existimat hanc veram Ecclesiam); unde semper in illo hæc prior intentio præponderat, adeoque &c. Ubi tamen monet Sylvius, quod si Minister ita intenderet facere quod facit Ecclesia E. G. Lutherana, ut positive excluderet intentionem faciendi quod facit Ecclesia Romana, etsi hæc esset vera Ecclesia, Sacramentum non valeret.

Noto 2. tria posse distingui in eo, quod facit Ecclesia, dum confert Sacramentum: primo actionem externam, ex qua resultat: secundo ipsum Sacramentum ex tali actione resultans: tertio effectum ipsius Sacramenti. Cum ergo Minister debeat habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia, quæritur quidnam ex his tribus debeat esse hujus intentionis objectum.

Noto 3. certum esse non requiri in Ministro ad validitatem Sacramenti, ut habeat intentionem explicitam producendi effectum Sacramenti, imo hoc valet, etsi Minister expresse nollet producere talem effectum, si tamen intenderet ponere Sacramentum. Et hoc patet tum a posteriori; nam Ecclesia probavit Baptismata Pelagianorum, qui utpote negantes originale non intendebant per illa mundare pueros ab originali, & approbat Baptismata Novatorum, qui utpote characterem negantes non intendunt per illa imprimere characterem: tum a priori; nam nugatoria censetur intentio non ponendi effectum, cum ponitur causa de se productiva illius, aut saltem talis intentio insufficiens est ad tollendam intentionem absolutam ponendi causam, nempe Sacramentum, quæ intentio hic supponitur.

Noto 4. controversum esse, utrum ad validitatem Sacramenti sufficiat in Ministro intentio habens pro objecto ritum tantum externum: an vero requiratur, ut habeat etiam Sacramentum, seu ri-

ritum illum ut sacramentalem. Et hoc ipsum est quod quæritur, dum instituitur quæstio an ad valorem Sacramentorum requiratur in Ministro interna, an externa sufficiat. Plures stant pro sufficientia externæ, plures etiam pro necessitate internæ. Priorem sententiam docuisse & præ cæteris illustrasse traditur Catharinus (unde hæc communiter dicitur sententia Catharini) & hanc postea secuti sunt Sylvester, Contensonius, Juvenin, Serry, Droven &c., & juxta hanc dummodo Minister velit serio modo, & in circumstantiis, in quibus ponitur ab Ecclesia Sacramentum, ponere ritum externum, ex quo resultat ipsum Sacramentum, etsi non velit ponere Sacramentum, immo expresse illud nolit: ipsum Sacramentum validum est. Posteriorem sententiam tenent Suarez, Lugo, Viva, Berti, Tournely &c. juxta quos requiritur ad Sacramenti validitatem, ut Minister velit nedum ponere ritum externum, sed etiam Sacramentum.

Noto 5. me consulto dixisse: *priorem sententiam docuisse traditur Catharinus*; utrum enim eam revera tradiderit, non est omnino certum. Ipse quidem in Opusculo, quod inscripsit *De intentione Ministri*, expresse docet sufficere ad validitatem Sacramenti, ut Minister velit ponere actionem externam, etsi habeat animum irridendi. Sed plures contendunt Catharinum per hoc exclusisse tantum necessitatem intentionis circa effectum Sacramenti, aut circa Sacramentum formaliter qua tale: & irrisionem, quam dicit non obesse valori Sacramenti, esse tantum irrisionem circa effectum ipsius Sacramenti, aut circa idem Sacramentum consideratum sub ratione formali Sacramenti. Pro qua re melius intelligenda notare oportet intentione circa actum externum Sacramentalem posse excludi intentionem circa Sacramentum, & posse etiam non excludi. Excluditur cum quis diceret, *volo tantum ponere actionem Sacramentalem externam, quam ponit Ecclesia, at per hanc Sacramentum expresse nolo conficere*. Non excluditur vero, si præcise diceret: *volo externam hanc actionem*, vel nesciendo

per hanc conſtitui Sacramentum, vel hoc non credendo: non, inquam, tunc excluditur intentio circà Sacramentum, ut patet, sed potius virtualiter includitur; ſtatim enim ac quis vult actionem externam sacramentalem, prout hæc fit ab Eccleſia, cum hæc fiat ab Eccleſia ut sacramentalis, intentio hæc virtualiter & implicite dirigitur etiam ad Sacramentum: quomodo ſi ego velim exhibere potionem infirmo, prout hæc externe exhibetur a medico (intendente per illam conſequi ejuſdem infirmi curationem) etsi ego neſciam virtutem iſtius potionis, vel non credam talem ipſi virtutem ineſſe, virtualiter & implicite volo etiam infirmi curationem, niſi expreſſe hanc voluntatem rejiciam. Hoc ergo poſito contendunt plures adſtrui a Catharino tanquam ſufficientem intentionem circa ritum externum, excludentem quidem intentionem circa effectum Sacramenti, aut circa ipſum Sacramentum formaliter qua tale, idest expreſſe conſideratum ut Sacramentum, ſed non excludentem illud saltem virtualiter & implicite. Ita Vaſquez, Tournely, Roncaglia, & quod majus eſt, Marcus Antonius de Dominis (cui utpote defendenti errorem Novatorum circa intentionem, multum contuliſſet ſententiam Catharini explicare in ſenſu minus ab eodem errore diſtante) ingenue tamen fatetur (a) *eum requirere intentionem faciendi actum externum ut sacrum, & non ut ſimpliciter profanum*. Utrum iſti aſſecuti ſint mentem Catharini, aliorum ſit judicium: hæc tamen notaſſe non erit inutile, ut in progreſſu patebit. Cæterum moderniores, qui Catharini ſententiam ſe ſequi profitentur, validum admittunt Sacramentum, etsi Miniſtri intentio circa ritum externum excludat poſitive intentionem circa Sacramentum. Contra iſtos ſit

As-

(a) *Lib.* 5. *de Rep. Eccl. cap.* 12.

ASSERTIO. *Ad valorem Sacramentorum non sufficit quod Minister intendat ritum externum sacramentalem, sed requiritur, ut saltem virtualiter & implicite illum intendat ut sacrum & sacramentalem, adeoque non sufficit intentio externa, sed interna requiritur.*

Prob. ex Conciliis. I. Florentinum ait (a): *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.* Cum ergo Ecclesia non solum faciat, seu ponat ritum externum, sed etiam Sacramentum, ad hoc debebit se extendere intentio Ministri. Ulterius subditur: *In casu necessitatis non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam laicus vel mulier, immo & Paganus & Hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia.* Duo ergo requiruntur in Ministro, & ut servet formam Ecclesiæ, & ut intendat facere quod facit Ecclesia. Cum autem Minister servat formam Ecclesiæ, habet intentionem externam; nam fatentibus adversariis hæc in homine mente sano inseparabilis est a positione ritus externi Sacramentalis, adeoque ab hoc, quod quis servet formam Ecclesiæ. Si ergo præterea exigitur, ut intendat facere quod facit Ecclesia, aliud exigitur præter intentionem externam, quod aliud non potest esse, nisi interna.

II. Tridentinum ait: (b) *Si quis dixerit in Ministris; dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit:* circa quod (cum idem repetat quod primo loco adductum est ex Florentino) valet adducta superior ratiocinatio. Præterea idem Tridentinum ait (c): *Non debet pænitens a-*

de-

(a) *In Decret. Eugen. pro union. Armen.*
(b) *Sess. 8. Can. 11.* (c) *Sess. 14. Cap. 6.*

deo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi nulla illi adsit contritio, aut Sacerdoti animus serio agendi, & vere absolvendi desit, putet tamen se propter suam solam fidem vere & coram Deo esse absolutum. Non est igitur ex Tridentino absolutus pœnitens, si Sacerdoti desit animus serio agendi, & vere absolvendi. Atqui deficiente intentione interna, si sola adsit intentio externa, deest in Sacerdote animus serio agendi & vere absolvendi; nam qui vult tantum externe proferre verba absolutionis, vult tantum fingere & jocari, adeoque non vult serio modo agere (cum nullus, nisi verbis ludamus, dicatur serio agere, si velit fingere & jocari) & vere absolvere. Ergo &c. Rursus vel per illud *serio agendi*, & *vere absolvendi* duo diversa importantur; vel unum & idem. Si unum & idem, jam illud *vere absolvendi* erit explicativum alterius *serio absolvendi*, adeoque illa serietas importabit verum animum absolvendi, quod est ipsa intentio interna. Si postea importantur duo diversa, peto: hæc duo exiguntur copulative, an disjunctive? Non utique disjunctive per Adversarios; nam sic sufficeret intentio absolvendi etiam sine intentione serietatis, adeoque valeret Sacramentum externe mimice collatum, quod ab ipsis rejicitur. Remanet ergo, ut illa duo exigantur copulative. At si copulative, exigitur ergo & intentio serio agendi, & intentio vere absolvendi, quæ posterior, si est aliquid diversum ab intentione serio agendi, non potest esse nisi intentio interna. Ergo &c.

Multipliciter hisce probationibus occurrunt adversarii. I. dicunt quod, si hæ valerent, jam sententia Catharini deberet dici damnata ab Ecclesia, quod tamen esse falsum constat ex quo Catharinus eam proposuit tempore Concilii Tridentini, nec tamen propterea fuit reprehensus, imo fuit summis laudibus a Patribus Tridentinis elatus, & postea primo Episcopali, ac mox Archiepiscopali dignitate donatus, & tandem designatus Cardinalis. Præterea sententiam Catharini non esse per Tridentinum (quod idem valet relate ad Florentinum,

cum

cum eodem fere modo utrumque loquitur) damnatam docet Pallavicinus, dum inquit (a): *Existimo Catharini sententiam falsam esse, sed non ideo per Tridentinos canones diserte damnatam:* & ubi expositis decretis in Tridentino circa Sacramentum Pœnitentiæ ait (b): *Ex hisce postremis verbis conjicere potest quisquis ea legerit, haud esse expunctam sententiam Catharini, aliorumque Theologorum opinantium Sacramento, quo ratum sit, sufficere in Ministro voluntatem serio agendi, & abesse tantummodo jocum, quem Sacramentum suscipiens cognoscere possit.*

II. Dicunt mentem Tridentini fuisse tantum proscribere errorem Lutheri nullam intentionem in Ministro requirentis, ut etiam docet laudatus Historicus inquiens (c): *Censeo sententiam Tridenti proscriptam eandem esse, quam Leo X. per suam constitutionem in Luthero damnavit, videlicet ita fuisse a Christo institutum Sacramentum, ut etiamsi minister per manifestam illusionem ac ludibrium illud peragat, effectum consequatur:* & infra: *Hinc patet nihil in Concilio decretum, quidnam illud sit, in quod hæc Ministri voluntas tendere debeat; sed solum fuisse requisitam eam intentionem, per quam ille sit revera Sacramenti effector, ac dispensator gratiæ, quæ per illud impertitur.*

III. Dicunt quod, si valeret argumentum supra adductum, idest: *Minister debet intendere illud facere quod facit Ecclesia. Hæc facit nedum ceremoniam externam, sed etiam Sacramentum. Ergo Minister etiam Sacramentum intendere debet*, valeret etiam hoc aliud: *Minister debet intendere illud facere, quod facit Ecclesia. Hæc facit etiam effectum Sacramenti, Ergo hunc etiam effectum intendere debet Minister.* Hoc per omnes non valet. Ergo &c.

IV.

(a) *Hist Concil. Trid. lib. 9. cap. 6.*
(b) *Ibid. lib. 12. cap. 10.*
(c) *Ibid. lib. 9. cap. 6.*

IV. Tandem dicunt aliud esse facere, quod facit Ecclesia, aliud eo fine illud facere, quo facit Ecclesia. Intentio prima exigitur a Tridentino, non secunda. Ergo solum exigitur intentio ponendi externe ritum sacramentalem; nam hoc est, quod facit Ecclesia: Sacramentum autem solum spectat ad finem, quo Ecclesia ritum sacramentalem ponit. Ergo &c. Sed

Contra I. est primo quod, si Catharinus solum docuit non esse necessariam in Ministro intentionem finis Sacramenti, ut supra notavi plures contendere, potuit damnari sententia Externistarum illæsa Catharini doctrina, & salvis laudibus & honoribus, quibus ipse cumulatus fuit. Secundo docuerit Catharinus sententiam Externistarum, ut modo ab ipsis defenditur; adhuc potuerunt ea omnia circa ipsum contingere, quæ allata sunt; non enim contendimus sententiam hanc esse expresse, &, ut ait Pallavicinus, diserte damnatam in Tridentino, sed solum hoc taliter locutum esse, ut potius in nostram, quam in Externistarum sententiam propendere visum sit: cum quo stat, quod Catharini sententia sit catholica, adeoque quod potuerit ab ipso propugnari, & potuerit ipse ob alia præclara ipsius merita & laudibus & honoribus cumulari.

Contra II. est, quod mens quidem Tridentini fuit proscribere, & expresse damnare errorem Lutheri, sed hoc non tollit, quod modo suo loquendi non innuerit potius nostram, quam Externistarum sententiam. Sane Pallavicinus non loquitur nisi *de proscriptione, & de decreto*, quod & nos fatemur respicere solum modo indicato errorem Lutheri. Ubi etiam noto evasionem hanc adversariorum, licet locum habere posset relate ad Tridentinum, non tamen locum habere relate ad Florentinum, quod eodem loquitur, ac Tridentinum, nec tamen per hunc damnare vult errorem Lutheri, qui tunc nondum aderat.

Contra III. stat disparitas, quæ intercedit inter intentionem versantem circa Sacramentum, & intentionem versantem circa illius effectum. Ex præno-

notatis enim, cum ponitur Sacramentum, etſi excludatur intentio circa effectum, hæc excluſio vel eſt nugatoria, vel eſt inſufficiens ad impediendum illum; nam poſita cauſa de ſe productiva effectus, non dependet ab intentione ponentis cauſam, ut idem effectus impediatur, quomodo cum applicatur ignis materiæ combuſtibili, etſi applicetur cum intentione, ut non comburat, non tamen ab hac intentione dependet excluſio combuſtionis. At ex probatis dependet ab intentione circa Sacramentum poſitio ipſius Sacramenti. Ergo &c. Huc etiam referatur quod ſecundo loco dicam in confutatione ſequentis objectionis.

Contra IV. ſtat primo hæc retorſio. Aliud eſt facere quod facit Eccleſia, aliud eo modo facere, quo facit Eccleſia. Intentio prima exigitur a Tridentino, non ſecunda. Ergo ſolum exigitur intentio ponendi materiam & formam; nam hoc eſt quod ponit Eccleſia: modus autem, ideſt exterior ſeries, poſitio ritus ſacramentalis in talibus determinatis circumſtantiis ſolum ſpectant ad modum, quo Eccleſia operatur. Hoc per adverſarios non valet. Ergo nec primum. Directe dico Sacramentum ita eſſe conjunctum cum ritu ſacramentali, quem ponit Eccleſia, ut licet poſſit dici aliquo modo finis illius, ſit tamen etiam identificatum cum ipſo, adeoque ſit tandem idem ritus, cum in eodem ritu tota conſiſtat ratio & eſſentia Sacramenti. Si ergo per illud *quod facit Eccleſia* venit ritus externus ſacramentalis, quem facit Eccleſia, neceſſario venit etiam Sacramentum. Et ſane ſi quæratur quid faciat Eccleſia per poſitionem materiæ & formæ, reſponſio obvia & ſponte, ut ita dicam, fluens eſt, ipſam facere Sacramentum. Ergo Sacramentum eſt id, quod facit Eccleſia, conſequenter etſi Sacramentum poſſit dici id *ad quod*, ſive finis, ad quem Eccleſia ponit materiam & formam, eſt tamen etiam propriiſſime id, *quod* per talem poſitionem facit. Ex quo patet diſcrimen intercedens inter relationem, quam habet poſitio materiæ & formæ ad Sacramentum, & relationem, quam habet eadem poſitio ad effectum Sacramenti. Licet enim effe-

effectus hic ab Ecclesia aliquo modo ponatur per positionem causæ, idest Sacramenti, cum tamen sit aliquid ipsi Sacramento extrinsecum & accidentale, non tam proprie dicitur esse id *quod* fit ab Ecclesia, ut Sacramentum, quod intrinsece & essentialiter constituitur a positione, quæ fit ab Ecclesia, materiæ & formæ. Ergo &c.

Prob. rursus assertio ex RR. Pontificibus. Alexander VIII. damnavit hanc propositionem (a): *Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo facere quod facit Ecclesia*, In hac sane propositione intentio non faciendi quod facit Ecclesia, non potest excludere ritum externum; nam hic supponitur exacte positus, & juxta adversarios in homine advertente quod facit, positio actionis externæ est inseparabilis ab intentione illam ponendi. Remanet ergo, ut excludat Sacramentum. At in hoc casu nullum declaratur Baptisma. Ergo &c.

Huic probationi multipliciter occurrunt adversarii. Aliqui I. asserunt non habere vim irrefragabilem dictam damnationem, utpote non factam immediate a Papa, sed ab Inquisitione.

II. Alii dicunt propositionem damnatam esse, quia loquitur indifferenter de omnibus servantibus ritum externum, inter quos sunt etiam qui mimice operantur, vel non in circumstantiis, in quibus ab Ecclesia ponitur Sacramentum, vel non advertendo quod faciunt, adeoque humano modo non operando, quo posito coincidit propositio cum errore Lutheri.

III. P. Serry addit se consuluisse Romæ aliquot primæ notæ Præsules, qui in ferenda sententia illa damnationis judices sederant, & ab iis didicisse per illam non fuisse damnatam sententiam Catharini. Addit, quod si damnatione illa damnata esset Externistarum sententia, hæc postea non

(a) 28.

non fuisset Romæ publice propugnata, ut pluries fuit, nec hanc postea tradidissent Theologi in suis libris nunquam a Sede Apostolica ob id damnatis, ut plures tradiderunt, inter quos Genetus in sua Morali Clementi XI. dicata, & Auctor Summæ Alexandrinæ jussu Benedicti XIII. Romæ editæ anno 1725. Sed

Contra I. dicta damnatio facta est, vel saltem confirmata ab ipso Papa, ut constat ex decreto ejusdem apud Viva. Quod si etiam facta fuisset a sola Congregatione Sanctæ Inquisitionis, esset tamen magni roboris, cum ex doctissimis viris hæc constet, quibus proinde saltem simul sumptis magis est attendendum, quam huic vel illi privato Doctori.

Contra II. est, quod ita exprimitur propositio, ut supponat ritum baptismalem positum serio modo, & in circumstantiis, in quibus ponitur ab Ecclesia; nam ipsa loquitur de eo, *qui intus in corde suo apud se* resolvit se nolle facere quod facit Ecclesia. Supponit ergo intentionem contrariam collationi Sacramenti remanere occultam, qualis non remaneret, si ritus sacramentalis vel serio extrinsece non poneretur, vel non in circumstantiis, in quibus ab Ecclesia ponitur. Rursus sensus litteralis propositionis manifeste excludit inadvertentiam; quod enim in illa enunciatur de Ministro, supponit ipsum esse sanæ mentis, cum exacta observatio ritus externi simul cum exclusione voluntatis faciendi Sacramentum (quæ supponit advertentiam, quod talis ritus possit fieri ut sacramentalis) vix in homine mentis non sanæ haberi possint. Si ergo hic minister supponitur sanæ mentis, eo ipso quod ab externa positione materiæ & formæ positive excludit voluntatem Sacramenti, advertit se talem materiam & formam ponere. Ergo &c. Adde quod, cum per omnes hæc propositio in Belgio serperet, illius profecto sensum non alii melius quam Belgæ Theologi nosse potuerunt. At isti in illa non Lutheranum, sed Externistarum sensum agnoverunt; nam teste P. Berti, cum sententiam de sufficientia intentionis externæ plures Augustinenses Theologi traderent, post damnatam

istam

istam propositionem ab ea sententia recesserunt, tanquam a sententia damnata. Imo P. Franciscus Henno Theologus & ipse Belga expresse asserit (a) propositionem damnatam fuisse desumptam ex thesi cujusdam Doctoris sibi familiaris, qui non Lutheranam, sed Externistarum sententiam defendebat.

Contra III est primo; quod potuerunt Consultores, qui ita responderunt, existimare sententiam Catharini non esse qualem contendunt moderni Externistæ, sed qualem contendunt alii in quinto notando allati: quo posito nil mirum, si dixerint talem sententiam non fuisse damnatam per damnationem propositionis. Secundo ita potuerunt respondere, quia hæc sententia per dictam damnationem non est certo expresse damnata; licet enim probabilius eadem sit sententia Catharini (saltem prout hæc ab Externistis modernis explicatur) ac propositio damnata, cum tamen plures contenderent non esse rationibus utcumque probabilibus, hoc sufficiebat, ut dicta Catharini sententia posset dici non expresse certo damnata. Unde merito Benedictus XIV. fatetur quidem (b) nulla usque adhuc de sententia Extetnistarum emanasse expressam Apostolicæ Sedis definitionem, sed tamen ait: *Negari non potest grave vulnus præfatæ opinioni inflictum ab Alexandro VIII., a quo . . . hæc inter alias propositio damnata fuit: Valet Baptismus &c.*

Hoc ipsum, quod nulla de sententia Externistarum habeatur certa expressa Ecclesiæ definitio, in causa est, cur permittatur & scripto & voce tradi & propugnari. Obiter tamen adverto aliquos esse, qui contendunt nec in Morali Genetti, nec in Summa Alexandrina contineri aliquid repugnans nostræ sententiæ. Sane P. Berti testatur

(a) *Tract.* 1. *de Sacr. disp.* 4. *p.* 2. *art.* 2.
(b) *Lib.* 7. *de Synod. cap.* 4. *n.* 8.

tur se in Genetro non invenisse propugnatam sufficentiam intentionis externæ quoad Ministrum, de quo hic est quæstio, sed quoad suscipientem tantum: & in Summa Alexandrina solum approbari Baptismum collatum a Ministro, qui habebat intentionem devovendi Diabolo baptizatos, & qui non idcirco dicitur caruisse intentione interna, eum possit quis etiam cum intentione vere baptizandi conjungere intentionem devovendi baptizatos Diabolo, ut potest impius Sacerdos cum intentione vere consecrandi conjungere intentionem abutendi hostia consecrata in maleficiis. Adverto etiam temporibus proxime subsequentibus damnationem propositionis jam dictæ nullum Romæ ausum esse publice defendere Externistarum sententiam, ut testatur Lambertus Gaud (a) asserens se id didicisse a duobus probatissimis testibus, quorum alter 15. alter 30. annos Romæ exegerat, quamvis postea consultius sit visum permittere illam propugnari, quia, ut dixi, nulla adhuc de ea habetur expressa certa definitio.

Prob. Rersus assertio ex Rubricis Missalis. In his dicitur: (b) *Si quis habeat coram se undecim hostias, & intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit, in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio.* Hic defectus consecrationis tribuitur defectui intentionis. Non externæ; nam hæc in casu habetur. Ergo internæ. Ergo &c.

Respondent I. aliqui ex adversariis has Rubricas non esse leges Ecclesiasticas, sed solum regulas desumptas ex placitis Theologorum, quæ proinde non sunt infallibiles: aut si Rubricis attendendum est in regulis, quas præscribunt, non iis tamen æque esse attendendum in sententiis Theologorum, quas adoptant. (Ubi notat Droven aliquas

(a) *Apud Continuator. Tqurnely Tom.* 4.
(b) *De defect. in celebrat. Miss. occurrent. de defect. intent.*; §. 3.

quas de facto in his adoptari sententias, quæ vel sunt falsæ, ut est quæ facit essentialia consecrationi omnia verba, quæ in forma adhibentur vel saltem sunt controversæ, ut est illa, quæ docet solum panem triticeum esse materiam consecrationis sub specie panis; addens etiam in Missali & Breviario quædam contineri judicio eruditorum reprobata, ut sunt præcipue quædam facta historica ibi narrata).

II. Alii respondent ibidem esse sermonem de Sacerdote, qui externo aliquo signo manifestat se nolle omnes hostias consecrare.

III. Alii dicunt invaliditatem consecrationis in casu non oriri ex defectu intentionis, sed ex indeterminatione materiæ. Verum

Contra I. stat, quod Rubricæ Missalis continent veras leges Ecclesiasticas, quæ ab omnibus servari debent, ut constat ex Decretis Pontificum, quæ Missali præponi solent, & ex decreto S. Congregationis a Fagnano relato (a) quod ita se habet: *Renovando decreta alias facta mandat Sacra Congregatio in omnibus & per omnia servari Rubricas Missalis Romani non obstante quocumque prætextu & consuetudine, quam abusum esse declarat. Et facta relatione horum Decretorum SS. D. N. Urbano VIII. Sanctitas sua annuit, & ab omnibus ubique servari .... mandavit.* Esto autem, quod non est decretum, sed est præcisa doctrina (ut est adducta in probatione) in Rubricis, non sit regula fidei, negari tamen non potest, quin præ opposito sit conformius menti Ecclesiæ Romanæ. adeoque quod non sit præ opposito amplectendum. Ubi noto inanem esse annotationem Droven; nam falsum est asseri in Rubricis omnia verba formæ pertinere ad essentiam consecrationis; solum enim ibi recitantur eadem verba, & postea subjungitur; *Si quis autem aliquid*

(a) *Apud Continuat. Tournely Tom. 4.*

quid diminueret vel immutaret in forma consecrationis, non conficeret Sacramentum: at quanam immutatione? scilicet: *si in ipsa verborum immutatione verba idem non significarent:* quod sane non est idem asserere verba omnia ad consecrationis essentiam pertinere. Rursus si reprehendendæ sunt Rubricæ, quia statuunt solum panem triticeum esse materiam Eucharistiæ, esset pariter reprehendendus Eugenius IV. qui in Florentino (a) solum panem triticeum assignavit pro tali materia: & sicuti qui docuerunt posse inservire alium panem, qui non sit rigorose triticeus, contendunt hoc non adversari Florentino, quia nomine tritici volunt venire quodcumque granum ex aristis expressum (de qua re ubi de Eucharistia), ita non erunt contrarii Rubricis. Tandem disparitas maxima est inter aliquas historias fortasse falsas in Missali & Breviario contentas, quæ nihil attinent ad praxim, & expositionem sententiæ de nullitate Sacramenti, quæ maxime ad praxim inservit.

Contra II. stat, quod signum illud externum gratis omnino fingitur, cum nulla de illo in Rubricis mentio habeatur.

Contra III. stat, quod illud potius quam infirmet, roborat assertionem nostram; materia enim est extrinsece determinata, cum pronomen *hoc* extrinsece afficiat totum panem præsentem. Si ergo non est determinata sufficienter, ut valide consecretur, hoc provenit ex defectu intentionis internæ. Quo posito sic = Ad constituendam materiam sufficienter determinatam pro esse Sacramenti non sufficit intentio externa, sed requiritur interna. Ergo a fortiori ad constituendam totam actionem sacramentalem in esse Sacramenti. Adde quod, cum in Rubrica expresse dicatur invaliditatem consecrationis oriri ex defectu intentio-

tio-

(a) *In Decret. Eugen. pro union. Armenorum.*

adesset in Ministro. Et de facto ex dictis Nicolaus Papa consultus, utrum voleret Baptisma collatum ab eo, de quo dubitabatur, utrum esset infidelis nec ne; respondit valere. si adhibita fuerit materia & forma debita nulla facta mentione intentionis.

II. Ecclesia expresse probavit Sacramenta cum sola externa intentione collata; nam refert Serry, Lodovicum Gaufredum Parochum Massiliensem ante mortem confessum fuisse se omnes pueros, quos baptizavit, extrinseco tantum ritu initiasse, sed non habuisse veram intentionem eos baptizandi, cum ipsos tantum voluerit Diabolo offerre. Interrogata Sorbona judicavit rata esse hæc Baptismata. Idem judicium tulerunt Doctores Sorbonici circa Ordinationes factas a Petro Lavardini Cænomanensi Episcopo, qui pariter morti proximus declaravit se ordinando, quamvis serio extrinsece semper esset operatus, nunquam tamen habuisse intentionem ordinandi. Ergo &c,

Ad I. ℞. Inauditum pariter tunc fuisse nomen intentionis externæ. Ex hoc ergo inferentne adversarii hanc non requiri? Directe dico factum tunc non fuisse mentionem intentionis, quia nullus tunc de illius necessitate dubitabat. Cum ergo dicebatur sufficere ad validitatem Sacramenti positionem materiæ & formæ, supponebatur adesse intentionem, quæ semper præsumitur posita serio extrinsece materia & forma. Quod idem dicendum de Nicolao I. præcipue cum hic interrogaretur tantum circa conditionem Ministri.

Ad II. Multipliciter respondet Continuator Tournely, & primo falsum esse quod Gaufredus confessus fuerit se non habuisse intentionem internam baptizandi; nam nihil de tali confessione habet auctor tragicarum quæstionum, qui scripsit biennio post supplicium Gaufredi, & omnia illius flagitia narravit; nihil instrumenta ad hanc causam spectantia, quæ diligentissime a testibus fide dignis lustrata sunt. Increbuit igitur de hoc falsus rumor ortus fortasse ex quo quædam Magdalena Paludana jam antea rite baptizata pluries asseruit

se fuisse denuo a Gaufredo in sagarum conventu baptizatam in nomine Diaboli, quod ipse etiam Gaufredus confessus est: sed Baptismus hic non est ille, de quo modo est quæstio. Addit idem Continuator rumore hoc multas excitatas anxietates in illis, qui fuerant a Gaufredo baptizati, & multos ex illis voluisse denuo baptizari, quamvis aliqui persstiterint in suscepto Baptismate, sive quia agnoverunt falsitatem sparsi rumoris, sive quia non crediderunt confessioni Gaufredi hominis impii, qui quamvis peccata sua confessus sit, mortuus est tamen obfirmatus in malo, stulte confidens animam suam aereis potestatibus aggregandam: sive tandem quia contrariæ sententiæ adhæserunt, & voto aliquorum Doctorum statuentium non esse iteranda Baptismata. In quo tamen, pace illorum dixerim graviter errarunt; nam, etsi sententia Externistarum esset probabilior nostra, cum tamen non sit certa, debuissent in casu ad evitandum periculum animarum repeti sub conditione Baptismata. Dixi *aliquorum Doctorum*, potius quam dicerem *totius Sorbonæ*; inverisimile enim est ob rationem adductam hoc fuisse votum tantæ Universitatis. Quod si etiam fuisset, meminisse debuisset Serryus votum Sorbonæ non esse votum totius Ecclesiæ.

Falsus quoque fuit rumor sparsus circa Ordinationes factas a Lavardino, & mera calumnia, ut testatur Sambovius (a): nam etsi in morte ipse plurimum conquæstus sit, quod sæpe a propria Diœcesi abfuerit, de retenta tamen intentione nihil dixit; cujus etiam rei testimonium perhibent Nicolaus l' Herminier tunc Cœnomanensis Archidiaconus, & Joannes Conty Præpositus Generalis Missionum, qui rem totam funditus examinaverunt. Plures tamen ex ordinatis ab ipso voluerunt reordinari, & circa illos, qui in Ordinibus persti-

(a) *Tom. 3. cap. 17.*

stiterunt, idem dicendum, ac ad casum superiorem.

Obj. ex Patribus. I. S. Augustinus, postquam plura proposuit dubia circa suscipientem Sacramenta fallaciter, transiens ad Ministrum hæc habet: (a) *Sed arbitremur aliquem etiam fallaciter dantem, cum & tradens & accipiens fallaciter agant in ipsa unitate Catholica, utrum hoc magis Baptisma sit acceptandum, an illud, quod in mimo datur, si quis existat, qui fideliter subito commotus accipiat: an quantum ad ipsos quidem homines attinet, plurimum distet inter credentem in mimo, & irridentem in Ecclesia, ad ipsius autem Sacramenti integritatem nihil intersit. Si enim nihil interest ad integritatem Sacramenti in ipsa Catholica, utrum id aliqui fallaciter, an veraciter agant . . . . cur extra intersit non video, quando ille, qui accipit, non simulatione palliatus, sed religione mutatus est. An plus valent ad confirmandum Sacramentum illi veraces, inter quos agitur, quam ad frustrandum illi fallaces, a quibus agitur, & in quibus agitur? & tamen si postea prodatur, nemo repetit, sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur.* Hic S. Doctor fingit ex una parte Ministrum & suscipientem in Ecclesia operantes fallaciter, idest absque debita intentione, ita tamen ut simulatio non se prodat; & ex alia ministrum & suscipientem ludicre etiam externe operantes, ita tamen ut suscipiens in actu suscipiendi subito commotus incipiat credere, & cum fide suscipiat Sacramentum, & quærit quodnam ex Sacramentis in his circumstantiis collatis potius sit acceptandum, an vero æqualiter de ambobus sit loquendum. Statuit autem prius valere; nam loquendo de fallacibus, a quibus agitur Sacramentum, adeoque de primo casu, dicit tunc Sacramentum non repeti,

(a) *Lib. 7. de Baptis. cap. 53.*

quamvis fallax puniatur. Agnoscit ergo Sacramentum cum fallacia, idest absque intentione interna collatum, ut validum. Porro infra, postquam denuo agnovit ut validum Baptismum fallaciter datum, dubium se prodit etiam circa Baptismum collatum ludicre. Si autem circa hunc dubitat, a fortiori non agnoscit necessitatem intentionis internæ. En ejus verba: *Præteritis majorum statutis non dubito etiam illos habere Baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesiam ab eis, in quorum societate id accipitur . . . Ubi autem neque societas ulla esset ita credentium, neque ille, qui ibi acciperet, ita crederet, sed totum ludicre & mimice & joculariter ageretur, utrum approbandus esset Baptismus, qui sic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum concordi oratione . , . implorandum esse censerem.* Præterea S. Doctor contra Donatistas necessitatem probitatis & fidei, quam ipsi in Ministro adstruebant pro valore Sacramentorum, refellit his præcipue argumentis, quod sanctitas & fides in Ministro sit occulta & incerta. Hæc autem argumenta æque militant contra intentionem internam. Ergo &c. Tandem S. Doctor ait: (a) *Qua mente operetur* Minister, *qua laboret intentione non curet*. Ergo non influit ex S. Doctore intentio Minisrri in Sacramentum:

II. S. Thomas quærens (b) quomodo haberi possit securitas circa validitatem Sacramenti stante necessitate intentionis, postquam retulit & confutavit sententiam (hodie communiter rejectam) asserentium securitatem hanc haberi, quia Deus supplet defectui Sacramenti, si sic habeatur, respondet sufficere intentionem, quæ exprimitur per verba Sacramentalia, dummodo contrarium non ex-

(a) *Lib.* 3. *contra Crescon. cap.* 8.
(b) *In* 4. *Sent. Dis.* 6. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 2.

exprimatur: cum autem de hac intentione certi simus, ut certi sumus de prolatione verborum, certi itidem sumus de validitate Sacramenti. Ex quibus patet S. Doctorem rejicere necessitatem intentionis internæ. En ejus verba: *Non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta, & ideo si forma servatur, nec aliquid exterius dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est Cathecumenus*. Ergo &c.

Ad I. ℟. S. Doctorem per *fallaciter ministrantes* Sacramentum intelligere Ministros non destitutos debita intentione, sed occulte destitutos fide recta circa Sacramenta, qui dicuntur *fallaces*, quatenus volunt facere quod non credunt esse sacram illam cæremoniam, quæ de facto est. Hoc autem posito nihil ex S. Augustino contra nos. Quod autem per dictam *fallaciam* intelligat Augustinus defectum rectæ fidei ostenditur. I. ipse opponit Baptismum in Ecclesia *fallaciter acceptum* Baptismo *mimice* recepto *cum fide*; quærit enim *utrum plurimum distet inter credentem in mimo & irridentem in Ecclesia*. (Irridens autem in Ecclesia est ipse *fallax*) Cum ergo in mimo supponat fidem: oppositio fert, ut ab irridente & fallaci eam excludat. II. ipse *fallacibus* opponit *veraces*; inquit *an plus valent ad confirmandum Sacramentum illi veraces, inter quos agitur, quam illi fallaces a quibus agitur?* Atqui per *veraces* intelligit recte credentes; nam illos exprimit per *societatem ita credentium*. Ergo per *fallaces* intelligit non credentes. III. ipse asserit consuetum fuisse, ut non iteraretur Baptisma sic *fallaciter* datum, sed solum puniretur ita dans. At consuetum quidem erat, ut non iterarentur Baptismata collata a non credentibus, istique sic conferentes Sacramenta punirentur, nusquam autem reperitur talis consuetudo circa destitutos intentione. Per fallaciam ergo non intelligit S. Doctor absentiam intentionis, sed fidei. IV. libri de Baptismo scripti sunt contra Donatistas, cum quibus lis erat circa probitatem & fidem, non circa intentionem.

intentionis: vel de hac validitate dubitat, quia dubitat, num in Ministro fuerit aliqua intentio, & hoc vel nihil facit pro Externistis, vel contra illos facit; nam cum in casu non habeatur intentio externa, validitas Sacramenti non potest repeti nisi ab intentione interna, sicque hæc saltem sufficiet absque externa, quod tamen communius Externistæ negant. Ergo &c.

Nec subsistit quod subditur; disparitas enim est inter probitatem fidemque ex una parte, & intentionem ex altera, cum priores sint moraliter incertæ, secus alia. Sane ex nullo capite desumi potest fundamentum moraliter certum putandi, quod priores sint in Ministro, cum pluries eveniat, ut Minister improbus, aut in fide vacillans ministret Sacramentum. Nec mirum, cum ad fidem, & multo magis ad probitatem servandam plura & difficilia sint necessaria, quæ subinde non ponunt Sacramentorum Ministri, allecti tamen aliunde ad ministranda Sacramenta vel utilitate, vel gloria, vel officio &c. E contra ex ipsa externa & seria positione sacramentalis ritus inferri moraliter certo potest intentio interna, cum ad hanc habendam nulla sit superanda difficultas, adeoque vix unus e millibus reperietur, qui sine hac intentione Sacramentum ministret.

Tandem Augustinus asserens non esse curandum de intentione Ministri, intelligendus est solum de intentione accidentali, & extrinseca Sacramento: vult scilicet non esse curandum ad quem finem ipse dirigat Sacramentum, utrum E. G. ad finem gloriæ divinæ, an ad capessendum lucrum. Ergo &c.

Ad II Omissa responsione Vasquez asserentis S. Doctorem esse nobis contrarium, sed tamen ob definitiones Ecclesiæ ipso posteriores esse deserendum: ℟. cum doctissimis discipulis D Thomæ ipsum ibi non excludere necessitatem internæ intentionis, sed solum asserere, quod ad reddendum suscipientem moraliter certum de validitate Sacramenti non requiritur, ut ipse videat mentalem intentionem conferentis, cum ex ipsa seria admini-

tratione externi ritus talis intentio veluti a posteriori dignosci possit: & hoc cohærenter ad scopum ipsius, qui erat, ut tolleret a suscipientibus Sacramenta nimiam anxietatem. Et sane quod S. Doctor potius nobis faveat, patet ex iis, quæ alibi habet; inquit enim (a): *Intentio Ministri potest perverti dupliciter, uno modo respectu ipsius Sacramenti, puta cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere, & tollit talis perversitas veritatem Sacramenti, præcipue quando suam intentionem exterius manifestat.* Quis non videt hic S. Doctorem agnoscere necessitatem intentionis internæ, qua deficiente, irritum declarat Sacramentum, etsi adsit intentio exterior, ut indicatur per illud *præcipue quando &c.*, quod sane innuit etiam non manifestato exterius internæ intentionis defectu, si tamen hic habeatur, irritum fore Sacramentum? Rursus ait (b): *Requiritur etiam in quolibet Sacramento persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione conferendi & faciendi quod facit Ecclesia, quorum trium si aliquid desit, idest si non sit debita forma verborum, & si non adsit debita materia, & si Minister Sacramenti non intendit Sacramentum conficere, non perficitur Sacramentum.*

Obj. ex ratione. I. Ad validitatem Sacramenti solum in Ministro requiritur, ut se gerat tanquam minister Christi. Ita autem se gerere potest etiam absque intentione interna; nam famulus E. G. potest se gerere ut ministrum Domini, etsi citra, imo contra voluntatem propriam operetur, ut patet exemplo Aman (c), qui contra voluntatem propriam jussu Assueri honoravit Mardochæum, & tamen honoravit, ut Assuerus illum honorari vo-

le-

(a) 3. *part. quæst*, 64. *artic.* 10.
(b) *Opuscul.* 8. *de Ecclesiæ Sacramentis*.
(c) *Esther. cap.* 6.

lebat. Et sane voluit Christus Ecclesiam gubernari, ut aliæ humanæ respublicæ gubernantur. Ut ergo in alia humana republica valent ministeria exercita cum sola intentione externa (nam & Legatus regius, etsi interius repugnet, valide transfert a Principe dominium civitatis in alium, dummodo extrinsece id faciat nomine Regis, & Notarius valide scribit & firmat contractum etsi interius repugnet,) ita a pari &c.

II. Data necessitate intentionis internæ corruit visibilitas & indefectibilitas Ecclesiæ. Visibilitas quidem, quia in hypothesi cum Sacramenta pendeant a conditione interna, adeoque non cognoscibili, nec ipsa possunt cognosci, adeoque nec potest cognosci Ecclesia, quæ Sacramentis colligatur. Indefectibilitas vero, quia in hypothesi potest aliquis ex defectu intentionis in Ministro invalide baptizari, & postea ordinari Episcopus, & sic alios ordinare, qui omnes erunt invalide ordinati. Quod porro contingit circa unum, potest etiam circa alios omnes contingere, & hoc posito Ecclesia deficit. Ergo &c.

III. Valet Matrimonium contractum absque animo contrahendi, si tamen exterius contrahatur; nam si quis post ita contractum Matrimonium affirmet se animum contrahendi non habuisse, cogitur permanere in Matrimonio. Pariter valet juramentum elicitum externe sine animo jurandi; nam si quis ut se eximat ab obligatione per illud contracta, affirmet se interne non jurasse, non admittitur excusatio: & præterea illud, si sit de re falsa, dicitur perjurium, idest violatio juramenti, quod supponit juramentum vere tale. Ergo a pari &c.

Omitto objectionem, quæ solet ab Adversariis erui ex incertitudine perceptionis Sacramenti, quæ habetur in nostra sententia; ex dictis enim supra apparet etiam juxta nos moralem de hac certitudinem haberi posse. Præterquamquod hic etiam valent quæ ad similem objectionem dicta sunt in superiore assertione.

Ad I. ℞. cohærenter ad alibi dicta prænotando multipliciter posse unum esse Ministrum alterius; primo quoad sola membra corporalia, ut esset E. G. Minister Domini servus, cujus humeris hic uteretur ad ascendendam fenestram, vel nuntius, qui ejus deferret epistolam: secundo quoad prudentiam & rationem, ut sunt Ministri Regis Legati, quorum prudentiæ & arbitrio committitur conclusio alicujus negotii, & Judices inferiores, quibus committitur absolutio innocentium, & condemnatio reorum. In primo casu non requiritur in Ministris intentio. Nil ergo mirum si Assuerus contentus fuit honore ab Amano delato Mardochæo; nam Assuerus usus est hac occasione Amano solum quoad membra corporalia, quoad vocem scilicet, manuductionem equi, cui insidebat Mardochæus &c. Requiritur vero in secundo casu intentio, & quidem interna; nam in hoc casu Princeps non agit nisi per illorum liberam voluntatem. Cum ergo hæc per intentionem veram & sinceram non se determinat, Princeps non agit, adeoque nec validat quæ fiunt ab ipsis. Conficientes autem Sacramenta sunt Ministri hoc secundo modo. Ergo &c. Ex his patet responsio ad id, quod additur; nam etiam omisso, quod Ecclesia gubernari debeat, ut aliæ respublicæ, sicuti tamen in his, cum Ministri adhibentur ut instrumenta animata & libera, non valent quæ ab illis fiunt sine interna intentione, ita cum agitur de Sacramentis. Tunc autem valebit translatio dominii, de qua in objectione, cum Legatus mere nunciat voluntatem Principis; at si ipse habeat facultatem a Principe hanc translationem pro arbitrio complendi, vel non complendi, hæc non valebit absque intentione interna, nisi in foro externo, & coram hominibus; in interno enim, & coram Deo non valebit. Ergo a pari. Exemplum Notarii non est ad rem; nam hic non est causa efficiens contractus, ut Ministri sunt causæ efficientes Sacramentorum, sed solum est authenticus contractus scriptor. Nil ergo mirum si, dummodo scribat, valet contractus. Ergo &c.

Di-

Dictum est signanter *omisso quod Ecclesia &c.*: id enim rigorose est falsum, cum quælibet alia respublica sit tantum ordinata ad bonum temporale & externum, Ecclesia vero ad spirituale & internum: ex quo patet diversam in his gubernationem requiri. Hoc autem admisso secunda exurgit responsio ad objectionem; nam etsi valerent facta in civili republica a Ministris Principis, quicumque ii sint, cum sola intentione externa, ideo solum valerent, quia finis & forma gubernii civilis reipublicæ externæ actionis contenta sunt, præcipue cum dici possit Principem, qui internum animum Ministrorum suorum videre nequit, validare quæ ab iis fiunt externe. At ex dictis diversa est forma, diversus finis gubernii Ecclesiæ, & Deus Ministrorum suorum cor æque, ac operationes exteriores intuetur. Ergo &c.

Ad II. ℟. Certitudinem moralem de intentione interna posita serio externe materia & forma sufficere ad ostendendum hic vel illic esse Sacramenta, quibus positis & ipsa ostenditur Ecclesia. Moralem autem hanc certitudinem in casu sufficere ad visibilitatem Ecclesiæ & ipsi adversarii debent admittere; nam certum est etiam apud ipsos posse Sacramenta invalidari occulta aliqua substantiali mutatione materiæ & formæ. Si ergo quæram ab ipsis: quomodo poterimus cognoscere non fuisse occulte vitiatam materiam & formam Sacramentorum, adeoque hic vel illic esse vera Sacramenta ad visibilitatem Ecclesiæ necessaria, nullo alio sane modo respondere possunt nisi per certitudinem moralem de legitima materiæ & formæ positione, quæ sola in casu haberi potest. Ita a pari in casu nostro. Adde pertinere ad providentiam, qua Deus gubernat Ecclesiam, non permittere, ut Sacramenta (saltem communiter) invalide administrentur. Præterea fides, quæ ad constituendam Ecclesiam requiritur est occulta non minus, quam intentio. Quæro igitur ab adversariis, quomodo possum agnoscere Ecclesiam, quæ a requisito tam occulto dependet? Nullo alio sane pacto, nisi vel quatenus haberi potest moralis certitudo de fide in iis, qui

exterius se gerunt ut fideles, vel quatenus ad providentiam Dei spectat non sinere, ut in Ecclesia evanescat fides (quæ omnia, ut patet, militant etiam in casu nostro,) vel fidem veram & internam non esse necessariam ad constituendum hominem de Ecclesia: quod si dicerent, pari jure dicerem ego non esse necessarium ad constituendum hominem de Ecclesia veram, sed sufficere externam & apparentem Sacramentorum administrationem. Ergo &c. Ad id, quod additur circa indefectibilitatem Ecclesiæ, ℟. eandem hypothesim, quam adversarii fingunt, posito aliquo non baptizato ex defectu intentionis internæ, fieri posse posito aliquo non baptizato ex defectu occulto materiæ & formæ, unde hæc hypothesis vel nullibi probat, vel probat etiam contra ipsos. Directe vero ℟. cohærenter ad supra dicta esse impossibile saltem moraliter, quod id universaliter eveniat, & pertinere ad providentiam Dei non permittere, ut id eveniat, ad quam quidem providentiam omnes recurrere debent ad salvandam indefectibilitatem Ecclesiæ, quæ citra hanc providentiam etiam quoad alia extra Sacramenta salvari nequit.

Ad III. ℟. Matrimonium absque consensu interno nullum esse coram Deo, ideo autem in foro externo censeri validum, si adsit consensus externus, quia tunc præsumitur internus, nec creditur contra alleganti; si enim crederetur, jam posset quilibet pertæsus conjugis asserere defuisse in illo consensum, cum nupsit, sicque solvere Matrimonium maxima cum Ecclesiæ perturbatione. Quod si defectus consensus interni posset probari, Matrimonium tunc etiam in foro externo haberetur ut nullum, ut uberius ubi de Matrimonio. Idem dicendum proportionaliter de juramento. Quod si fictum juramentum de re falsa dicitur perjurium, nil mirum; ex communi enim usu perjurium dicitur nedum violatio veri juramenti, sed etiam quicumque abusus formulæ juratoriæ, etsi hæc verum juramentum non sit.

Posito ergo, quod non sufficiat intentio externa sine interna, sufficitne interna sine externa?

Re-

Respondent plures sufficere, & ita si quis fingens se exterius ludere baptizando puerum, revera intenderet illum baptizare, validum contendunt Baptismum. Ratio ipsis est, quod per intentionem internam determinatur Minister ad operandum nomine Christi. Solet etiam in confirmationem hujus asserti adduci illud Tridentini (a) Pœnitentem fore *salutis suæ negligentissimum, qui Sacerdotem joco se absolventem cognosceret, & non alium serio agentem requireret;* si enim requireretur ad valorem Sacramentorum intentio externa, cum in sacerdote joco absolvente hæc certo desit, certa pariter esset Sacramenti nullitas. Pœnitens ergo videns sacerdotem ita absolventem, nec alium requirens nullo modo curaret Sacramentum. Nullo ergo modo curaret salutem, adeoque non posset dici *negligentissimus*; hic enim modus loquendi importat aliquem licet remisse, aliquo tamen modo rem curantem. Consequenter si dicitur negligentissimus, indicatur fieri aliquando posse, ut non obstante joco Sacerdotis obtineat absolutionem, quam obtinere non posset, si esset necessaria intentio externa.

Recte ne isti respondeant, ipse affirmare non ausim; primum enim, quod adducitu, est omnino incertum, cum aliud sit requiri intentionem internam, ut Minister determinetur ad operandum nomine Christi, aliud quod hæc sufficiat. Alterum vero multipliciter elidi potest: primo nempe dicendo esse *negligentissimum*. & *nullo modo curare* esse synonima: deinde etiam omisso, quod non sint, dicendo pœnitentem posse dici in casu aliquo modo curantem salutem, quatenus etsi agnoscat nullum Sacramentum tunc receptum, potest velle alias valide illud recipere, quomodo qui peccat, si habeat animum postea pœnitentiam agendi, non potest dici nullo modo curare salutem.

Sane

(a) *Sess.* 14. *cap.* 6.

Sane si subsisteret factum S. Athanasii externo joco, & tamen valide per solam internam intentionem baptizantis pueros, aut quod narratur de S. Genesio, qui refertur in scena eodem modo valide baptizatus, hæc sufficerent, ut tuto assereremus valere Sacramentum cum sola interna intentione collatum. Sed cum primum jam explosum sit, secundum, ut dicam inferius, ab eruditis fabulosum censeatur, ex his nihil colligi potest.

Cum igitur adductæ rationes (quæ tamen sunt præcipuæ) non satis sint validæ, cum quæ essent validiores nitantur historiis suppositiis, cum ex alia parte durum videatur, quod possit considerari ut Minister Christi, qui exterius fingit se ludere, res videtur omnino incerta. Ad certiora ergo properemus.

ARTICULUS SEXTUS.

Agendum modo de requisitis in Ministro ad licitam Sacramentorum administrationem.

Ad hanc I. requiritur, ut Minister ponat nedum omnia essentialia Sacramenti, sed & omnes ritus etiam accidentales ab Ecclesia præscriptos in tali administratione.

II. Ut non sit excummunicatione majore innodatus, alias peccabit graviter, si ultro se ingerat administrationi Sacramentorum, secus si in necessitate a fidelibus requiratur. Quod tamen intellige de excommunicato tolerato; si enim præterea vitandus sit, invalide etiam confert Sacramentum Pœnitentiæ ex defectu jurisdictionis excepto articulo, vel periculo mortis, saltem si nullus alius adsit sacerdos: alia autem Sacramenta valide confert, sed illicite, & quidem graviter, extra casum necessitatis. Excommunicatus vero minori excommunicatione & valide, & probabiliter etiam licite, saltem non illicite graviter omnia Sacramenta ministrat. Quæ de excommunicatis dixi valent proportionaliter de innodatis aliis censuris.

III.

III. requiritur, ut Minister sit in gratia; *Sancta* enim ex communi axiomate, *sancte tractanda sunt*: quod probabilius dicendum de omnibus Ministris; licet enim aliqui velint Ministrum quidem solemnitatis & ordinarium (qui scilicet ab Ecclesia deputatus est ad solemniter Sacramenta ministranda) teneri ad illa minitsranda in gratia, non autem Ministrum extraordinarium & necessitatis (ut est respectu Baptismi quilibet homo), non apparet tamen sufficiens ratio id asserendi, cum dignitas Sacramenti, & unio moralis cum Christo, quæ habetur in illud ministrante, indiscriminatim in omnibus Ministris exigant sanctitatem. Hoc tamen valet & præciso casu extremæ necessitatis, ut si puer jamjam moriturus esset beptizandus, nec tempus esset Ministro in lethali constituto procurandi contritionem, quo casu liceret in lethali ministrare Sacramentum; & probabiliter cum conficiendum est Sacramentum: si enim sit solum distribuendum, ut cum distribuenda est Eucharistia, probabiliter non peccat lethaliter Sacerdos in lethali distribuens, quia nec unitur Christo moraliter, nec proxime concurrit ad sanctificationem animarum. Dixi *lethaliter non peccat*; de culpa enim veniali nullum est dubium.

IV. requiritur, ut Minister curet quantum potest, ne Sacramenta indignis conferat. Circa quod ita procedendum. Vel peccatores sunt publici, vel occulti: si publici, ipsis deneganda sunt absolute omnia Sacramenta vivorum, non vero mortuorum, si dispositi accedant: si occulti, debet Minister id sciens (dummodo non ex Confessione; non enim potest uti scientia ex Confessione acquisita) occulte facere quantum potest, ne Sacramenta illis ministret ad salvandam tum reverentiam debitam Sacramentis, tum illorum famam: si vero hæc denegato ipsis Sacramento periclitaretur; poterit Sacramenta ministrare; tunc enim mere permittit irreverentiam erga Sacramentum. Excipe tamen Sacramentum Pœnitentiæ, in quo nunquam debet sacerdos conferre absolutio-

nem

nem indispoſito, & Ordinem, quem poteſt Epiſcopus denegare peccatori etiam occulto, quia habet jus inquirendi mores ordinandorum, ut dignos tantum ordinet.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Aliquot tandem quæſita hic proponere præſtat & reſolvere, quæ maxime ad hucuſque dictorum intelligentiam, & ad praxim inſerviunt.

Quæres igitur I. an, ſi Miniſter falſo putet aliquid eſſe vel in materia vel in forma eſſentiale, illudque omittat, valeat Sacramentum?

℟. negative non ex defectu materiæ vel formæ; ſupponitur enim omiſſum eſſe accidentale, ſed ex defectu intentionis in Miniſtro; non enim habet intentionem conficiendi Sacramentum omittens aliquid, ſine quo exiſtimat illud valide haberi non poſſe.

Quæres II. an ſi Miniſter exiſtimet ſe conferre Sacramentum uni, & conferat alteri, E. G. exiſtimet ſe baptizare maſculum, & baptizet fœminam, validum ſit Sacramentum?

℟. affirmative, ſi tamen habeat veram intentionem conferendi Sacramentum præſenti; tunc enim error eſt tantum ſpeculativus, & accidentalis. Excipe tamen Sacramentum Matrimonii, de quo ſuo loco.

Quæres III. an valeat Sacramentum collatum a Miniſtro, qui habet errorem contra fidem, & utitur forma æquivoca, & indifferenti ad veram & erroneam ſignificationem?

Ut quæſito clarior appareat reſponſio, pono exemplum. Sit Sacerdos Calviniſta, qui conſecret panem his verbis: *Hoc eſt quodammodo corpus meum*. Illud *quodammodo* poteſt facere ſenſum catholicum, ſi nempe ſignificet illud eſſe corpus Chriſti exiſtens in Euchariſtia modo incorporeo & incircumſcriptivo, & poteſt facere ſenſum calviniſticum, ſi nempe ſignificet illud eſſe corpus Chriſti exiſtens in Euchariſtia tantum in figura. His poſitis ℟. quod ſi Miniſter ſit hæreticus occul-

cultus, & habeat intentionem faciendi, quantum potest, ut consecret, adeoque nihil velit absolute ponere, quod talem consecrationem impediat, etsi per illud *quodammodo* velit exprimere sensum calvinisticum, probabilius Sacramentum erit validum; non enim potest esse invalidum nisi ex falsitate formæ. Atqui forma non est falsa; nam, ut supponitur, est æquivoca, & licet intentio, quam habet Minister errorem per illam exprimendi, ex se traheret potius ad falsitatem, quam ad veritatem, trahitur tamen absolute potius ad veritatem, quam ad falsitatem ex absoluta & præponderante intentione, quam habet consecrandi, attento præcipue quod circumstantiæ externæ non illam trahuut ad falsitatem potius quam ad veritatem; ut enim supponitur, Minister est Calvinista occultus. Sed hic casus fortasse rarus erit. Frequentior erit casus, quod Sacramentum sit invalidum vel ob pravam intentionem absolute habitam, vel ob defectum formæ, quæ ab illo determinabitur ad falsitatem, præcipue si constet Ministrum esse Calvinistam; nam tunc apud audientes non alium, quam calvinisticum sensum faciet.

Quæres IV. an possit Minister uti opinione probabili circa Sacramentorum administrationem?

℟. Distinguendo: vel agitur de valore Sacramentorum, vel non; si non, potest illa uti, saltem si sit opposita probabilior; si agitur, non potest ita definiente Innocentio XI. per damnationem propositionis (a): *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis atque episcopalis.* Circa quam damnatio-

(a) P.

tionem consulantur dicta in Tractatu de actibus humanis, ubi de conscientia tuta.

Quæres V. An excusetur Minister, si ob gravem metum simulet Sacramenti administrationem?

℟. Negative: ut constat ex damnatione facta ab Innocentio XI. propositionis (a): *Urgens metus gravis est causa justa simulandi Sacramentorum administrationem*. Et ratio est, quia nec metus gravis excusat a peccato, cum ponitur operatio intrinsece mala, & quæ a malitia nunquam depurari potest, ut est simulatio Sacramenti, qua & Christo & suscipienti illuditur. Quo loco noto tunc dici *simulari* Sacramentum: cum ponitur materia & forma absque animo ponendi Sacramentum; si enim loco materiæ & formæ aliquid aliud occulte poneretur, id non diceretur simulare Sacramentum, cum placeat Theologis illud potius dicere *dissimulare*, & data rationabili causa liceret: sicque potest E. G. Confessarius ad servandum sigillum super Pœnitentem indispositum loco formæ absolutoriæ recitare aliquam orationem, ut dominicam, efformando super ipsum signum Crucis.

Quæres VI. an possit aliquando Minister uti materia, vel forma dubia?

℟. Posse, cum adest necessitas ministrandi Sacramentum, & non suppetit materia vel forma certa. Et ita puero jamjam morituro deficiente aqua potest, imo debet ministrari Baptisma E. G. in lixivio: ministrandum est autem tunc conditionate. Ratio omnium est, quod ita & salvatur reverentia debita Sacramento, & consulitur, quantum fieri potest, saluti proximi.

CA-

(a) *Num.* 25.

CAPUT TERTIUM.

De Suscipiente Sacramenta novæ Legis,

Circa suscipientem hæc Sacramenta tria illa possunt inquiri, quæ circa Ministrum sunt inquisita, nimirum quis sit, quid requiratur, ut valide suscipiat Sacramentum, quid ut suscipiat licite. De singulis ex ordine.

ARTICULUS PRIMUS.

Certum est de lege ordinaria solos homines viatores esse subjecta idonea Sacramentorum; nam pro his solis hæc sunt instituta. Non autem omnes homines viatores sunt apti recipiendis Sacramentis, sed (excepto Baptismo) solum baptizati, cum Baptismus sit janua omnium Sacramentorum: sicuti pariter non omnes baptizati capaces sunt omnium Sacramentorum. Infantes quidem baptizatos capaces esse Confirmationis & Eucharistiæ suadet praxis Ecclesiæ, quæ antiquitus post collatum infantibus Baptisma immediate hæc etiam duo Sacramenta conferebat. Ipsos etiam esse capaces Ordinis docet D. Thomas. Pœnitentiæ vero & Matrimonii infantes certo sunt incapaces, cum hæc essentialiter exigant actus liberos, quorum infantes non sunt capaces: sicut nec sunt capaces extremæ Unctionis, cum non potuerint actualiter peccare. Adulti autem baptizati, saltem ratione utentes omnium Sacramentorum absolute capaces sunt, licet aliquando uno suscepto, Ecclesia illos reddat incapaces alterius, ut suscepto Ordine redduntur incapaces Matrimonii.

ARTICULUS SECUNDUS.

De requisitis in suscipiente ad valorem Sacramentorum acturus prænoto me hic loqui de suscipiente adulto, & quidem rationis compote; in infantibus enim, aut etiam adultis, qui nunquam ra-

rationis usum habuerunt, relate ad Sacramenta, quorum juxta superius dicta sunt capaces, nihil requiritur. Sit ergo

Assertio Prima. *Ad valorem Sacramenti requiritur, ut suscipiens adultus non repugnet illius susceptioni.*

Prob. ex Summis Pontificibus. Innocentius III. ait; (a) *Qui nunquam consensit* susceptioni Baptismatis, *sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti*: & addit rationem, quia si tunc valeret Baptisma, sic baptizatus posset ab Ecclesia compelli ad observantiam religionis Christianae, quod repugnat instituto Ecclesiae nunquam compellentis invitos ad recipiendam & servandam Christianam religionem. Addit non suscipere Sacramentum *dormientes & amentes, si priusquam amentiam incurrerent aut dormirent, in contradictionibus persisterent, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, . . . secus autem si prius Cathecumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi.* Haec autem ratio valet etiam pro aliis Sacramentis. Ergo &c.

Prob. ratione. Adultos nolentes Deus salvare non vult. Ergo nec vult instrui mediis ad salutem conducentibus, ut sunt Sacramenta.

Obj. ex praxi Ecclesiae. I. Aliquando viri vel faeminae coguntur ab Ecclesia nubere, quibus nollent. Ergo &c.

II. Agnitae fuerunt ut validae in Ecclesia ordinationes factae per vim, adeoque contra voluntatem Ordinatorum. Talis fuit ordinatio Pauliniani fratris S. Hieronymi, quem S. Epiphanius jussit in Ecclesia per Diaconos apprehendi, & obstructo ejus ore, ne clamores ederet, ordinavit primo Diaconum, deinde Presbyterum, ut ipse S. Epiphanius refert (b): talis etiam fuit ordinatio Macedo-

(a) *Cap.* Majores *de Baptis.* §. item quaeritur.
(b) *Ep. ad Joan. Jerosolymit.*

donii simplicissimi, sed sanctissimi monachi, quem dolo in Ecclesiam adduxit S. Flavianus Episcopus Alexandrinus, ibique ignorantem quid ageretur ordinavit Presbyterum, quod ut cognovit Macedonius, primo excanduit, mox conviciis & eos, qui aderant, & ipsum Episcopum est prosecutus, postea eosdem etiam baculo est insectatus, ac tandem ad pristinam solitudinem fugit, ut narrat Theodoretus (a). Ergo &c.

Ad I. ℟. illos ab Ecclesia non cogi ad contrahendum cum quibus, dum actu contrahunt, nollent contrahere, sed solum metu pœnarum effici, ut mutent voluntatem, sicque hic & nunc velint nubere illis, quibus antea nubere nolebant. Quod si hoc non obstante tali vel tali personæ nollent nubere, irritum esset Matrimonium sic contractum.

Ad II. ℟. tunc solum fuisse agnitas ut validas ordinationes repugnantium, cum ipsi prius quidem repugnarunt, sed postea in actu ordinationis consenserunt: quod sæpissime fiebat a sanctissimis viris se indignos Episcopatus vel Presbyteratus gradu ex humilitate judicantibus. Hoc dicendum de Pauliniano, liquet ex citata epistola, ubi primo narratur, quidem vis ipsi facta, sed tandem narratur ipsi persuasum fuisse, ut acceptaret ordinationem. *Primum quidem*, inquit Epiphanius, *Diaconum ordinavimus, præponentes ei timorem Dei, & compellentes ut ministraret, valde quippe obtinebatur indignum se esse contestans. Vix ergo compulimus eum, & persuadere potuimus testimoniis Scripturarum, & propositione mandatorum Dei*: quo eodem modo infra dicitur ordinatus Presbyter. Macedonii vero ordinatio vel cum pluribus dicenda est irrita, vel si valida, dicendum eum ignorasse non se ordinari, sed solum munera, dignitatem & effectum ordinis, quem suscipiebat.

As-

(a) *In Hist. Religios. cap.* 13.

Assertio secunda. *Requiritur etiam in suscipiente ad valorem Sacramenti, ut positive consentiat in ipsius susceptionem.*

Est contra aliquos putantes sufficere in tali suspiciente, quod ipse non repugnet, etsi postea nec positive consentiat, quo casu dicitur habere intentionem *negativam* seu *neutram*.

Prob ex S. Augustino, qui inquit; (a) *Cum alii pro parvulis respondeant, valet utique ad eorum consecrationem Baptismus, quia ipsi respondere non possunt. At si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat non itidem valet: ex qua regula illud in Evangelio dictum est . . . ætatem habet, ipse pro se loquatur:* ubi S. Doctor asserit non valere Baptisma, si baptizandus non præbeat positivum consensum (quod idem valet ex paritate rationis de aliis quoque Sacramentis). Ergo &c.

Prob. rationibus pro superiore assertione adductis, quæ pro hac quoque proportionaliter valent quia nimirum non decet, ut mediis instruatur ad salutem conducentibus qui ea positive non vult, & quod iniquum videatur, ut obligationibus a Sacramentis necessario ortis gravetur, qui positive in Sacramentum non consentit.

Obj. ex Conciliis. Florentinum (b) docet tria tantum requiri ad validitatem Sacramentorum, nimirum materiam, formam, & intentionem Ministri. Non ergo agnoscit necessariam intentionem in suscipiente.

℟. Florentinum loqui de iis, quæ se habent per modum principii activi relate ad Sacramenta; dicit enim: *Sacramenta tribus perficiuntur &c.* Intentio autem suscipientis non ita se habet, cum se habeat potius passive. Addunt aliqui Florentinum loqui de iis, quæ semper ad Sacramenta requiruntur

(a) *Lib. 4. de Baptism. contr. Donatist. cap. 24.*
(b) *In instruct. Armen.*

tur, cujusmodi non est intentio suscipientis, quæ in pueris non est necessaria.

Obj. ex Summis Pontificibus. Innocentius III. ait (a): *Tunc characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem*. Igitur ex Innocentio tantum requiritur ad validitatem Sacramenti, ut non adsit in suscipiente voluntas contraria, ac proinde non requiritur positiva in illo voluntas.

℟. Innocentium supponere antecedenter adfuisse positivam voluntatem suscipiendi Baptismum, & asserere hoc valere, cum ipsa non est retractata per voluntatem contrariam, & jure; nam tunc moraliter ipsa perseverat. Ubi advertendum, quod si in adulto non adsit positiva voluntas suscipiendi Baptismum, semper censetur adesse positiva voluntas contraria; cum enim homo in susceptione Baptismi fiat subditus Ecclesiæ, & multas contrahat obligationes, ad has semper censetur invitus, quoties positive in illas per positivam volitionem Baptismi non consentiat, sicuti in aliis omnibus qui possidet suam libertatem, censetur semper invitus eam amittere, nisi positive in talem amissionem consentiat. Ergo &c.

Obj. ex praxi Ecclesiæ. Aliqua fuerunt approbata Sacramenta collata absque intentione positiva suscipientis: ut quod collatum est S. Genesio, & Dioscoro Architheatro (b) qui ludentes in scena sunt baptizati; & quod collatum est cuidam amico S. Augustini (c), qui jacens sine sensu baptizatus est, cum tamen eum antea non petiisse Baptismum probet, quod ipse Manichæorum hæresi infectus erat. Ergo &c.

℟. Nullum afferri posse exemplum adulti, qui Sacramentum valide absque propria voluntate susce-

(a) *Cap.* Majores *de Baptis.* §. item quæritur.
(b) *Lib.* 4. *Confess. cap.* 4.
(c) *Ep. S. August. ol.* 67. *nunc* 127.

sceperit. Quod ad S. Genesium attinet, ℟. fabulis ab eruditis accenseri quæ de ejus Baptismo narrantur, tum quia nullus hoc narrat antiquior Addone, qui floruit 500. annis post S. Genesium: tum quia discordes sunt auctores, qui hoc narrant; nam alii dicunt illum baptizatum a Sacerdote, alii ab Angelo, alii ab altero mimo, quæ omnia præterea sunt inverisimilia. Quod si factum admittatur, dico S. Genesium vel invalide fuisse baptizatum, & solum postea justificatum per Baptismum in voto, & per Martyrium; vel (juxta sententiam admittentem sufficientiam intentionis internæ tum in Ministro, tum in suscipiente) fuisse valide baptizatum, ex quo fuit in Ministro intentio interna baptizandi, tum in ipso intentio interna vere suscipiendi Baptismum mutato repente ope divinæ gratiæ animo ipsius. Quod attinet ad Dioscorum, monent Benedictini S. Mauri non esse legendum *Architheatrum*, sed *Archiatrum*, idest *Medicorum Ducem*. Dioscorus scilicet Medicorum Dux pluries quidem insultaverat Christianis, sed postea voto facto se Baptismum suscepturum, si filia ejus infirma sanaretur, post obtentam sanitatem istam differebat exequi votum, sed a Deo percussus cæcitate baptizatus est. Sane in Augustino nihil habetur de theatro & ludo habito a Dioscoro, cum baptizatus est, adeoque nec de intentionis defectu: & licet dicatur postmodum distulisse addiscere symbolum, ad quod paralysi a Deo adactus est, ob quam tandem *& symbolum didicit, sicque omnis ab eo est delata nugacitas*, hoc non indicat defectum intentionis, quo accesserit ad Baptismum, sed solum indicat Dioscorum licet vere baptizatum, vel facti postea pœnituisse, vel saltem non fuisse ex toto corde ad Christum conversum, sed tandem penitus conversum fuisse. Quoad amicum Augustini ℟. probabilius ipsum licet antecedenter Manichæorum hæresi infectum, postea tamen Baptismum desideravisse & petiisse, & hoc maxime ex eo suadetur, quod cum eum jam baptizatum irrideret Augustinus nondum tunc ad sanam fidem conversus, ab illo increpatus fuit, ut ipse narrat ibidem. Obj:

Obj. ex ratione. I. non requiritur positivus consensus, ut contrahatur peccatum originale. Ergo nec ut applicentur remedia sanativa peccati, qualia sunt Sacramenta.

II. Non requiritur hic positivus consensus in parvulis & perpetuo amentibus. Nec ergo requiritur in adulto rationis aliquando compote.

Ad I. ℟ Non esse mirum si non obstante, quod contrahatur ab hominibus originale absque propria voluntate, non possint tamen adulti sine illa Sacramenta suscipere, cum certum sit nullum adultum justificatione & salute donari absque propria voluntate, licet sine illa contrahat peccatum, & damnationem.

Ad II. ℟. In pueris suppleri ab Ecclesia defectum intentionis in illis impossibilis, in adultis vero ratione utentibus non suppleri, cum velit Deus illos sanctificari per propriam voluntatem.

Intentio in suscipiente requisita ad valorem Sacramentorum debet esse interna, ut docet expresse S. Thomas dicens (a): *Si aliquis ablutionem exteriorem acciperet, non intendens recipere Sacramentum, sed ludum vel dolum facere, non esset baptizatus*. Accedit ratio; non enim potest dici habere intentionem supra probatam necessariam valori Sacramentorum, qui exteriorem tantum vellet actionem, non autem vellet Sacramentum. Et sane non est æquum ut recipiat donum supernaturale, quale est Sacramentum, qui licet externe in illud videatur consentire, interius tamen illi reluctatur. Et hinc est, quod inter eos, qui volunt sufficere intentionem externam in Ministro, aliqui sunt qui internam requirunt in suscipiente, quamvis alii plures sentiant oppositum.

At inquies. Approbantur Baptismata accepta ex metu. Ita in Concilio IV. Toletano approbatum fuit Baptisma, ad quod jussu Sisebuthi Hispania-

 rum

(a) *Quaest.* 45. *supplem. artic.* 4.]

rum Regis metu fuerunt adacti Infideles Hispani: & Adrianus I. approbavit (a) Baptisma Saxonum ad illud tormentorum metu adactorum: & Innocentius III. ait (b): *Is, qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, &, ne detrimentum incurrat, Baptismi suscipit Sacramentum, talis (sicut & is, qui ficte ad Baptismum accedit) characterem suscipit Christianitatis impressum*. Atqui in suscipientibus Baptismum ex metu non datur nisi intentio externa; interne enim Baptismo reluctantur: & de facto Adrianus subjungit: *etsi foris tantum, non intus consensissent*, & Innocentius III. *ipse tanquam conditionaliter volens, licet absolute non velit &c.*, & Glossa explicans mentem Innocentii ait: *Valet Baptismi Sacramentum ab eo susceptum, qui corde dissentit, modo dicat ore se consentire*. Ergo &c.

℟. Metum ex alibi dictis non tollere absolutum voluntarium, unde qui metu in Baptismum consenserunt, licet involuntarietatem aliquam retinerent, absoluta tamen voluntarietate (posita conditione metus) consenserunt. Nec obstant contra adducta; nam Adrianus & Innocentius illas formulas adhibent, ut exprimant involuntarietatem jam dictam, quæ in operante ex metu reperitur. Glossa vero per dissensum cordis solum intelligit cordis malitiam, & perseverantem affectum peccati: nam ibi citatur caput *Tum valere* (c), ubi id expresse declaratur.

Licet porro relate ad Ministrum nihil definierim circa sufficientiam intentionis internæ sine externa, fidentius tamen hanc assero relate ad suscipientem, disparitatem eruens ex quo Minister active, suscipiens vero mere passive se habet ad Sacramentum.

In-

(a) *Epist.* 8. (b) *Cap.* Majores *de Baptis.*
(c) *De Cons. dist.* 4.

Intentio hæc, quæ ex probatis in suscipiente requiritur, non debet esse necessario aut actualis, aut virtualis, cum sufficiat habitualis, (excepto Sacramento Pœnitentiæ) & etiam aliquando interpretativa. Quod sufficiat habitualis, patet ex supra adducto loco Innocentii III., ubi dicit valere Sacramentum a dormiente vel amente susceptum, si prius illud desideraverat. Isti autem, ut patet, solum habent intentionem habitualem. Dixi *excepto Sacramento Pœnitentiæ*, quia cum ad istud suscipiendum peculiares requirantur actus in Pœnitente, & quidem moraliter connexi cum absolutione, ad hoc videtur necessaria intentio vel actualis, vel virtualis. Quod vero sufficiat aliquando interpretativa, probatur; nam solet Ecclesia conferre extremam Unctionem moribundo etiam sensibus destituto, de quo non constat illum unquam habuisse formalem voluntatem suscipiendi hoc Sacramentum, sed solum interpretativam, quatenus, cum fideliter vixerit, ita existimatur dispositus, ut, si posset, vellet & peteret hoc Sacramentum.

Ad valorem Sacramenti non requiritur in suscipiente fides (si Sacramentum Pœnitentiæ excipiatur.) Nam S. Augustinus ait (a): *Nec interest, cum de Sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum ... fieri enim potest, ut homo integrum habeat Sacramentum, & perversam fidem.* Præterea ex supra visis non requiritur fides in Ministro ad validitatem Sacramenti. Ergo a fortiori nec in suscipiente. Ulterius Ecclesia agnoscit valida Sacramenta collata ab Hæreticis nedum errantibus circa alia fidei mysteria, sed etiam circa eadem Sacramenta, ut E. G. Baptismata collata a Novatoribus negantibus illa per se conferre gratiam & characterem. Ergo &c.

G 2 Cum

(a) *Lib. 3. de Baptis. cap.* 14.

Cum igitur in Arelatensi I. statuitur (a), *ut Ariani in Ecclesiam redeuntes denuo baptizentur, si interrogati non responderint Trinitatem*, non exigitur ad valorem Baptismi in suscipientibus fides Trinitatis, sed solum innuitur non valuisse Baptisma, si non fuerint baptizati in nomine Trinitatis; & hoc etiam constat ex quo ibidem dicitur: *Si perviderint eum in Patre & Filio & Spiritu S. baptizatum esse, manus ei tantum imponantur, ut accipiat Spiritum S.* Dixi *si Sacramentum Pœnitentiæ excipiatur*; cum enim ad validitatem istius requirantur actus pœnitentis, qui nequeant haberi sine fide, patet ad hoc valide suscipiendum requiri in suscipiente fidem.

ARTICULUS TERTIUS.

Videndum modo quid requiratur, ut licite ab adultis suscipiatur Sacramentum.

I. Ergo generaliter pro omnibus Sacramentis requiritur fides; nam hæc est necessaria ad obtinendam gratiam, quæ est finis Sacramenti. Præterea fides ad omne opus supernaturale requiritur, adeoque etiam ad suscipiendum Sacramentum. Rursus ad hoc licite suscipiendum requiruntur alii actus infra assignandi, qui sine fide haberi non possunt. Hæc fides debet esse generalis circa omnia, quæ Ecclesia credenda proponit; nam hæc Hæreticis prohibet Sacramentorum susceptionem: & præterea debet esse particularis & explicita saltem exercite circa Sacramentum, quod suscipitur, cum sine hac nequeat haberi spes de percipiendo fructu talis Sacramenti, quæ, ut mox dicam, requiritur ad licitam Sacramenti susceptionem.

II. Requiritur spes tum universalis circa illa, quæ Deus promisit, tum particularis & explicita saltem exercite circa fructum Sacramentorum, quæ ho-

(a) *Can.* 8.

homo suscipit. Ratio est, tum quia etiam hæc est necessaria ad obtinendam gratiam tum quia videretur irridere medio a Deo instituto pro sanctificatione animarum, qui ad illud accederet absque spe talis sanctificationis.

III. Requiritur aliqua charitas vel perfecta, vel imperfecta, cujus requisiti ratio & explicatio ex infra dicendis circa requisita ad Sacramenta tum vivorum, tum mortuorum licite suscipienda patebit.

IV. Requiritur, ut suscipiantur Sacramenta juxta opinionem tutam circa illorum valorem; hoc enim exigit reverentia debita Sacramento, quod non debet exponi periculo frustrationis, & cura, quam debet habere quisque de sua salute spirituali, quæ non debet reddi incerta per susceptionem Sacramenti juxta opinionem tantum probabilem relicta tuta, si hæc possit haberi. Ubi adverto quod, licet eadem proportionaliter ratio, quæ prohibet Ministrum ab usu opinionis tantum probabilis circa valorem Sacramenti, prohibeat etiam suscipientem, adhuc tamen est quidem expresse damnatum, quod id liceat Ministro, ut constat ex supra adducta propositione damnata ab Innocentio XI., sed non est ita damnatum, quod id liceat suscipienti.

V. Requiritur, ut suscipiens non sit innodatus excommunicatione, aut interdicto, aut (respectu ordinum) irregularitate; hæc enim prohibent susceptionem Sacramentorum saltem extra casus necessitatis, & juxta regulas traditas a Moralistis ubi de censuris.

VI. Requiritur ut suscipiens Sacramentum petat & accipiat a Ministro, quantum fieri potest, digno. Quod ut explicetur, ita procedere possumus.

Vel non constat Ministrum habere impedimentum morale ad ministrandum Sacramentum; ut E. G. peccatum, excommunicationem &c., vel constat. Si non, semper præsumendum est hoc impedimentum non adesse, sicque ab ipso potest licite peti, & accipi Sacramentum. Si constat, subdistinguendum est, vel enim constat Ministrum esse ex-

communicatum vitandum, & tunc non licet ab illo petere & accipere Sacramentum, nisi in extrema necessitate, ut E. G. absolutionem in morte, & deficiente alio Sacerdote; nam non est permissa communicatio in divinis cum illo nisi in extrema necessitate: vel constat Ministrum esse excommunicatum majore excommunicatione, sed toleratum, & tunc potest ab illo peti & accipi Sacramentum etiam extra casum extremæ necessitatis, si tamen adsit necessitas gravis, ut si E. G. ex dilata susceptione Sacramenti Pœnitentiæ immineat alicui grave periculum lapsus, nec alius adsit Sacerdos, vel etiamsi adsit captanda magna spiritualis utilitas, ut si aliter non posset quis lucrari magnum Jubilæum difficile rediturum: vel constat esse excommunicatum minori excommunicatione, & tunc non est saltem graviter illicitum ab illo petere & accipere Sacramentum, quia Sacramenti ministratio illi non est saltem sub gravi interdicta (& juxta hæc loquendum est etiam proportionaliter de aliis censuris): vel constat esse in lethali, & tunc licet ab illo petere Sacramentum in extrema vel etiam gravi necessitate, quia tunc peccatum Ministri sic conficientis Sacramentum non intenditur, sed mere permittitur, & quidem ob motivum satis urgens. Secus dicendum extra hos casus, quia tunc præponderare debet charitas erga proximum, cui non debemus præbere occasionem peccandi citra rationabilem causam.

Ubi tamen noto facilius excusari in casu alicujus moralis impedimenti in Ministro illum, qui petit Sacramentum a proprio Parocho, quam qui petit ab alio; nam ipse habet jus petendi a Parocho, non vero ab alio: facilius itidem qui petit a Sacerdote parato ad ministrandum Sacramentum, quam qui petit a non parato; prior enim Sacerdos antecedenter ad petitionem erat paratus ad peccandum, alter vero non erat, sicque hic videtur a petitione ad peccatum determinari.

Præter ista generalia requisita ad licitam Sacramentorum susceptionem, cum tamen alia sint Sacramenta vivorum, alia mortuorum, ideo ad-

adverto in Sacramentis mortuorum ulterius omnia requiri, quæ in tractatu de gratia dixi esse dispositiones necessarias ad justificationem. In Sacramentis vero vivorum requiritur status gratiæ, qui, cum suscipiendum est Sacramentum Eucharistiæ, curandus est nedum per contritionem, sed etiam per Sacramentum Pœnitentiæ, ut docet Tridentinum (a). Cum vero suscipienda sunt alia Sacramenta, probabiliter sufficiet contritio; non enim potest assignari sufficiens ratio obligans tunc ad præmittendam etiam Confessionem, præcipue cum Tridentinum obligationem hanc adstruat solum pro Eucharistia. Tutius tamen & consulendum, ut etiam in his casibus Confessio præmittatur.

CAPUT QUARTUM.

De effectibus Sacramentorum novæ legis.

Tres sunt horum Sacramentorum effectus, *gratia sanctificans*, *gratia sacramentalis*, *& character*. Expediturus ergo in primis quæ spectant ad gratiam sanctificantem probabo 1. hanc a Sacramentis conferri: 2. examinabo, utrum æqualiter conferatur ab omnibus: 3. an Sacramenta vivorum possint per accidens causare primam gratiam, & an secundam Sacramenta mortuorum: 4. an Sacramenta ficte suscepta sublato obice reviviscant ad productionem gratiæ: 5. utrum Sacramenta causent gratiam physice, an moraliter. Mox de aliis Sacramentorum effectibus agam, ac proinde 6. agam de gratia sacramentali, 7. de charactere.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto Manichæos teste Augustino negasse valere Sacramenta ad justificationem, Paulinianos vo-

(a) *Sess.* 13. *cap.* 7.

voluisse Sacramenta prodesse corporibus, non animabus, Messalianos totam justificandi efficaciam tribuisse precibus, nullam autem Sacramentis. Inter recentiores Lutherus & Calvinus contenderunt a Sacramentis non conferri gratiam nisi remote, quatenus scilicet ipsa excitant fidem divinarum promissionum, qua homines per ipsos immediate justificantur. Aliqui tamen suspicantur modernos Lutheranos & Calvinistas mutasse sententiam, & recte modo sentire de efficacia Sacramentorum. Quidquid sit de hoc, sit

Assertio Prima. *Sacramenta nova legis gratiam sanctificantem producunt*. Est de fide.

Prob. ex Scripturis: Hæ dicunt Sacramentis homines renasci: (a) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei*: dicunt hominem regenerari, & renovari: (b) *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S.*: dicunt per illa Christum indui: (c) *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*: dicunt per illa homines accipere Spiritum S.: (d) *Tunc imponebant manus super illos*, (scilicet confirmabant) *& accipiebant Spiritum S.*: dicunt per illa homines habere vitam æternam: (e) *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam*: dicunt per illa remitti peccata: (f) *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, & Jacobus loquens de extrema Unctione ait: (g) *Si in peccatis sit, remittentur ei*: tandem dicunt expresse per illa conferri gratiam. Ita Apostolus loquens de Ordine ait: (h) *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii*. Ergo Sacramenta confe-

(a) *Jo.* 3. (b) *Ad Tit*, 3. (c) *Galat.* 3
(d) *Act.* 8. (e) *Jo.* 6. (f) *Jo.* 20.
(g) *Jacob.* 5. (h) 1. *Timot.* 4.

ferunt gratiam; mundatio enim, regeneratio, renovatio &c. sunt effectus gratiæ.

Prob. ex Conciliis. Florentinum ait: (a) *Novæ legis ſeptem ſunt Sacramenta . . . quæ multum a Sacramentis differunt antiquæ legis; illa enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolum per paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant: hæc vero noſtra & continent gratiam, & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt*. Tridentinum inquit: (b) *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint accepta per fidem gratiæ vel juſtitiæ, & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernantur fideles ab infidelibus, anathema ſit*: rurſus: (c) *Si quis dixerit non dari gratiam per hujuſmodi Sacramenta ſemper & omnibus, quantum eſt ex parte Dei, etiamſi rite ea ſuſcipiant, ſed aliquando & aliquibus, anathema ſit*: tandem: (d) *Si quis dixerit per ipſa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere, anathema ſit*. Ergo &c.

Prob. ex Patribus. Tertullianus inquit: (e) *Supervenit ſtatim Spiritus de cœlis, & aquis ſupereſt, ſanctificans eas de ſemetipſo, & ita ſanctificatæ vim ſanctificandi combibunt*. S. Gregorius Nyſſenus ait: (f) *Baptiſma peccatorum expiatio eſt, remiſſio delictorum, renovationis, & regenerationis cauſa*. S. Auguſtinus: (g) *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* & alibi: (h) *Alia ſunt Sacramenta dantia ſalutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi teſta-*

(a) *in Decr. union.* (b) *Seſſ. 7. Can. 6.*
(c) *Ibid. Can. 7.* (d) *Ibid. Can. 8.*
(e) *De Baptiſm. cap. 4.* (f) *Lib. de Baptiſ.*
(g) *Tract. 80. in Jo. n. 3.* (h) *In Pſalm. 73. n. 2.*

stamenti dant salutem, Sacramenta veteris testamenti promiserunt Salvatorem. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. I. Hæ docent solum Deum justificare; dicitur enim: (a) *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Ergo Sacramenta non justificant.

II. Hæ expresse affirmant non Sacramenta justificare, sed fidem in resurrectionem Christi; loquens enim Petrus de Baptismo ait: (b) *Salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi*. Ergo &c.

Ad I. ℟ Scripturas tantum innuere Deum solum justificare ut causam principalem, quod non tollit, ne ipse ad justificandum utatur Sacramentis ut instrumentis.

Ad II. ℟. sensum litteralem textus esse, quod Baptismus nos salvat non præcise, quatenus abluit sordes corporis, sed quatenus abluendo animam ita illam mundat, ut nullius amplius peccati sibi in conspectu Dei sit conscia. Ideo autem additur *per resurrectionem Jesu Christi*, quia hæc est causa exemplaris nostræ justificationis; ut enim ille resurgens nova vita cœpit vivere, & nulla remansit in illo ex prioribus infirmitatibus, ita nos per Sacramenta & præcipue per Baptismum ad gratiam resurgentes deponimus omnia antiqua peccata, & nova vita deinceps vivere debemus. *Consepulti sumus*, inquit Apostolus (c), *cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis . , . . ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Ergo &c.

Obj. ex Patribus. I. S. Hieronymus justificationem refundit in Deum exclusive ad actionem sacramentalem; inquit enim: (d) *Homo tantum aquam*

(a) *Marc.* 2. (b) 1. *Pet. cap.* 3.
(c) *Rom.* 6. (d) *In cap.* 4. *Isa. v.* 4.

aquam tribuit, *Deus autem Spiritum S.*; si enim Sacramentum justificaret, dici posset etiam hominem, qui præbet Sacramentum, præbere Spiritum Sanctum.

II. S. Augustinus non videtur agnoscere in Sacramentis virtutem sanctificandi; inquit enim: (a) *Quid sunt aliud quæque corporalia Sacramenta, nisi quædam quasi verba visibilia, sacrosancta quidem, veruntamen mutabilia & temporalia?* & alibi negat Apostolos dedisse Spiritum S.; ait enim; (b) *Neque aliquis discipulorum ejus* (Christi) *dedit Spiritum S., orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant*. Ergo &c.

III. S. Bernardus ait: (c) *Sicut ..... investitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per baculum & annulum simul, sic divisiones gratiarum diversas traditas esse Sacramentis*. Sicuti ergo illa sunt signa tantum speculativa respectivarum dignitatum, sic Sacramenta erunt tantum per S. Bernardum signa gratiæ speculativa, adeoque illam non conferent. Ergo &c.

Ad I. ℟. S. Hieronymum opponere actionem Dei dantis Spiritum S. actioni Ministri, quia Deus Spiritum S. dat ut causa principalis, Minister solum ut causa instrumentalis. Et sane alibi agnoscit actionem Sacramenti ut sanctificativam; nam ait: (d) *Evangelii mihi placet religio, ut baptizemini in sanguine meo per lavacrum regenerationis, quod solum potest peccata dimittere*. Ergo &c.

Ad II. ℟. S. Augustinum primo loco ostendere legem veterem fuisse bonam, quod Faustus utpote Manichæus negabat. Cum autem id Faustus contenderet, quia illius Sacramenta mutata sunt, respondet S. Doctor id non provenisse ex quo hæc essent

G 6 ma-

(a) *Lib.* 19. *contr. Faust. cap.* 15.
(b) *Lib.* 15. *de Trinit. cap.* 26.
(c) *Serm.* 1. *de Cœna Domini*.
(d) *In. cap.* 1. *Isai. v.* 16.

mala, sed ex quo illis significabatur res ut futura (scilicet mors Christi) quæ post illius adimpletionem non amplius ut futura poterat significari. *Si enim*, inquit S. Doctor (a), *soni verborum, quibus loquimur, pro tempore commutantur, eademque res aliter enunciatur facienda, aliter facta . . . . quid mirum, si aliis mysteriorum signaculis passio & resurrectio Christi futura promissa est, aliis jam facta annunciatur?* Postea subdit: *Quid sunt quæque corporalia signa &c.* quo denotat quidem Sacramenta in genere accepta esse mutabilia, sed non negat nostra esse justificativa; pergit enim: *Hæc omnia fiunt & transeunt. . . . virtus tamen, quæ per ista operatur, jugiter manet, & donum spiritale, quod per ista insinuatur, æternum est*. Secundo loco negat Augustinus datum fuisse ab Apostolis Spiritum S., ut hic missus est a Patre & Filio, sed non negat illum datum fuisse ab Apostolis ut Ministris Christi; Augustinus enim ibi agit de processione Spiritus S. a Filio, quem dicit Deum, quia Spiritus S., qui est Deus, non posset mitti nisi a Deo. Sed quia objici poterat etiam Apostolos misisse & dedisse Spiritum, cum tamen non sint Dii, negat proinde Spiritum S. ab illis dari, sed, ut patet, negat ab illis dari, ut datus est a Filio, nimirum auctoritate propria. Ergo &c.

Ad III. ℟. S. Bernardum non instituere rigorosam comparationem inter exempla adducta, & effectus Sacramenti, sed solum ostendere quod, sicuti liber, baculus, & annulus sunt signa diversarum dignitatum, & officiorum in Ecclesia, sic Sacramenta sunt signa diversorum officiorum, quod & nos concedimus, quamvis velimus priora esse signa tantum speculativa, hæc vero practica. Ergo &c.

Assertio secunda. *Sacramenta novæ legis gratiam producunt ex opere operato*. Est de fide.

Prob. ex supradictis Conciliis id expresse definientibus.

Prob.

(a) *Ibidem*.

Prob. ratione. Fructus Sacramentorum a probitate aut fide Miniſtri tanquam a cauſa non dependet, ut probatum eſt, & concedit etiam Lutherus, qui rata habet & fructuoſa Sacramenta collata ab hæretico, & ab impio, imo & a ludente, & ab ipſo Diabolo: nec ſic dependet a ſuſcipiente; nam in illo quidem, ſi eſt adultus, requiritur aliqua diſpoſitio, ſed hæc ſolum requiritur ut conditio & præparatio ſubjecti, (quomodo E. G. ut lignum comburatur, requiritur in illo ſiccitas) non ut cauſa: & in parvulis nulla diſpoſitio requiritur. Remanet ergo, ut gratia Sacramentum ſolum agnoſcat ut cauſam, quod idem eſt, ac ſi dicatur illud *ex opere operato* gratiam cauſare. Ergo &c.

Obj. ex Tridentino. Si Sacramenta ex opere operato conferrent gratiam, æqualem ſemper conferrent, cum æqualem ſemper habeant vim illam producendi. Hoc non; nam Tridentinum (a) docet nos recipere juſtitiam juxta noſtram cooperationem, adeoque pro inæquali cooperatione inæqualem. Ergo &c.

℟. Negando majorem; nam etſi Sacramenta ex ſe habeant ſemper æqualem vim conferendi gratiam, cum tamen ad fructuoſam illorum ſuſceptionem requirantur in ſuſcipiente adulto quædam diſpoſitiones ut conditiones, hinc ſicut his non poſitis Sacramentum non juſtificat, ita his inæqualiter poſitis juſtificat inæqualiter. Exemplo res declaratur. Sol ex ſe illuminat, & tamen ex majore vel minore apertione feneſtræ, quæ apertio eſt tantum conditio, magis illuminat unum cubiculum, quam aliud. Ita a pari &c.

Ex dictis patet Sacramenta immediate juſtificare: primo enim loca adducta tum ex Scripturis, tum ex Patribus evincunt ipſa Sacramenta ſimpliciter gratiam cauſare, quod certe cauſalitatem im-

(a) *Seſſ. 6. cap. 10.*

immediatam significat. Secundo ex dictis ipsa justificant ex opere operato. Ergo immediate; si enim effectus immediatus ipsorum ex opere operato non esset justificatio, sed solum, ut volunt Novatores, ipsa excitarent fidem, per quam postea immediate justificemur, jam justificatio proxime & immediate causaretur a merito suscipientis Sacramentum, adeoque potius esset ex opere operantis. Tertio ex dictis distinguuntur Sacramenta novi a Sacramentis veteris Testamenti, quod illa non dabant gratiam, hæc dant, quod discrimen corrueret, si nostra Sacramenta immediate non darent gratiam; nam etiam antiqua Sacramenta gratiam causabant, quatenus excitabant & fidem & pios motus, quibus homines justificarentur. Tandem si Sacramenta per se non justificarent; maxime quia justificarent tantum mediante fide, quæ sola per Adversarios justificat. Hoc autem commentum supra proprio loco refutatum est. Ergo &c.

Dices. Augustinus docet Baptisma mundare per fidem, id est quatenus excitat fidem; inquit enim: (a) *Baptisma, quod semel adhibetur, per fidem mundat*. Ergo per Augustinum Sacramenta tantum mediate justificant.

℟. Augustinum ideo asserere Baptismum per fidem mundare, quia fides in adultis requiritur tamquam dispositio, ut Baptisma producat effectum suum. Pro parvulis vero requiritur fides Ecclesiæ, quæ & pro illis credit, & ex tali fide jubet illis conferri Baptismum. Ergo &c.

ARTICULUS SECUNDUS.

Statuto quod Sacramenta ex se & ex opere operato causent gratiam, videndum modo, utrum hæc æqualiter causetur ab omnibus.

Pro

(a) *Serm.* 107. *al*, 30. *de verb. Domin. cap.* 1.

Pro solutione ergo distinguendum. Vel comparantur inter se Sacramenta ejusdem speciei, ut E. G. duo Baptismata, vel Sacramenta diversæ speciei, ut Baptisma, & Eucharistia. Si primum, cæteris paribus eadem gratia, quæ ab uno confertur, confertur etiam ab altero, cum Sacramenta operentur per modum causarum necessariarum, adeoque semper quantum possunt. Dixi *cæteris paribus*, idest supposito, quod subjecta sint æqualiter disposita; secus enim inæqualem Sacramenta gratiam producent. Si alterum, majorem gratiam cæteris paribus confert Sacramentum dignius, minorem minus dignum, sicque majorem gratiam cæteris paribus confert Eucharistia, quam alia quælibet Sacramenta.

ARTICULUS TERTIUS.

Videndum rursus, an Sacramenta vivorum possint per accidens causare primam gratiam, & an Sacramenta mortuorum possint per accidens causare secundam.

Ante solutionem noto 1. Sacramenta alia dici *vivorum*, alia *mortuorum*. Priora dicuntur, quæ per se sunt instituta, ut dent augmentum gratiæ sanctificantis, adeoque primam gratiam supponunt: alia quæ per se sunt instituta ad dandam primam gratiam, adeoque conferuntur illis, qui sunt in lethali. In hac secunda classe sunt Baptismus & Pœnitentia, in prima omnia alia Sacramenta.

Noto 2. certum esse Sacramenta mortuorum posse per accidens causare secundam gratiam. Quis enim neget posse aliquem in gratia constitutum accedere ad Pœnitentiam confitendo aut venialia aut mortalia alias rite confessa, quo casu non primam, sed secundam gratiam consequetur? At controvertitur, utrum Sacramenta vivorum possint per accidens causare primam gratiam, aliis id universaliter affirmantibus; aliis id universaliter negantibus, aliis id affirmantibus de quibusdam Sacramentis vivorum, negantibus vero de aliis. Cum prioribus sit.

Assertio. *Omnia Sacramenta vivorum possunt per accidens conferre primam gratiam.*

Probatur afferendo casus, quibus id potest contingere. Suppone aliquem in lethali constitutum, sed invincibiliter existimantem se esse in gratia, dispositum cæteroquin quoad reliqua accedere ad Sacramentum vivorum cum sola attritione de propriis peccatis, hic debet vi hujus Sacramenti recipere gratiam, quæ erit prima; nam Sacramenta omnia non ponentibus obicem conferunt gratiam ex Tridentino definiente; (a) *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis..... gratiam non ponentibus obicem non conferre... anathema sit.* Suscipiens autem Sacramentum in casu non ponit obicem, cum peccatum retractatum per attritionem, quamvis per ipsam præcise ab anima non tollatur, cessat tamen esse obex gratiæ, sive impedire, ne gratia per Sacramentum superveniat, alias impediret etiam primam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ. Ergo &c. Et sane cum peccatum non impedit infusionem gratiæ sanctificantis, nec impediet sui remissionem, quæ semper fit per infusionem ejusdem gratiæ. Non impedit autem hanc infusionem peccatum per attritionem retractatum, ut patet in Sacramentis mortuorum; & aliunde quoad hoc non est major ratio pro his, quam pro Sacramentis vivorum, cum gratia, quæ utrobique infunditur, sit ejusdem speciei. Ergo &c.

Ad casum adductum alii quoque similes casus revocari possunt, ut E. G. cum quis est quidem conscius peccati lethalis, sed elicit actum attritionis, quam putat contritionem, & sic accedit ad Sacramentum vivorum (præscindo ab Eucharistia, ad quam requiritur confessio,) vel cum quis solum attritus confitetur lethalia, sed invalide absolvitur ex defectu jurisdictionis in absolvente, & sic accedit ad Sacramentum vivorum.

Obj.

(a) *Sess. 7. Can. 6.*

Obj. ex ratione. I. si Sacramenta vivorum possent per accidens causare primam gratiam, id maxime posset Eucharistia. Hæc non potest; nam hæc est instituta per modum cibi: cibus autem potest quidem vitam conservare, sed non dare mortuo. Ergo &c.

II. Stante assertione sequeretur non baptizatum invincibiliter ignorantem necessitatem Baptismi, & accedentem ad Eucharistiam, per eam mundari etiam ab originali, quo casu mundatus fuisset absque ullo Baptismo, quod tamen nullus admittet. Ergo &c.

Ad I. ℟. Primo per instantiam. Baptismus est institutus per modum regenerationis: regenerari autem non potest qui non est mortuus. Baptismus ergo soli mortuo prodesse potest, adeoque soli peccatori. Sicuti non valet argumentum hoc, quia licet Baptismus sit per se institutus per modum regenerationis, potest tamen per accidens non regenerare, ita in casu. ℟. secundo directe cibum spiritualem posse per accidens spiritualiter vivificare mortuum, licet id non possit facere corporaliter cibus corporalis; non enim intercedit omnimoda similitudo inter cibum spiritualem & vitam spiritualem ex una parte, & cibum corporalem vitamque corporalem ex altera. Sane cibus corporalis mutatur in substantiam comedentis, non illam in se mutat: contra cibus spiritualis in se mutat comedentem. Pariter destitutus vita corporali non potest se active disponere ad illam recuperandam: contra destitutus vita spirituali potest ita se disponere, & de facto subinde se disponit per actus fidei, spei &c. ad recuperandam vitam spiritualem. Ergo &c.

Ad II. ℟. In hypothesi suscipientem Eucharistiam illam sumere tantum materialiter, eo proportionaliter modo, quo illam susciperet brutum, adeoque infructuose; Baptismus enim est janua omnium Sacramentorum, adeoque carentia characteris baptismalis est obex gratiæ in quocumque Sacramento recipiendæ. Non ergo sic suscipiens Eucharistiam susciperet gratiam, adeoque nec mundaretur ab originali. Ergo &c. AR-

ARTICULUS QUARTUS.

Videndum etiam, utrum Sacramenta ficte suscepta sublato obice reviviscant ad productionem gratiæ.

Ante solutionem noto nomine *fictionis* in casu venire carentiam requisiti vel ad valorem, vel ad fructum Sacramenti. Erit prior fictio, si E. G. adultus ad Baptismum accedat sine intentione illum suscipiendi: erit posterior, si accedat sine fide &c. De priore hic non est quæstio, cum certum sit illa posita Sacramentum esse nullum, adeoque incapax reviviscendi: sermo est tantum de posteriore, quæ dupliciter potest contingere, primo si quis accedat ad Sacramentum cum obice positivo, idest cum lethali cognito & non retractato: secundo si accedat cum obice negativo, idest inadvertenter omittendo dispositiones requisitas ad fructum Sacramenti. Dixi *inadvertenter*; nam si hæ advertenter omitterentur, obex, ut patet, esset positivus. Quæritur itaque an, si quis cum aliquo ex hisce obicibus Sacramentum valide suscipiat, licet hoc, cum recipitur, sit informe, idest non producat gratiam, sit postea producturum, cum sublatus est obex. Vasquez & pauci ex antiquis id negant generaliter de omnibus. Alii id affirmant de aliquibus, negant vero de aliis. Ipse prius speciatim de Baptismo agam, mox de cæteris. Sit ergo

Assertio. *Baptisma ficte susceptum sublato obice, quicumque is sit, reviviscit ad productionem gratiæ.*

Prob. ex S. Augustino. Hic loquens de Baptismo in Ecclesia ficte suscepto ait (a): *Quod aute datum est, tunc valere incipit ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit:* postea de eodem Baptismo in schismate vel hæresi percepto inquit (b); *Tunc incipit valere Baptismus ad dimit-*

(a) *Lib.* 2. *de Baptis. cap.* 12.
(b) *Lib.* 2. *de Baptism. cap.* 13.

mittenda peccata, cum ad Ecclesiæ pacem venerint ... ut idem ipse, qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem. Ergo &c.

Prob. ratione. Baptismus ficte susceptus sublato obice reviviscit ad gratias sacramentales; etenim hæ non possunt nisi a Baptismate provenire, alioquin non essent propriæ illius; unde si Baptismus quoad has non revivisceret, ipsæ nunquam ita informiter baptizato amplius concederentur (cum Baptisma sit initerabile), quod de divina misericordia non est existimandum. Ergo Baptismus in casu reviviscit etiam quoad gratiam sanctificantem, cum non sit major ratio, ob quam Baptismus jam præteritus possit unum effectum producere & non alium.

Obj. ex ratione. I. Baptisma ficte susceptum est opus mortuum, opus autem mortuum non reviviscit. Ergo &c.

II. Si post Baptisma ficte susceptum peccet homo, & deinde attritus accedat ad Sacramentum Pœnitentiæ, tunc gratia juxta assertionem causaretur tum a Pœnitentia, tum a Baptismo reviviscente. Hoc dici nequit; nam tunc Baptismus peccata post se commissa, & Pœnitentia commissa ante Baptismum deleret, cum gratia, quæ confertur per utrumque Sacramentum æqualiter repugnet peccatis commissis tum ante, tum post Baptismum, quæ omnia invenit in anima. Ergo &c.

III. Admissa reviviscentia Baptismi peccator commodum ex sua iniquitate reportaret; nam suppone aliquem post ficte susceptum Baptisma accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ, per quod tollatur fictio, si hic suscipiendo solum Baptisma accepisset sex gradus gratiæ, nunc accipit & hos sex & alios correspondentes Pœnitentiæ. Melius ergo illi est male suscepisse Baptismum, quam si bene suscepisset. Hoc non. Ergo &c.

Ad I. ℟. Baptismum ficte susceptum esse opus mortuum, si consideretur ut opus operantis, non si consideretur ut opus operatum. Reviviscit autem ut opus operatum. Ergo &c.

Ad

Ad II. ℟. Advertendo, quod gratia peccatorum deletiva in hypothesi confertur a solo Baptismo reviviscente; statim enim ac peccator elicuit actum attritionis (adeoque ante complementum Sacramenti Pœnitentiæ habendum per absolutionem, quam semper debet præcedere dolor) sublatus est obex, cum peccatum per attritionem retractatum ex dictis supra non sit obex gratiæ, adeoque Baptismus tunc est expeditus ad producendum suum effectum, quem proinde producit, antequam effectum suum producat Sacramentum Pœnitentiæ. Sed inquies: saltem ergo verificabitur, quod Baptismus tunc deleat peccata post se commissa. ℟. id equidem contingere licet per accidens. At si hoc repugnat, repugnabit etiam Pœnitentiam delere per accidens peccata ante Baptismum commissa, quod tamen debent admittere adversarii; si enim Baptismus non reviviscit, a solo Sacramento Pœnitentiæ confertur gratia, quæ debebit extendi ad tollenda omnia peccata, quæ in anima reperit, inter quæ erunt etiam commissa ante Baptismum. Ubi cohærenter ad supra dicta noto quod, cum assero per attritionem sublatum esse obicem, non id assero, quasi attritio sola deleat peccatum, sed quia hoc attritione retractatum non impedit, ne gratia aliunde adveniat, per quam postea ipsum tollatur.

Ad III. ℟. negando in casu reviviscentiæ peccatorem reportare commodum ex propria iniquitate; nam ex una parte gratiam correspondentem Baptismo & Pœnitentiæ potuisset eodem modo recipere, si Baptismum ab initio rite suscepisset, ex alia omnia damna reportavit ex Baptismo male suscepto, quæ ex peccato oriuntur, & quæ non reportasset, si Baptisma recte suscepisset. Ergo &c.

Quod dictum est circa reviviscentiam Baptismi, probabilius dicendum etiam ex paritate rationis de aliis Sacramentis characterem imprimentibus utpote initerabilibus. Hoc idem probabiliter extendunt plerique ad extremum Unctionem & Matrimonium; gratia enim illis correspondens est necessaria: & ista sunt quodammodo initerabilia,

prius

prius quidem in eadem infirmitate, alterum autem durante eodem conjugio. Circa Euchariſtiam peculiaris eſt difficultas; hæc enim eſt ſæpiſſime iterabilis. Communius tamen diſtinguitur inter Euchariſtiam infructuoſe ſuſceptam ex culpa, & illam ſuſceptam infructuoſe citra culpam. In primo caſu probabilius non reviviſcit; videtur enim inconveniens, quod qui millies E. G. ſacrilege communicavit, accedendo tandem digne ad Euchariſtiam, reciperet totum illum fructum, quem culpabiliter perdidit. In ſecundo caſu probabilius reviviſcit, cum hoc magis, quam oppoſitum congruat Divinæ miſericordiæ, & dignitati Sacramenti; nec adſit ex parte peccatoris impedimentum ſacrilegii antea patrati. Pœnitentia autem probabilius non reviviſcit, cum ex dicendis proprio loco ſi eſt informis, ſit etiam invalida, adeoque incapax reviviſcendi.

ARTICULUS QUINTUS.

Videndum tandem phyſice ne, an moraliter gratia a Sacramentis producatur.

Noto ergo 1. eandem quæſtionem inſtitui poſſe circa alios Sacramentorum effectus, ſed claritatis ſtudio de ſola gratia loquar, ita tamen ut quæ de ipſa dicam, velim de aliis quoque effectibus intelligi.

Noto 2. circa hoc diſcordes eſſe Theologos: plures cum Thomiſtis ſtant pro cauſalitate phyſica, plures cum Scotiſtis pro morali. Cum his ſit

Assertio. *Sacramenta moraliter tantum cauſant gratiam.*

Prob. ex Tridentino. Hoc docet Chriſtum eſſe cauſam tantum moralem gratiæ; nam docet (a) ipſum eſſe cauſam meritoriam noſtræ juſtificationis,,

(a) *Seſſ. 6. cap. 7.*

nis, adeoque gratiæ: causa autem meritoria est tantum moralis. Ergo etiam Sacramenta erunt causæ gratiæ tantum morales; nam idem tribui debet Sacramentis modus causandi, qui tribuitur Christo iisdem concedenti virtutem justificandi. Et sane Sacramenta non causant gratiam, nisi quatenus continent merita Christi, cujus sunt actiones. Sicuti ergo merita Christi sunt causæ tantum morales justificationis, ita etiam Sacramenta.

Prob. ratione. Sacramenta non possunt causare gratiam physice, cum non possit causare physice quod physice non est: Sacramenta autem causant, cum amplius physice non sunt (saltem excepta Eucharistia): nam Sacramenta omnia excepta Eucharistia consistunt in actione, & producunt effectum, cum actio est completa. Sic E. G. Baptismus consistit in ablutione per aquam & prolatione verborum: *ego te baptizo &c.*. nec producit effectum nisi cum completa est forma, adeoque in expletione verborum *Spiritus S.*. At tunc Sacramentum amplius physice non est; nam plures actionis sacramentalis partes jam præterierunt, & ita, cum in forma Baptismi pronunciantur verba *Spiritus S.* physice amplius non extant alia *ego te baptizo*. Quod quidem maxime dicendum tum de iis Sacramentis, in quibus materia potest esse separata a forma per notabile tempus, ut contingit in Sacramento Pœnitentiæ & Matrimonii, tum de Sacramentis reviviscentibus, postquam sublatus est obex; in primo enim casu fieri potest ut una pars Sacramenti jam a multo tempore transierit, in altero nulla pars physice habetur. Ergo &c. Nec dici potest, ut aliqui dicunt, in hoc secundo casu gratiam produci a charactere physice existente, nam (præterquamquod hoc non posset valere nisi de Sacramentis imprimentibus characterem, cum tamen ex dictis etiam alia Sacramenta præter illa probabilius reviviscant) unus præterea effectus Sacramenti non debet produci ab alio effectu, sed immediate a Sacrameto. Ergo &c.

Hæc sane probatio non potest elidi nisi dicendo vel gratiam causari successive ab actione

sa-

ſacramentali, ita ut una pars Sacramenti conferat unam gratiæ partem, altera alteram, ſicque totum Sacramentum integret unam totalem gratiam: vel exiſtere partes priores, cum ponuntur poſteriores, quatenus hæ cum illis unionem habent continuatam, vel ſingulis partibus Sacramenti diſponi ſuſcipientem, ita ut accedente ultima ſit aptus ad recipiendam gratiam, illamque de facto recipiat: vel (ſupponendo Sacramentum producere effectum non in ultimo ſui eſſe, ſed in primo non eſſe) ipſum tunc non exiſtere intrinſece & in fieri, ſed extrinſece & in eſſe completo. Sed

Non ſubſiſtit primum; gratia enim tota ſimul a Sacramento produci debet non per partes: quod ita oſtenditur. Suppone quod, dum Miniſter baptizat & dicit, *ego te baptizo*, infundatur unus gradus gratiæ, & dum proſequitur ablutionem dicens *in nomine Patris*, alter gradus infundatur; ſi tunc repentina morte correptus Miniſter non poſſit proſequi Baptiſmum, vel in objecta hypotheſi auferentur a ſuſcipiente duo gradus gratiæ collati, quod eſt abſurdum, cum gratia alicui collata nunquam ab illo citra ſuam culpam auferatur; vel hi gradus remanent, quod pariter eſt abſurdum; nam ſic infans E. G. qui tale dimidiatum adeoque nullum Baptiſma ſuſcepiſſet, eſſet mundatus a peccato, cum quilibet gradus gratiæ a peccato mundet. Non ſecundum quia continuatio, quæ habetur in caſu, non efficit, ut priores partes, quæ tranſierunt, exiſtant phyſice, quomodo licet dies hodiernus ſit continuatus cum heſterno, non tamen hoc efficit, ut modo poſſit dici phyſice exiſtens dies heſternus. Semper ergo remanet integra difficultas. Non tertium; nam hoc admiſſo quod cauſaret gratiam non eſſet totum Sacramentum, ſed ſolum ultima illius pars aliis partibus non ſe habentibus ut cauſis gratiæ, ſed ſolum ut conditionibus vel diſpoſitionibus ad illam, quod, ut patet, eſt abſurdum. Non quartum; nam admiſſo illo ſuppoſito (probabilius cæteroquin admittendo) creſcit difficultas in ſententia adverſariorum; in primo enim non eſſe Sacramenti hoc

nec

nec quoad se totum, nec quoad partem existit physice. Quomodo ergo potest physice causare? & illa existentia completa & in facto esse, velint nolint, nihil est aliud, nisi existentia moralis. Viget ergo semper allata difficultas. Sed jam positivæ rationes adversariorum adducantur.

Obj. ex Scripturis. I. dicitur: (a) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S., non potest introire in regnum Dei:* quo posito sic. Eodem modo dicimur renasci ex aqua, quo ex Spiritu S.: Spiritus autem S. physice in nostram renovationem influit. Ergo etiam aqua. Præterea voces, quibus in Scripturis causalitas Baptismi exprimitur, causalitatem physicam denotant; dicitur enim nos renasci *ex aqua*, salvos fieri *per lavacrum*, mundari *in verbo vitæ*: particulæ autem *ex*, *per*, *in*, causalitatem physicam denotant, ut denotant, cum dicitur Verbum *natum ex Virgine*, *omnia per Verbum esse facta*, *in ipso constare omnia &c.* Ergo &c.

II. de Eucharistia dicit Christus; (b) *Caro mea vere est cibus*. Ergo vere Eucharistia nutrit, adeoque physice; quod enim moraliter tantum nutrit, nutrit tantum metaphorice, Ergo &c.

Ad I. ℟. textu adducto indicari quidem & Spiritum S., & aquam ad justificationem concurrere, non autem indicari identitatem modi, alias sicuti Spiritus S. concurrit ut causa principalis, ita etiam concurreret Sacramentum, quod nemo dixerit. Particulæ autem adductæ sunt indifferentes ad denotandam utramque causalitatem, & de facto licet aliquando denotent physicam, ut in exemplis adductis, aliquando tamen denotant solum moralem, ut cum dicitur: (c) *Christus.... per proprium sanguinem introivit semel in sancta*, &c. (d) Christus *lavit nos a peccatis nostris in sangui-*

(a) *Jo.* 3. (b) *Jo.* 6. (c) *Heb.* 9.
(d) *Apoc.* 1.

guine suo. Quænam ergo causalitas per illas denotetur eruendum est ex circumstantiis. Ex illis in casu eruitur, ut probavi, causalitas solum moralis. Ergo &c.

Ad II. ℟. Eucharistiam quamvis moraliter tantum causantem gratiam vere in anima producere effectus, quos in corpore producit cibus, idest illius sustentat vitam, auget vires, illam corroborat &c., quod sufficit, ut vere dicatur cibus.

Obj. ex sensu Ecclesiæ. I. hæc in benedictione fontis baptismalis a Deo postulat, *ut dignetur aquis impertiri vim regenerandi, ut Spiritus S. arcana sui nominis admixtione eas fæcundet, ut sanctificatione concepta ab immaculato Divini fætus utero in novam renata creaturam progenies cælestis emergat*. His autem formulis designatur causalitas physica. Ergo &c.

II. Tridentinum docet (a) Sacramenta esse instrumenta Dei ad nostram justificationem. Non ergo sunt causæ morales gratiæ; nam de ratione instrumenti est, ut moveatur a causa principali, quod repugnat causæ morali, cum ipsa non moveatur a causa principali, sed potius ipsam moveat ad operandum. Ergo &c.

III. idem Tridentinum (b) definit absolutionem Sacerdotis esse actum judicialem, quo vere pœnitenti remittit peccatum. Hoc autem admissa causalitate solum morali non subsisteret; nam tunc Sacerdos solum moveret Deum ad remittendum peccatum, quo posito non magis ipse absolveret, quam absolveret reum rogans Judicem, ut absolveret, qui certe, etsi a Judice obtineret quod petit, non tamen posset dici absolvere. Ergo &c.

IV. ex Florentino & Tridentino Sacramenta gratiam continent. Ergo causant physice; si enim tantum moraliter causarent, se haberent uti se

(a) *Sess. 6. cap. 7.*
(b) *Sess. 14. Can. 9.*

habet singrapha debitoris; quæ ipsi exhibita ipsum movet ad solvendam pecuniam, & quæ certe non potest dici continere ipsam pecuniam. Ergo &c.

Ad I. ℞. Ecclesiam ita orantem Deum, ut dictos effectus per aquam impertiatur, de modo, quo ipsi producuntur, non esse sollicitam; ad quid enim hæc sollicitudo? Præterea eodem modo loquitur Ecclesia, cum benedicit aquæ lustrali; rogat enim Deum, *ut huic elemento virtutem suæ benedictionis infundat, ut ad abigendos Dæmones morbosque pellendos Divinæ gratiæ sumat effectum.* Quis autem dicat aqua lustrali antedictos effectus produci physice? Ergo &c.

Ad II. ℞. Sacramenta esse instrumenta Dei tantum moralia, quæ secundum unum respectum movent, secundum alium moventur. Movent, quatenus repræsentant Deo merita Christi, quibus Deus inducitur ad elargiendam gratiam: moventur, quatenus Deus illa adhibet, ut iisdem moveatur. Exemplum harum motionum sit hoc. Si Princeps volens subditis benefacere promittat se concessurum, quidquid petetur, dummodo petitio fiat per litteras commendatitias filii sui, istæ litteræ erunt instrumentum beneficientiæ Principis, quod & movebit, quatenus in gratiam illarum Princeps inducitur ad benefaciendum, & movebitur, quatenus Princeps dat vim iisdem, illasque adhibet tanquam medium, ut inducatur ad beneficia largienda. Ita in casu. Ergo &c.

Ad III. ℞. primo quod, si argumentum valeret, nec Christus per merita sua nos absolveret, cum ex dictis Christi merita sint tantum causæ morales nostræ justificationis. Secundo ℞. directe Sacerdotem etsi non physice, sed tantum moraliter causantem gratiam vere absolvere; effectus enim æque tribuitur causæ physicæ & morali. Ideo autem non absolveret reum rogans Judicem, ut absolveret, quia absolutio denotat remissionem vel culpæ vel pœnæ non utcumque, sed ut provenientem a persona Judicis, in cujus potestate sit remissio vel non remissio: quod non verificatur de rogante, præcipue cum istius preces non ha-

habeant vim infallibilem movendi Judicem ad absolvendum. In casu autem Sacerdos est a Deo constitutus Judex pœnitentis, cum ipse debeat discernere causam, & penes ipsum stet proferre vel non proferre ssntentiam, & talem sententiam, cui Deus infallibiliter se accommodat. Etsi ergo tantum moveat Deum ad absolvendum, vere potest dici, quod absolvat.

Ad IV. ℞. primo posse aliquo modo dici singrapha debitoris contineri pecuniam. Sane si creditor habeat apud se 100. aureos numeratos, & singrapham exigentem alios 100. apud omnes dicetur ipsum habere 200. aureos. Ergo &c. ℞. secundo quod, si singrapha non possit dici continere pecuniam, id ex eo oritur, quod ipsa non se habet per modum causæ moralis relate ad movendum debitorem, sed tantum per modum occasionis; quod enim movet debitorem est amor justitiæ, singrapha autem illi solum præbet occasionem ostendendi hunc amorem: quomodo si ego suggeram diviti adesse tali vel tali loco indigentem, quo posito huic ille elargiatur eleemosynam, causa moralis hujus eleemosynæ non sum ego, sed est amor proximi, & ego sum præcise illius occasio. Sacramenta autem vere movent Deum ad elargiendam gratiam. Ergo &c.

Obj. ex Patribus. I. hi explicantes efficaciam Sacramentorum utuntur similitudinibus denotantibus causalitatem physicam, ut seminis producentis arborem, uteri producentis fœtum &c. Ergo &c.

II. Patres agentes de tali efficacia esserunt illam esse inexplicabilem, & in solam omnipotentiam Dei esse refundendam. Ergo non agnoscunt in Sacramentis causalitatem moralem, sed physicam; hæc enim, non illa, est tam mirabilis, cum nullatenus mirabile dici possit, quod actiones morales Christi Deum moveant ad elargiendam gratiam. Ergo &c.

Ad I. ℞. adductis similitudinibus Patres tantum innuere gratiam vere causari a Sacramentis, de modo autem, qui ad quæstionem scholasticam

 per-

pertinet, ipsos non fuisse sollicitos. Ut omittam, quod ipsi aliquando causalitati morali, potius quam physicæ favere videntur, dum scilicet asserunt Sacramenta esse vasa plena sanguiue Christi, & habere virtutem ob meritum passionis Christi, quæ certe potius explicant causalitatem moralem, quam physicam.

Ad II. ℟. esse inexplicabilem causalitatem etiam moralem, & ad divinam omnipotentiam illa admissa esse confugiendum. Quis enim non miretur ad vocem & actionem hominis hominem a peccato mundari & donari gratia? Certe miramur ad nutum Josue stetisse solem, quamvis actio Josue fuerit tantum causa moralis hujus effectus. Cur ergo etiam non miremur in casu? At inquies: non est mirum, quod Sacramentum moveat Deum, cum sit actio moralis Christi; sed observo admirabilitatem in hoc non consistere, quod Deus positis actionibus moralibus Christi moveatur ad elargiendam gratiam: consistit in hoc, quod voluerit actiones tam viles, & aliquando factas ab impiis, considerari ut actiones morales Christi. Sane quid simile respondere debent adversarii instantiæ, quam possumus contra ipsos instituere; si enim non est mirum, quod Deus moveatur actionibus moralibus Christi ad elargiendam gratiam, nec erit mirum, quod Sacramenta mota & adhibita a Deo causent physice gratiam; quis enim miretur Deum re materiali producere effectus spirituales, cum ipse omnia possit quæ non implicant? Ut ergo ad salvandam in Sacramentis admirabilitatem necessariam ad explicandos Patres respondent adversarii, illam non consistere in hoc, quod actionibus sacramentalibus ut a Deo adhibitis producatur gratia, sed in hoc, quod Deus tanquam instrumentis producendæ gratiæ utatur actionibus sacramentalibus in se tam vilibus, & aliquando factis a peccatore; ita nos &c. Ergo &c.

Obj. ex ratione I. Instrumenta Divinæ justitiæ physice operantur in homines, & ita ignis inferni physice agit in animas damnatorum. Ergo

go a pari, immo a fortiori debent in homines phyſice agere inſtrumenta divinæ miſericordiæ, qualia ſunt Sacramenta.

II. Illud de Sacramentorum cauſalitate dicendum eſt, quod eſt accomodatius illorum dignitati: accomodatior autem eſt cauſalitas phyſica, quam moralis. Ergo &c.

Ad I. ℞. omiſſo, quod ignis corporeus phyſice agat in damnatos, negando hoc valere etiam de Sacramentis; in iis enim quæ a libera Dei voluntate pendent, non valet argumentum a pari, præcipue cum talia adſunt momenta pro uno caſu, quæ non adſunt pro alio, ut hic evenit. Ergo &c. Addo argumentum probare, quod Sanguis Chriſti, qui eſt inſtrumentum Divinæ miſericordiæ, operetur phyſice noſtram juſtificationem, quod ex dictis eſt falſum. Addo inſuper efficaciam inſtrumenti non eſſe deſumendam a modo, quo cauſat, ſed ab effectu cauſato. Cum ergo mirabilius operetur divina miſericordia in effectu Sacramentorum licet tantum moraliter cauſato, quam divina juſtitia in effectu ignis licet cauſato phyſice; ex hac phyſica cauſalitate non lædetur cauſalitas moralis Sacramentorum.

Ad II, ℞. cohærenter ad dicta, ut cognoſcatur quid ſit accomodatius dignitati Sacramentorum, non eſſe conſiderandum modum effectus, ſed ipſum effectum. Hic autem, etſi moraliter producatur, eſt illorum dignitati accomodatiſſimus. Ergo &c. Præterea non eſt aſſerendum de Sacramentis quod præciſe eſt illorum dignitati accomodatum, ſed quod inſinuatur a Scripturis, Conciliis, & Patribus, quæ omnia ex dictis potius adſtruunt cauſalitatem moralem, quam phyſicam. Tandem ſi valeret argumentum, deberet etiam dici Chriſtum eſſe cauſam phyſicam noſtræ juſtificationis. Ergo &c.

ARTICULUS SEXTUS.

Secundus Sacramentorum effectus eſt gratia illa, quæ peculiariter dicitur *Sacramentalis*. Con-

sistit hæc in jure quod acquirit realiter & digne suscipiens Sacramentum ad quasdam gratias actuales, quibus juvatur ad præstanda munera singulis Sacramentis correspondentia. Cum enim, ut dixi, singula Sacramenta ad peculiares & distinctos fines a Deo sint ordinata, ita ut unum diverso modo ab alio afficiat suscipientem, ut E. G. diverso modo afficit Baptismus, qui est initium vitæ spiritualis, ac afficiat Confirmatio, quæ est ejusdem vitæ roboratio, hinc debent per singula Sacramenta conferri quædam gratiæ, quibus homo ad consequendos diversos hos effectus disponatur: hæ autem dicuntur Sacramentales.

Dixi gratias illas consistere *in jure, quod acquirit realiter & digne suscipiens Sacramentum ad quasdam gratias actuales &c.* quibus indicavi naturam gratiæ sacramentalis, & conditiones necessarias ad illam acquirendam. Illius profecto natura nequit melius explicari, quam per jus ad gratias actuales: nam ex una parte gratia hæc, cum sit effectus Sacramenti, debet produci cum hoc ponitur, ex alia parte, cum effectus istius gratiæ tempore quo ponitur Sacramentum, aliquando non sit necessarius, post illud autem pro varietate occasionum futurus sit aliquando necessarius, aliquando non (ut E. G. eo instanti, quo quis recipit Confirmationem, ut plurimum necesse non est, ut actu pugnet pro confessione fidei, erit autem necessarium, cum aderit tentatio & lucta), debet proinde gratia sacramentalis explicari per aliquid, quod connotet quidem præsentem Sacramentorum susceptionem, sed tamen connotet etiam diversas illas circumstantias, in quibus homo auxiliis cujusque Sacramenti propriis indigebit. Hoc autem fit dicendo gratiam sacramentalem esse jus, quod acquiritur in ipso actu susceptionis Sacramenti, & esse jus ad gratias actuales, quæ non semper dantur, dabuntur autem, cum aderit necessitas. Ex quo patet rite suscipientem Sacramenta eo instanti, quo suscipit, accipere gratias illas in jure & habitu, illas postea recepturum de facto & in actu, cum se obtulerit occasio exercendi

di quæ ad effectus pertinent Sacramentorum susceptorum.

Dictis pariter verbis indicavi conditiones requisitas ad gratiam hanc recipiendam, quæ sunt ut realiter & digne suscipiatur Sacramentum; primo enim Sacramentum debet realiter suscipi, cum susceptio illius tantum in voto, quæ operi tantum operantis correspondet, non conferat gratiam sacramentalem, quomodo nec confert characterem, qui correspondet tantum operi operato. Secundo probabilius debet suscipi digne; hoc enim posito intelligitur collatio gratiæ sanctificantis, quæ, prout confertur in Sacramento, habet adnexam gratiam sacramentalem, sicuti illo non posito neque hæc intelligitur, quæ in gratia sanctificante fundatur.

ACTICULUS SEPTIMUS.

Tertius Sacramentorum effectus est *character*. Hic non est effectus generalis omnium Sacramentorum, cum non omnia illum imprimant. Est autem character generatim sumptus *signum, quo res aliqua notatur* quatuor præsertim de causis: primo ut per illud res ab aliis distinguatur, & ita E. G. oves, equi &c. alicujus gregis vel domini notantur aliquo signo, ut distinguantur ab ovibus vel equis alterius gregis vel domini: secundo ut per illud res alteri configuretur, & ita sacris stigmatibus S. Franciscus configuratus est Christo: tertio ut per illud designetur pretium rei, & ita certo sigillo nummi valor designatur: quarto ut per illud significetur rei deputatio ad certum statum vel officium, & ita signo aliquo militari milites olim insigniebantur. Character autem Sacramentalis est *signum spirituale & indelebile animæ impressum, per quod homo deputatur ad cultum Dei, configuratur Christo, & ab aliis contradistinguitur*.

Nullo Sacramento imprimi characterem docuit Wiclephus, quem secuti sunt Lutherus, Calvinus, cæterique Novatores. Contra fides catholica docet tribus Sacramentis characterem imprimi, vi-

delicet Baptismo, Confirmatione & Ordine, quamvis aliis non imprimatur. Sit ergo

ASSERTIO. *Tria Sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio & Ordo characterem imprimunt.* Est de fide.

Prob. ex Traditione. Ex hac constat tria prædicta Sacramenta iterari non posse. Hujus autem initerabilitatis nulla assignari potest causa, nisi quod imprimant characterem. Sane, ut de Baptismo prius speciatim loquar, hic non est initerabilis, quia ex Apostolo significat Christi mortem, quæ semel accidit, alias nec iterari posset, Eucharistia, quæ & ipsa Christi mortem significat juxta illud (a) *Quotiescumque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis*. Nec est initerabilis, quia ex eodem Apostolo est unus; nam etiam Eucharistia dicitur *unus panis*, & tamen potest iterari, & rursus fides quoque est una, & tamen illam possumus sæpius profiteri. Nec est initerabilis, quia est institutus ad delendum originale, quod semel deletum amplius non redit; nam si hoc, posset iterari saltem, cum ob indispositionem suspicientis adulti hic non fuisset ab originali mundatus. Nec est initerabilis ex quo sit omnium Sacramentorum janua, qua semel aperta & ingresso homine per illam, non est cur amplius aperiatur; nam hoc posito saltem Apostatæ, qui sponte exeunt ab Ecclesia, & Excommunicati, qui ab illa ejiciuntur, deberent rebaptizari. Nec est initerabilis, quia est pactum, quod Deus init cum homine, & quod semel initum semper durat; hoc enim ad summum valet, cum homo non infringit conditiones pacti, secus cum infringit, quo casu deberet iterari. Remanet ergo, ut sit initerabilis ex vi characteris impressi. Rationes autem adductæ militant proportionaliter etiam pro Confirmatione & Ordine. Ergo &c.

Prob.

(a) I. *Cor.* II.

Prob. ex Conciliis. Florentinum ait (a): inter Sacramenta *tria esse, Baptismum, Confirmationem & Ordinem, quæ characterem, idest spirituale quoddam signum a cæteris distinctivum imprimunt in anima indelebile, unde in eadem persona non reiterantur*. Et Tridentinum (b): *Si quis dixerit in tribus Sacramentis Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possint, anathema sit*. Ergo &c.

Prob. ex Patribus. Et I. quoad Baptismum S. Ambrosius (c) docet nos in illo accipere *signaculum spirituale*, & S. Cyrillus Hierosolymitanus docet (d) *Baptismo imprimi sigillum sanctum indelebile*: & S. Basilius ipsum Baptismum vocat (e) *Signum*, & comparat *Baptizatos domibus Israelitarum, quæ in Ægypto erant linitæ sanguine agni*, non baptizatos vero comparat *domibus Ægyptiorum*: & S. Augustinus docet Baptismum etiam in Apostatis a fide perseverare; inquit enim (f): *An forte minus hærent Sacramenta christiana, quam corporalis hæc nota* (militaris character) *cum videamus nec Apostatas carere Baptismate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, & ideo amitti non posse judicatur*? Non potest autem in Apostatis perseverare Baptismus in se consideratus, quia est actio transiens, neque in effectu gratiæ, quæ ab Apostatis est amissa. Remanet ergo, ut perseveret in charactere. Confirmationem & ipsam Patres passim appellant signaculum. Ita S. Cyprianus de confirmatis ait (g): *Signaculo do-*

(a) *In Decret. Eugen. pro union. Armen.*
(b) *Sess. 7. Can. 9.* (c) *De Mysteriis cap. 7.*
(d) *Præfat. ad Cateches.*
(e) *Homil* 13. *quæ est exhortatio ad Baptismum*
(f) *Lib. 2. contr. ep. Parmen. Cap.* 13.
(g) *Ep.* 73.

minico consummantur. De Ordine tandem ait Augustinus: (a) *Nulla ostenditur causa, cur ille, qui ipsum Baptismum amittere non potest, jus dandi potest amittere; utrumque enim Sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur, ideoque in Catholica utrumque non licet iterari*. Ergo &c.

Obj. ex ratione. I. non potest statui ut dogma fidei quod est modernum inventum, nec in Scripturis, nec in Patribus fundatum. Talis est existentia characteris, id etiam fatentibus aliquibus Catholicis, qui docent nec ex Scripturis, nec ex Patribus, sed ex sola Ecclesiæ auctoritate, & quidem non multum antiqua colligi posse existentiam characteris. Ergo &c.

II. Inutilis est hic character; non enim debet admitti ad deputandum hominem ad cultum Dei, cum in veteri lege Levitæ absque charactere ad cultum Dei deputarentur: nec debet admitti, ut cognoscatur qui Sacramentum suscepit, cum nec sit necessarius, ut iste cognoscatur vel a Deo, qui omnia independenter a signis creatis cognoscit, vel a Beatis, qui omnia in Verbo vident, vel a viatoribus, quippe respectu istorum character est invisibilis, vel a damnatis; isti enim sunt incapaces cognoscendi ens supernaturale, quale est character. Adde quod, si character esset admittendus, vel esset admittendus ut perfectio, & sic etiam in Christo deberet admitti, & excludi a damnatis; vel esset admittendus ut imperfectio, & sic deberet a Beatis excludi. Ergo &c.

III. Theologi in explicanda natura characteris in varias sententias abierunt; varietas autem hæc est indicium mendacii.

IV. Admisso charactere pro tribus Sacramentis non est, cur non admittatur pro omnibus. Hoc non. Ergo nec primum. Ad

---

(a) *Lib. 2. contr. ep. Parmen. Cap.* 13.

Ad I. ℞. (omiſſo quod ex Scripturis character non colligatur) colligi tamen ex traditione & Patribus, ut ſupra oſtenſum eſt, quod ſufficit, ut illius exiſtentia poſſit ſtatui tanquam dogma fidei. Ex hoc patet non ſatis caſtigate circa hoc locutos fuiſſe Doctores adductos. Dictum eſt *omiſſo, quod ex Scripturis character non colligatur*; non enim deſunt Theologi exiſtimantes etiam de charactere mentionem fieri in Scripturis, & præcipue ubi dicitur (a) *Unxit nos Deus & ſignavit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris*, & ubi dicitur (b): *In quo* (Chriſto) *credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis*, & rurſus (c): *Nolite contriſtare Spiritum S. Dei, in quo ſignati eſtis*. Sed cum alii contendant locis adductis non haberi ſermonem de charactere; illa enim etiam diverſimode explicantur a Patribus, idcirco ſatius exiſtimavi præſcindere a Scriptura, & aſſertionem tantum ex traditione, Patribus, & ſenſu Eccleſiæ roborare.

Ad II. ℞. Non adſtrui characterem ut abſolute neceſſarium; fatendum enim effectus per illum præſtitos poſſe etiam ſine illo præſtari. At ſi ex quo character non eſt abſolute neceſſarius, inferri poſſet ipſum non eſſe admittendum, eodem jure poſſent etiam rejici Sacramenta, cum quæ ab eis præſtantur, abſolute poſſent etiam ſine illis præſtari. Sicut ergo hoc non obſtante Sacramenta admittuntur, quia ad illa admittenda nos cogit libera voluntas Dei per fidem manifeſtata: ita in caſu. Addo quod, licet forſitan in antiqua lege abſque charectere deputarentur Levitæ ad divinum cultum, cum tamen deputatio per characterem ſit excellentior, magis etiam videtur congruere deputationi, quæ novo Teſtamento correſpondet. Pariter licet abſolute qui Sacramenta ſupra commemorata ſuſcepit, poſſet dignoſci abſque charactere, congruum

(a) 2. *Cor.* 1. (b) *Ephes.* 1.
(c) *Ibid. cap.* 4.

tamen videtur, ut per illum dignoscatur, idque præsertim in alia vita, ubi character respectu Beatorum erit nota honoris, non quatenus præcise est character, sed quatenus illo bene usi sunt (ex quo tamen ne inferas characterem fuisse in Christo; quamvis enim aliqui id affirment, communius tamen cum S. Thoma negatur, cum character non dicat nisi perfectionem militis, servi, & ovis, Christus autem non sit miles, sed Dux, non servus, sed Dominus, non ovis, sed Pastor;) respectu autem damnatorum erit nota infamiæ, non quatenus præcise est character, sed quatenus illo male usi sunt. Et quamvis isti nequeant naturaliter cognoscere characterem, potest tamen illum Deus iisdem manifestare, & maxime Dæmonibus, ut ex tali manifestatione damnatis crescat tormentum. Ex quibus patet responsio ad id, quod subditur.

Ad III. ℟. Non esse divisos Theologos in admittenda substantia characteris, sed in explicando quid sit: nec mirum, cum agatur de re obscurissima. Nec idcirco debet negari character; alias, cum etiam in explicandis naturæ phœnomenis variæ sint Philosophorum sententiæ, deberent hæc negari, quod nemo dixerit. Addo quod ipsa diversitas sententiarum circa naturam characteris confirmat consensum Theologorum in illo admittendo quoad substantiam; non enim prudentes litigant de re quid sit, nisi persuasum ipsis sit rem esse. Ergo &c.

Ad IV. ℟. Primo sufficientem disparitatem inter tria supra assignata Sacramenta, & alia quatuor deducendam ex voluntate Dei nobis per Traditionem, & Ecclesiam manifestata. Secundo ex D. Thoma adesse quoque congruentiam maximam, ut admittatur character pro tribus illis Sacramentis, non pro aliis; qui enim tria illa suscipit, constituitur in novo statu ac gradu speciali, eoque de se constanti ac perpetuo, cum per Baptismum adscribatur familiæ Christi, per Confirmationem Christi militiæ, & per Ordinem Christi Ministris, & hæc omnia stabiliter & perpetuo: non sic vero constituitur in novo gradu & statu speciali perpetuo qui suscipit

alia

alia Sacramenta, cum per Eucharistiam solum participet de corpore Domini, per Pænitentiam Deo reconcilietur, per extremam Unctionem abstergantur reliquiæ peccatorum, per Matrimonium muniatur ad recte generandam & educandam prolem: hæc autem vel non possint dici novi status, vel saltem nullum illorum sit perpetuum, cum possit quis absolute ab eo, quod per hæc Sacramenta suscepit, excidere. Ergo &c. Hoc totum declarat Angelicus exemplo ex politicis desumpto; in politicis enim, inquit ipse, charactere & distinctivo aliquo insigniuntur qui familiæ Principis adscribuntur, & qui militiæ Principis nomen dant, & qui a Principe Ministri & Gubernatores Provinciarum constituuntur, quia isti per hæc mutant statum. At tali charactere & distinctivo non insigniuntur vel qui in mensa Principis comedunt, vel qui Principi reconciliantur, vel qui per sanitatem recuperatam conservantur famulatui ejusdem Principis, vel qui ipsi subditos procreant, quia per hæc rigorose status non mutatur. Idem ergo dici debet relate ad Sacramenta, quæ expositis muneribus correspondent.

Remanet inquirendum quid sit character. Reiicitur communiter opinio Durandi illum statuentis in sola relatione rationis, seu extrinseca denominatione, per quam homo deputatur ad aliquas sacras functiones, quod ipse declarat exemplo nummi, cujus pretium augetur vel minuitur per solam extrinsecam Principis voluntatem. Hæc inquam opinio communiter rejicitur; nam character manet etiam in damnatis, in quibus nulla remanet extrinseca deputatio. Præterea charactere hoc modo explicato non magis homines, quam vasa sacra vel templa dici poterunt insignita, cum hæc quoque ad divinum cultum extrinsece deputentur. Tandem charactere hoc modo explicato vix a Novatoribus dissentimus, cum ex his nullus neget per Baptismum (alia enim duo Sacramenta characteristica non admittunt) hominem extrinsecus deputari ad divinum cultum: vix pariter hic character conciliari potest cum definitione

ne

ne Tridentini circa characterem; nam hoc dicit characterem animæ imprimi: quis autem dicat animæ imprimi extrinsecam deputationem?

Aliæ vero sunt opiniones Catholicorum, quæ hinc inde probabiliter defenduntur, ut opinio Scoti ponentis essentiam characteris in relatione reali, opinio S. Thomæ illam ponentis in qualitate &c. Mihi sufficiat cum Ecclesia asserere illum esse signum spirituale, quidquid tandem sit istud signum spirituale, cujus non habemus sufficientem ideam. Quod si circa hæc philosophari liberet, assererem ipsum esse quandam animi modificationem ab anima quoad entitatem indistinctam, ut de omnibus aliis modis Philosophi probabilius docent.

Sed his missis duo sunt hic advertenda: primo esse quidem de fide characterem esse indelebilem in hac vita, cum hoc ad minimum importetur per verba Tridentini simpliciter definientis characterem esse indelebilem; quod vero sit indelebilis etiam in alia vita, quamvis sit omnino tenendum ut conformius menti Conciliorum, Patrum, & Theologorum, non agnosci tamen ab aliquibus ut spectans ad fidem. Secundo probabilius subjectum immediatum characteris non esse intellectum, aut voluntatem, aut animam, quatenus est intellectus aut voluntas, sed esse animam, quatenus est anima, cum character de conceptu suo primario non dicat potentiam ad operandum, adeoque non debeat immediate residere in potentiis animæ operativis.

Et hæc satis de Sacramentis in genere.

TRA-

TRACTATUS
DE SACRAMENTIS
IN SPECIE.

Tractatum hunc pro septenario Sacramentorum numero in septem Dissertationes divido. Sit itaque

DISSERTATIO I.

De Sacramento Baptiſmi.

Dissertationem hanc divido in sex capita. In 1. explicabo quid & quotuplex sit Baptismus: in 2. agam de materia & forma Baptismi fluminis: in 3. de illius ministro & patrino: in 4. de illius subjecto, & dispositionibus ad illum requisitis: in 5. de illius effectibus & necessitate: in 6. de Baptismo sanguinis seu Martyrio.

CAPUT PRIMUM.

Quid & quotuplex sit Baptismus.

Agam hic 1. de nomine Baptismi, & de Baptismate Joannis: 2. afferam divisiones Baptismi, definitionem Baptismi fluminis, & illius denominationes, ac ostendam illum esse verum Sacramentum: 3. agam de illus institutione.

AR-

ARTICULUS PRIMUS.

Quatuor apud Auctores sacros sunt acceptiones nominis *Baptismi*. Prima est litteralis & communis, & juxta hanc Baptismus idem est ac intinctio seu ablutio, quo sensu dicitur: (a) Judith *exibat noctibus .... & baptizabat se in fonte aquæ*, idest tingebat, ac lavabat se aqua. Secunda est cæremonialis seu legalis, & juxta hanc nomen *Baptismi* in Scripturis denotat lotiones legales & cæremoniales, quibus utebantur Judæi: quo sensu Apostolus asserit (b) Judæorum hostias *solummodo in cibis & potibus, & variis baptismatibus* fuisse positas. Tertia est accomodatitia seu metaphorica, & juxta hanc significat tum afflictionem, quo sensu Christus dicit: (c) *Baptismo habeo baptizari*, idest *debeo pati*, & alibi: (d) *Potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut Baptismo, quo ego baptizor, baptizari*? tum etiam abundantiam donorum spiritualium juxta illud: (e) *Vos autem baptizabimini Spiritu S. non post multos hos dies*. Quarta est Ecclesiastica & sacramentalis, & juxta hanc, quæ propria est hujus loci, significat primum Sacramentum novæ legis.

Antequam autem de hoc Sacramento agere aggrediar, aliqua præmittere juvat de Baptismo Joannis, de quo in sequentibus pluries occurret mentio.

Joannem prædicasse Baptismum ac baptizasse docent Scripturæ; dicitur enim: (f) *Venit Joannes .... prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*: & infra dicebat ipse Joannes: *Ego quidem baptizo vos aqua*. Baptizabat Joannes

(a) *Judith.* 12. (b) *Heb.* 9.
(c) *Luc.* 12. (d) *Marc.* 10.
(e) *Act.* 1. (f) *Luc.* 3.

nes ex nutu Dei; nam dicebat idem Joannes: (a) *Qui misit me baptizare in aqua &c.* (ex quo patet errare Socinianos nullum in Baptismo Joannis divinum mandatum agnoscentes). Baptismum hunc fuisse præstantiorem cæremoniis Mosaicis docent Patres, inter quos S. Cyrillus hanc affert rationem, quod istæ remote, illa proxime Christum præfigurabat.

Hic tamen Baptismus diversæ erat & inferioris conditionis a Baptismo Christi (contra quod aliqui hæretici docuerunt, ut Petilianus Donatista, & novissime moderni Sectarii volentes utrumque eundem substantialiter fuisse). Primo enim ille probabiliter non fuit Sacramentum, cum non fuerit institutus stabiliter, sed solum pro tempore, quo Joannes prædicabat, hic vero fuit Sacramentum. Rursus ille non conferebatur cum invocatione Sanctissimæ Trinitatis, ut hic confertur; si enim ita baptizasset Joannes, baptizati ab ipso aliquid audivissent de Spiritu S., quos tamen interdum nihil de illo audivisse, constat ex quo aliqui ex iis responderunt Paulo: (b) *Sed neque si Spiritus S. est audivimus*. Rursus prior sese continuit circa regionem Jordanis, & nonnisi adultis pœnitentia expiandis conferebatur, alter ad omnes gentes extenditur. Præterea Joannes solum per se baptizavit, Christus vero etiam per Apostolos suos. Ulterius post Baptismum Christi nullus alius admittitur Baptismus, post Baptismum autem Joannis multi sunt baptizati (c) Baptismo Christi. Tandem prior non justificabat nisi remote, idest mediante pœnitentia, cujus erat vel signum vel causa, alter per se & ex opere operato justificat.

Et sane Baptismum Joannis per se non justificasse ipse docuit, dum inquit: (d) *Ego quidem baptizo vos in aqua in pænitentiam, qui autem post me*

(a) *Jo. . . .* (b) *Act.* 19.
(c) *Ibid.* (d) *Matt.* 3.

me venturus est ... ipse vos baptizabit in Spiritu S. & igne: quibus docuit se non baptizare in Spiritu S., idest non conferre gratiam per suum baptisma. Unde merito Tridentinum inquit: (a) *Si quis dixerit Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi, anathema sit*.

Quod si aliqui Patres docere videantur Baptismum Joannis contulisse remissionem peccatorum, ut Basilius inquiens: (b) *Quantacumque, & qualiacumque peccata quis confessus fuisset, & baptizabatur a Joanne in Jordane fluvio, statim veniam consequebatur peccatorum*: & Tertullianus, qui ait: (c) *Nec quidquam refert inter eos, quos Joannes in Jordane, & quos Petrus in Tyberi tinxit*; ℟. primum asseruisse peccata remissa a Baptismo Joannis solum ratione pænitentiæ, quam excitabat: alterum vero non comparare Baptismum Joannis Baptismo Petri quoad efficaciam, sed tantum quoad materiam, quæ in utroque est eadem: & hoc patet ex sequentibus, *quia*, inquit, *nulla est distinctio mari quis aut stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur*.

ARTICULUS SECUNDUS.

Triplex distinguitur Baptismus, nimirum *sanguinis*, *flaminis*, & *fluminis:* primus est Martyrium, & de hoc agam capite ultimo hujus dissertationis: secundus est actus contritionis seu charitatis cum voto suscipiendi Baptismum fluminis, & de hoc præter dicta, ubi de charitate, nihil adjungam, nisi quod hic, cum nequit haberi Baptismus fluminis, supplet in adultis illius defectum: tertius est ille, qui constituit primum ex septem novæ legis Sacramentum, & de hoc in sequentibus.

Hic

(a) *Sess. 7. Can. 1.* (b) *Lib. de Baptis.*
(c) *De Baptis. cap. 4.*

Hic definitur *Sacramentum*, *quo homines per aquam spiritualiter regenerantur in verbo vitæ*. Dicitur *Sacramentum*, quod stat loco generis. Dicitur *quo homines spiritualiter regenerantur*, quibus & indicatur illud esse Sacramentum mortuorum; talis enim regeneratio supponit hominem carentem vita spirituali, quæ postea ipsi per Baptismum tribuitur, & indicatur differentia inter Baptismum & Pœnitentiam; nam primus est institutus ad dandam vitam spiritualem nunquam habitam, quod dicitur hominis *regeneratio*: altera est instituta ad restituendam hanc vitam semel quidem habitam, sed postea amissam, quod dicitur potius *resuscitatio*. Dicitur *per aquam in verbo vitæ*, quibus denotatur materia Baptismi, quæ est aqua, & forma, quæ consistit in prolatione quorundam verborum, de quibus infra.

Sacramentum hoc varias habet denominationes, quarum aliquæ ex materia deducuntur, & ita dicitur *lavacrum*, *Sacramentum aquæ*, *unda genitalis*, vel *fluvius aquæ vitalis*: aliæ a forma, & ita dicitur *sigillum vel obligatio*, *vel signaculum*, *vel Sacramentum fidei*, *& Sacramentum Trinitatis* (cum enim illud confertur, fit professio fidei, & maxime in Trinitatem): aliæ ab effectibus, & ita dicitur *lavacrum regenerationis & renovationis*, *ablutio peccatorum*, *vitæ novitas*, *sanctificatio*, *sepultura hominis cum Christo &c.*

Baptismum ut verum Sacramentum hæretici communius admittunt. Sufficit ergo paucis hoc ostendere. Constat ex Evangelio ipsum esse ritum externum juxta illud: (a) *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* . Constat huic ritui esse adnexam gratiam juxta illud: (b) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei*: ritus autem externus, cui adnexa est pro-

(a) *Matt.* 28. (b) *Jo.* 3.

promissio gratiæ, est verum Saramentum. Ergo &c. Ut interim omittam innumeras definitiones Conciliorum, consensum Patrum, & Ecclesiæ, quæ omnia in Baptismo veram Sacramenti rationem prædicant.

ARTICULUS TERTIUS.

Sacramentum Baptismi fuisse a Christo institutum certum est, & magis patebit ex mox dicendis. De tempore institutionis controvertitur. Alii volunt fuisse institutum solum post mortem Christi, cum nimirum ipse dixit Apostolis: (a) *Euntes docete omnes gentes baptizantes &c.* Alii volunt fuisse institutum ante mortem, & hi quoque dividuntur, nam alii volunt fuisse institutum, cum Christus dixit Nicodemo: (b) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei:* alii cum Christus in Jordane baptizatus est: alii cum Christus misit discipulos ad prædicandum & baptizandum (c). Alii tandem fatentur se ignorare tempus institutionis. Ipse sequentibus assertionibus statuam quod videbitur probabilius.

Assertio prima. *Baptismus fuit a Christo ante mortem institutus.*

Prob. ex Scripturis & Patribus. Christus adhuc vivens discipulos misit (d) ad baptizandum, & quidem suo Baptismo, non Joannis, alias ipsius Joannis discipuli non fuissent cum illo conquesti, quod gloriæ Joannis detraheretur per hoc, quod Jesus plures quam ipse Joannes, baptizaret; cessisset enim tunc in honorem Joannis quod Jesus illius Baptismo uteretur. Præterea D. Augustinus inquit: (e) *Dictum est de Domino antequam pateretur, baptizabat plures, quam Joannes, . . . quamvis ipse*

non

(a) *Matt.* 28. (b) *Jo.* 3. (c) *Ibid* & 4.
(d) *Ibid.* & 4. (e) *Tract.* 5. *in Jo. n.* 18.

non baptizaret, sed discipuli ejus . . . . Adhuc erat ibi Judas inter discipulos: quos baptizavit Judas, ii non sunt iterum baptizati, quos baptizavit Joannes iterum baptizati sunt, . . . quos enim baptizavit Joannes, Joannes baptizavit, quos autem baptizavit Judas, Christus baptizavit. Et expressius alibi dicit (a) non Joannis, sed Christi Baptismum ministrasse Apostolos. Si ergo ante mortem Christi ipsius Baptismus conferebatur, tunc erat profecto institutus.

Obj. ex Scripturis. I. Christus solum post passionem suam præscripsit formam Baptismi (b). Ergo &c.

II. Solum post mortem Christi Baptismus habuit tum efficaciam, quæ ex morte Christi debebat provenire, tum significationem, quæ erat, ut configuraretur homo morti Christi juxta illud: (c) *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus*. Ergo &c.

III. Non subsistit fundamentum assertionis, nempe quod Baptismus ante mortem Christi ab Apostolis collatus fuerit Christi baptismus; si enim talis fuisset, ante passionem Christi datus fuisset Spiritus S., quem tamen tunc non fuisse datum constat ex quo dicatur: (d) *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*. Adde quod, si talis fuisset, ante passionem Christi fuisset apertum cœlum; aperitio enim hæc est effectus Baptismi. Adde tandem inverisimile esse contulisse Apostolos Baptismum Christi, antequam ordinarentur sacerdotes (ordinati sunt autem solum in ultima cæna) & antequam ipsi Baptismo Christi baptizarentur (baptizati autem non leguntur ante passionem Christi). Ergo &c.

Ad I. ℞. Haberi quidem in Evangelio mentionem formæ baptismalis solum post mortem Christi;

(a) *Lib. 3. contr. lit. Petil. cap.* 56.
(b) *Matt.* 28. (c) *Rom.* 6. (d) *Jo.* 7.

sti; at quod tunc solum fuerit præscripta gratis dicitur.

Ad II. ℟. Baptismum habuisse valorem ex morte Christi non necessario consummata, sed etiam consummanda eo proportionaliter modo, quo ex morte Christi consummanda vim habuerunt supernaturalem bona opera veterum Patriarcharum. Eidem etiam morti ut consummandæ fuerunt configurata Baptismata ante illam collata.

Ad III. ℟. subsistere fundamentum assertionis, quin obstent objecta; nam primo loco solum negatur Spiritum S. ante resurrectionem Christi fuisse datum publice & manifesto, ut docet Augustinus, inquiens: (a) *Spiritus S. latenter dabatur ante Domini glorificationem, post manifestationem autem divinitatis ejus, manifestius datus est*. Vim porro cœlum aperiendi habet Baptismus solum post Christi ascensionem: ante enim non habebat, cum indecens esset, ut ante Christum ullus homo cœlum ascenderet, quamvis ab omni tum culpæ tum pœnæ reatu immunis. Nec est inverisimile quod data sit Apostolis nondum sacerdotibus facultas baptizandi, cum sacerdotium non sit absolute necessarium ad validitatem Baptismi, præcipue cum ante mortem Christi ob legem Mosaicam aduc vigentem Baptismus veluti insolemniter conferretur. Quamvis porro non legatur Apostolos fuisse ante passionem Christi baptizatos, id tamen omnino tenendum est, imo dicendum ipsos fuisse a Christo baptizatos, antequam illos mitteret ad baptizandos alios.

Obj. ex ratione. Solum post passionem Christi Baptismus fuit necessarius; nam tunc solum cæpit lex Christiana obligare. Ergo tunc solum fuit institutus.

℟. Aliud esse quod Baptismus solum post passionem Christi fuerit necessarius, aliud quod tunc solum fuerit institutus; potuit namque a Christo institui absque eo, quod ipse adigeret homines

mines

(a) *Lib.* 83. *quæst.* 62.

mines ad illum suscipiendum, & ita se gessit ante passionem.

Assertio secunda. *Baptismus non fuit institutus cum Christus dixit Nicodemo:* nisi quis renatus fuerit &c.

Prob. ratione. Improbabile est Christum, cum occulte privatum hominem alloqueretur, instituisse hoc Sacramentum, quod futurum erat universale pro omnibus, & summæ pro omnibus necessitatis, præcipue cum quæ tunc Christus dixit Nicodemo, non ad tempus præsens referantur, sed ad futurum.

Assertio tertia. *Baptismus fuit adumbratus, & saltem incomplete institutus, cum Christus a Joanne baptizatus est.*

Quod fuerit adumbratus patet: nam tunc adhibita est aqua, quæ pariter adhibetur in Baptismo Christi, & apparuit tota Trinitas, nempe Pater, qui dixit: *Hic est filius meus dilectus &c.* Filius, qui baptizabatur, & Spiritus S., qui in Christum corporali specie descendit. In Baptismo vero Christi exprimitur per formam Trinitas. Ergo &c.

Quod vero fuerit saltem incomplete institutus, probatur ex Patribus docentibus Christum contactu suo aquis contulisse vim sanctificandi: hæc autem collatio dici potest aliqualis institutio.

Dixi *saltem incomplete*; nam, cum non appareat Christum tunc præscripsisse materiam & formam Baptismi (quod enim ab aliquibus ad probandum Christum saltem facto hanc præscripsisse, adstruitur ex quo ipse tunc baptizaverit Joannem, gratis adstruitur, cum nihil de eo habeat Evangelium accurate ceteroquin recensens quæ tunc gesta sunt, & Patres, qui hoc videntur innuere, solum loquantur de Baptismo metaphorico, de gratia scilicet a Christo tunc Joanni collata) cumque tunc Christus non personam gereret legislatoris, sed potius servi & peccatoris, qui signo illo exteriori notari volebat, quo notari solebant peccatores, non est proinde, cur dicamus ipsum tunc complete Baptismum instituisse.

As-

Assertio quarta. *Probabilius Baptismus fuit complete institutus, cum primo Christus* (a) *misit Discipulos ad prædicandum & baptizandum.*

Prob. Nam post illud tempus non fuit institutus, ut dixi: ante non est, cur dicatur institutus. Remanet ergo, ut fuerit institutus eo tempore, præcipue cum tunc debuerit illos docere modum baptizandi, adeoque præscribere materiam & formam Baptismi. Ergo &c.

CAPUT SECUNDUM.

De materia & forma Baptismi fluminis.

EXaminabo hic 1. quæ spectant ad materiam remotam: 2. quæ ad proximam: 3. quæ ad formam.

ARTICULUS PRIMUS.

Materiam remotam Baptismi esse aquam plures ex hæreticis sunt inficiati; missis enim iis, qui omnia elementa sensibilia a Sacramentis rejiciebant, Manichæi aquam repudiabant, utpote quam putabant provenire a principio malo: Pauliciani sola verborum prolatione Baptismum conferebant: traditur Jacobitas aquæ substituisse in Baptismo ignem. Non defuere qui aquæ substituerunt & vinum & oleum, imo Lutherus aliquando docuit valere pro Baptismo quidquid loco balnei esse potest. Contra hos sit

Assertio. *Materia remota Baptismi est sola aqua*. Est de fide.

Prob. Aquæ mentionem faciunt Scripturæ, Concilia, & Patres, cum Baptismi materiam assignant, nec aliud commemorant. Ergo &c. Posterior hæc pars patebit solutione objectionum. Prima vero. Prob.

(a) *Jo.* 3. & 4.

Prob. ex Scripturis, ubi dicitur: (a) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Et alibi: (b) *Venerunt ad quandam aquam, & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Rursus: (c) *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.*

Prob. ex Conciliis. Lateranense IV. ait: (d) *Sacramentum Baptismi, quod conservatur in aqua, tam parvulis, quam adultis . . . proficit ad salutem.* Florentinum: (e) *Materia hujus Sacramenti est aqua vera & naturalis.* Tridentinum: (f) *Si quis dixerit aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi . . . . anathema sit.*

Prob. ex Patribus. S. Justinus *adducuntur*, inquit (g), *a nobis* Cathecumeni *ubi est aqua ... in aqua tum lavantur* & S. Augustinus: (h) *Quid est Baptismus Christi? Lavacrum aquæ in verbo. Tolle aquam, non est Baptismus. Tolle verbum, non est Baptismus.* Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. De Christo dicitur I. (i) *Ille vos baptizabit in Spiritu S. & igne.* Ergo ignis, non aqua est materia Baptismi.

II. *Hic est qui venit* (k) *per aquam & sanguinem Jesus Christus non in aqua solum, sed in aqua & sanguine.* Ergo nedum aqua, sed & sanguis est materia Baptismi.

Ad I. ℞. Igne vel non indicari materiam Baptismi, sed solum effectum, qui est ut tribuat charitatem igne denotatam: vel indicari mundationem levium culparum, quæ fit in alia vita per purgatorium, ita ut sit sensus Christum in hac vita delere culpas per gratiam, in alia per ignem: vel hic haberi sermonem de illapsu Spiritus S. in Apostolos, qui in forma ignis mittendus erat.

(a) *Jo.* 3. (b) *Act.* 8. (c) *Ephes.* 5.
(d) *Cap.* Firmiter. (e) *In Decret. Eugen.*
(f) *Sess.* 7. *Can.* 2. (g) *Apolog.* 2.
(h) *Tract.* 15. *in Jo. n.* 4. (i) *Matt.* 3.
(k) 1. *Jo.* 5.

Ad II. ℟. Textum non de Baptismo loqui, sed de Christo crucifixo, e cujus latere exivit sanguis & aqua.

Obj. ex factis I. Narrat Nicephorus (a) quemdam Judæum iter facientem per desertum & præ nimio æstu febre correptum ac siti fere deficientem postulasse Baptismum, sed cum deesset aqua, arena ter in ipsum injecta cum prolatione formæ baptismalis baptizatum, quod Baptisma validum fuisse probavit sanitas ipsi statim restituta. Quid simile narrat Joannes Moscus (b).

II. Presbyter deficiente aqua puerum vino baptizaverat, & tamen hic Baptismus validus declaratus est a Syricio & a Stephano I. RR. Pontificibus. Ergo &c.

Ad I. ℟. Factum a Nicephoro narratum nobis favere; nam hic refert rem fuisse delatam Episcopo Alexandrino, qui voluit Judæum aqua baptizari, quod idem narrat Joannes Moscus de suo Judæo, unde plures conjiciunt idem factum ab utroque narrari. Quod si hic Judæus sanitati restitutus est, id tribui potest ardenti Baptismi desiderio.

Ad II. Respondent communius Auctores illa duo responsa esse supposititia; quis enim credat hos Pontifices ignorasse constantissimam Ecclesiæ traditionem vinum a Baptismo rejicientem? Adde quod nec in collectionibus Canonum, nec in archiviis Romanæ Ecclesiæ hæc responsa inveniuntur. Quod si non sint supposititia, ob eandem rationem dico vitiata esse. Quod si nec sint vitiata, dico illos Pontifices ut privatos doctores errasse.

Materia igitur remota Baptismi est aqua. Cum autem nomine aquæ veniat solum aqua naturalis, hæc sola erit materia idonea Baptismo.

Erunt

(a) *Lib.* 3. *cap.* 37.
(b) *In Prat. Spirit. Cap.* 176.

Erunt igitur certo materia inepta vinum, oleum, cervisia, sudor, lacrimæ, sanguis, & similia, quæ non sunt aqua naturalis. Erit materia dubia aqua, quæ dubitatur utrum sit naturalis, ut est aqua rosacea, lixivium, aqua stillans e vite verno tempore, jus, & hujusmodi, quæ aliqui dicunt non amittere rationem aquæ naturalis per admixtionem materiæ extraneæ, quæ in illis habetur, aliis id negantibus. Nil vero refert, utrum aqua naturalis sit ex puteo, an ex flumine, an defæcata, an turbida, an frigida, an calida. Non est quidem de necessitate Sacramenti, ut aqua sit benedicta, cum tamen potest haberi, hæc est adhibenda. In Baptismo vero solemni est adhibenda aqua solemniter benedicta, quæ in fontibus baptismalibus asservatur. Quo loco noto consuetum olim fuisse, ut fons baptismalis in solis Cathedralibus asservaretur, & soli Episcopi baptizarent, sed crescente numero fidelium multiplicari debuisse & fontes baptismales & baptizantes; conservatam tamen fuisse antiquam consuetudinem, ut in Sabbathis immediate præcedentibus Pascha & Pentecostem fons ipse baptismalis benediceretur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Materia proxima Baptismi est ablutio facta cum aqua. Tripliciter autem potest quis ablui aqua, nimirum per immersionem corporis in aqua, per effusionem aquæ super corpus, & per aspersionem aquæ super idem corpus.

Primis Ecclesiæ sæculis Baptismus conferebatur per immersionem, & hoc exemplo Christi, quem sic baptizatum videtur erui ex quo ipse dicitur post Baptismum (a) *ascendisse de aqua*; hoc enim indicat ipsum fuisse antecedenter in aqua immersum. Trina autem erat immersio ad ex-

(a) *Matt.* 3.

exprimendam fidem Trinitatis teste S. Am brosio qui ait: (a) *Interrogatus es: credis in Deum Patrem omnipotentem? Dixisti: credo, & mersisti, hoc est sepultus es. Iterum interrogatus es: credis in Dominum nostrum Jesum Christum, & in crucem ejus? Dixisti: credo, & mersisti ... Tertio interrogatus es: credis & in Spiritum S.? Dixisti: credo, tertio mersisti.* Hujus trinæ mersionis subinde mentionem faciunt etiam antiquissima tam Græca, quam Latina Ritualia. Viguit usus baptizandi per immersionem usque ad 13. sæculum; nam S. Thomas, qui tunc floruit, ait (b) Ministrum graviter peccaturum, si aliter baptizaret. Usus vero trinæ immersionis etiam antea fuerat immutatus; nam usque a sæculo 6. in Hispaniis unica immersio adhibebatur, ut constat ex S. Gregorio Magno. (c) Imo aliquando datum fuisse primis Ecclesiæ sæculis non per immersionem, sed per infusionem vel aspersionem colligit Martene ex actis S. Laurentii, qui narratur baptizasse Romanum militem aqua ex urceo effusa, nec non ex actis S. Graciliani, S. Bacchi junioris, & S. Liudgeri, ubi de Baptismo sic collato fit mentio. Ut interim omittam, quod infirmis in lecto decumbentibus Baptismus conferebatur, & non certe per immersionem. Sæculo autem 13. invalescere cœpit usus baptizandi etiam absque immersione, & in Concilio Ravennensi II. sub Clemente V. permittitur Baptismus sive per infusionem, sive per aspersionem: & hodie apud Latinos communiter Baptismus confertur per infusionem.

Pluribus de causis immutatus est hic ritus: I. quia aliquibus baptizandis & præsertim infantibus immersio nocere poterat: II. quia erat periculum, ne immergendus præsertim si infans e ma-

(a) *Lib.* 2. *de Sacram. cap.* 7.
(b) 3. *primæ quæst.* 66. *art.* 8.
(c) *Ep.* 43. *ol.* 41. *lib.* 1.

manibus Ministri elapsus in aqua submergeretur III. quia decentius visum est, ut nuda corpora non exponerentur oculis adstantium, quod maxime de mulieribus dicendum, postquam cessavit usus Diaconissarum Baptismo mulierum inservientium: IV. quia magis expedita, & numero baptizandorum accomodata est infusio vel aspersio, quam immersio.

Immerito igitur nos calumniantur recentiores Græci schismatici, quod per immersionem non amplius baptizemur, citra quam ipsi putant illicitum & invalidum Baptismum. Fatemur scilicet communius antiquitus fuisse ministratum Baptisma per immersionem, sed patet etiam aliter quandoque fuisse collatum: hunc autem vel illum modum dicimus Baptismo accidentalem, nec ullum extare præceptum divinum de ministrando Baptismo per immersionem. Fatemur rursus antiquitus extitisse præceptum Ecclesiasticum, ut conferretur Baptisma per immersionem, quo fit, ut multi Patres doceant usum sic baptizandi ex Apostolica traditione (utique ad disciplinam solum spectante) descendere, & in Canonibus, qui dicuntur Apostolici, (a) pœna depositionis mulctatur qui contra fecerit: sed quod præceptum posuit Ecclesia, eadem potuit ex validis rationibus, & per ipsam contrariam consuetudinem auferre, ut de facto abstulit.

Opponunt Græci exemplum Christi, qui per immersionem baptizatus est, decretum Constantinopolitani I., quod jubet (b) rebaptizari Eunomianos una tantum immersione baptizatos, sententiam Cornelii Papæ, qui referens (c) Baptismum datum Novatiano in lecto decumbenti, adeoque non per immersionem valide baptizatum negare videtur inquiens: *Si tamen hujusmodi Baptismum suscepisse dicendus est*: & tandem quod dicat Pelagius (d):

(a) *Can.* 50. (b) *Can.* 9.
(c) *Ep. ad Fabium Antiochen.*
(d) *Can.* multi sunt *dist.* 4. *de cons.*

Evangelicum præceptum ipso Deo & Domino Salvatore nostro Jesu Christo tradente nos admonet in nomine Trinitatis trina etiam immersione sanctum Baptisma unicuique tribuere dicente Domino Discipulis suis: Ite baptizate omnes Gentes &c. Sed

R/. Ritus in Baptismo a Christo adhibitos non esse de illius necessitate, nisi ipse voluerit tales esse, quod in casu non constat. Non est porro decretum in Constantinopolitano esse rebaptizandos Eunomianos ob defectum trinæ immersionis, sed ex quo ipsi vitiarent formam; non enim baptizabant in nomine Trinitatis (ob quod etiam trinam immersionem omittebant) sed in morte Christi. Cornelius non asserit invalidum Baptismum Novatiani, alias jussisset ipsum rebaptizari, sed eo modo loquendi carpit illius impietatem, qui nulla fide, nulla recta intentione, nulla Canonum observatione, nec etiam percepta postea Confirmatione & Eucharistia, ut ferebat usus illorum temporum, Baptismum susceperat. Tandem Pelagius præceptum Christi refert ad solam invocationem Trinitatis, ut patet ex ratione, quam subdit, quæ ad immersionem nihil pertinet. Ideo autem de trina immersione loquitur, quia hæc suis temporibus erat in usu, & ab Ecclesia præcepta juxta superius dicta.

Est igitur validus Baptismus collatus cum ablutione per aquam, quomodocumque hæc fiat, ita tamen ut ad licite operandum debeat quisque servare ritum Ecclesiæ suæ: & ita Græci per immersionem, nos per infusionem debemus baptizare. Quomodocumque hoc Sacramentum conferatur, ut sit validum, debet verificari quod homo dicatur ablutus, & ideo apud nos, qui infusione baptizamus, præscribitur, ut aqua infundatur in caput, & quidem ita ut nedum attingat capillos, sed etiam cutem; secus enim non diceretur homo ablutus (quo fit, ut nec valeat Baptismus collatus puero in secundinis involuto, ita ut aqua non attingat nisi secundinas,) & ob eandem rationem aqua debet esse in tanta quantitate, ut possit fluere, alias non posset dici peragi ablutionem: propter

pter quod alibi dixi non valere Baptiſmum in aqua congelata; hæc enim non poteſt abluere, quod etiam dicendum, ſi calore corporis baptizati ſolveretur; nam tunc licet poſſet abluere, non verificaretur, quod ablutio fieret a Miniſtro: valeret tamen, ſi aqua calore manus Miniſtri prius ſolveretur, deinde ſuper baptizandum infunderetur.

Valide autem, quamvis illicite extra neceſſitatem fieret apud nos ablutio in pectore, vel in ſcapulis, aut alia ſimili parte notabili. In alia porro parte minus notabili, ut E. G. in digito &c. dubium eſt, utrum valeret, adeoque ſemper illicite extra neceſſitatem ſic conferretur Si quis baptizandum ſupponeret ſtillicidio proferendo formam, probabiliter valide baptizaret, quia moraliter verificari videtur, quod illum ablueret, quamvis extra neceſſitatem illicite. Si quis baptizandum projiceret in flumen cum intentione baptizandi, & prolatione formæ, probabilius valeret Baptiſmus, quia ſic daretur per immerſionem. Nec ſubſiſtit quod dicunt aliqui non valere, quia in caſu non haberetur emerſio, quam ipſi putant eſſentialem Baptiſmo per immerſionem collato, ut nedum figuretur Chriſti mors, ſed etiam ipſius reſurrectio; nam hæc ſufficienter exprimitur per reſurrectionem ſpiritualem baptizati. Illicitum tamen eſſet ſic baptizare ob periculum occiſionis: quod etiam valet, ſi infans alias eſſet moriturus ſine Baptiſmo; cum enim iſta actio de ſe ſit occiſiva, nunquam licet nec ad bonum finem; non enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Secus eſſet, ſi haberetur ſpes recuperandi illæſum ſic immerſum.

ARTICULUS TERTIUS.

Agendum modo de forma Baptiſmi. Quædam eſſe determinata verba, quæ pro forma Baptiſmi inſerviant, docet Auguſtinus inquiens (a): *Certa*

(a) *Lib. 6. de Baptis. cap.* 25.

illa evangelica verba, sine quibus non potest consecrari Baptismus &c. Et tenet Ecclesia illa præscripta agnoscens in verbis Christi (a): *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Hinc Ecclesia Latina hanc formam adhibet: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen:* & Ecclesia Græca hanc aliam: *Baptizatur* (non *baptizetur*, ut quidam scribunt; habet enim hæc forma sensum indicativum) *servus Dei in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen*: quam quidem Græcorum formulam validam esse constat, tum ex quo solum accidentaliter differat a formula Latinorum, tum quia Ecclesia Latina semper valida agnovit Baptismata Græcorum illa utentium. Imo in Florentino ipsa fuit expresse approbata.

Quacumque substantiali mutatione hujus formæ semper Ecclesia putavit invalidari Baptismum. Quod si opponatur decretum S. Stephani Papæ, qui scribens ad S. Cyprianum, approbavit Baptismum venientium a quacumque hæresi, ex quo videtur approbasse Baptismum collatum sub forma substantialiter ab ea diversa, quam Christus instituit & adhibet Ecclesia, cum aliqui Hæretici ita baptizarent; ℟. S. Stephanum semper supposuisse Baptisma collatum sub debita verborum formula, quo posito asserebat illud validum fuisse etsi collatum ab hæretico: & hoc patet ex quo ipse definitionem suam roborabat ex traditione, hæc autem, ut dixi, semper agnovit invalidum Baptismum collatum sub formula substantialiter diversa ab illa, quam Christus instituit & adhibet Ecclesia.

Hinc patet errasse qui vel docuerunt posse in Baptismo adhiberi formam substantialiter a jam di-

ℭta

(a) *Matt.* 28.

cta diversam, vel illam de facto adhibuerunt. Inter priores sunt præcipue Lutherus, qui scripsit valere Baptismum etsi in nomine Domini non collatum, dummodo tamen in nomine Domini accipiatur: & Sociniani, qui contendunt non esse exprimendam Trinitatem in prolatione formæ. Inter posteriores fuerunt plures hæretici antiqui, ut Gnostici, qui baptizabant in nomine Patris ignoti, in veritate matre omnium, & in eo, qui in Jesum descendit: & Montanistæ, qui baptizabant in Patrem & Filium, & Montanum Priscillamque, unde in Concilio Laodiceno (a) jubentur rebaptizari; ut omittam Paulianistas, Eunomianos, Bonosiacos, aliosque, quorum catalogum longum esset hic attexere.

Videndum modo quænam verba sint in hac forma essentialia, quænam accidentalia; adeoque quandonam illorum immutatio sit substantialis, quando accidentalis. Hoc autem claritatis gratia examinabo in forma Latinorum, ex quo apparebit quid sit dicendum circa formam Græcorum.

In primis itaque certum est illa *ego* & *amen* esse tantum accidentalia. Fuit aliquando controversum, utrum essentialis esset formæ baptismali expressio actionis baptizantis, sed modo communiter hæc adstruitur ut essentialis; ita enim dicit Alexander III.: (b) *Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. & non dixerit: ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. non est puer baptizatus*. Accedit damnatio facta ab Alexandro VIII. propositionis (c): *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: in nomine Patris &c. prætermissis illis: ego te baptizo*, Nec dicas Christum per verba supra adducta *euntes &c.* præscripsisse quid es-

(a) *Can.* 8. (b) 3. *Decret. titul.* 42. *cap.* 1.
(c) *Num.* 27.

esset agendum, non quod dicendum esset quod agitur, alias, cum dixit: *docete omnes gentes* indicasset se velle, ut Apostoli dicerent *nos docemus*, quod nullus admittet; nam præcepisse Christum nedum actionem, sed etiam locutionem expressivam actionis in nostro casu, nos docent sensus & definitiones Ecclesiæ, quæ non militant pro alio casu.

Si ergo formæ baptismali essentialis est expressio actionis baptizantis, patet esse etiam essentiale, ut aliquo modo exprimatur persona baptizans. (Dixi *aliquo modo*; sufficit enim si exprimatur in actu exercito, sive per hoc, quod exprimatur actio in circumstantiis, in quibus apparet illam fieri a tali persona, & ita exprimitur in forma Græcorum). Hoc etiam patet ex perpetua praxi & traditione Ecclesiæ.

Ex eadem traditione & praxi patet essentiale quoque esse, ut exprimatur persona baptizanda. Hanc porro expressionem strictius Theologi requirunt, quam expressionem baptizantis, quia praxis Ecclesiæ ostendit requiri signatam expressionem baptizandi, sufficere autem exercitam baptizantis.

Quantum ad invocationem SS. Trinitatis controversia est. Alii putant non requiri ex instutione Christi expressam invocationem Trinitatis, proindeque volunt etiam sine illa validum esse Baptismum, si tamen in nomine Christi conferatur. Ita cum aliis Magister sententiarum. Alii putant requiri quidem ad valorem Baptismi ex institutione divina expressam SS. Trinitatis invocationem, ita tamen ut aliquando, tempore scilicet Apostolorum, ex dispensatione peculiari fuerit validus cum sola invocatione nominis Christi. Ita S. Thomas. Alii tandem nedum volunt requiri ex institutione divina ad valorem Baptismi expressam SS. Trinitatis invocationem, sed semper fuisse requisitam, nec proinde fuisse unquam circa hoc dispensatum. Quid ipse sentiam sequentibus assertionibus ostendam.

As-

Assertio prima. *Ex institutione divina est essentialis Baptismo expressa SS. Trinitatis invocatio.*

Prob. ex sensu Ecclesiæ. I. in Niceno I. prohibetur (a) ne rebaptizentur Novatiani, & jubetur (b) ut rebaptizentur Paulianistæ, non alia de causa, inquit Innocentius I. (c), nisi quia hi non baptizabant in nomine SS. Trinitatis, utique vero illi. II. in Arelatensi I. dicitur: (d) *Placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum, & si perviderint eum in Patre & Filio & Spiritu S. esse baptizatum, manus ei tantum imponantur, ut accipiat Spiritum S. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.* III. Pelagius Papa ait: (e) *Si revera hi de hæreticis, qui in locis dilectioni tuæ vicinis commorari dicuntur, se solummodo in nomine Domini baptizatos fuisse forsitan confitentur, sine cujusquam dubitationis ambiguo eos ad fidem catholicam venientes in Sanctæ Trinitatis nomine baptizabis*; ubi per illud *in nomine Domini* intelligit Pelagius *in nomine solius Christi* absque invocatione Trinitatis, cum oppositionem constituat inter Baptismum in nomine Domini collatum, & Baptismum collatum in nomine SS. Trinitatis. Ergo &c.

Prob. ex Patribus. S. Cyprianus ait: (f) *Quomodo quidam dicunt . . . in nomine Jesu Christi Gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate?* Origenes *utique*, ait (g), *non habetur legitimum Baptisma, nisi sub nomine Trinitatis.* S. Ambrosius

(a) *Can.* 8. (b) *Can.* 19.
(c) *Ep. ad Episcop. Macedonian.* (d) *Can.* 8.
(e) *Cap.* Si revera *de Cons. dist.* 4.
(f) *Ep.* 73. *ad Jubaian.*
(g) *Lib.* 5. *in cap.* 6. *Ep. ad Roman.*

sius (a), *Nisi baptizatus fuerit in nomine Patris & Filii & Spiritus S., remissionem non potest accipere peccatorum.* Damascenus ait: (b) *Non semel baptizari necesse est . . . in nomine Patris &c. . . . Qui in Sanctam Trinitatem minime baptizati sunt, hi denuo baptizentur necesse est.* Ergo &c.

Obj. ex Romanis Pontificibus. Nicolaus I. interrogatus, utrum essent repaptizandi baptizati a quodam, qui nesciebatur, utrum esset Judæus, an Paganus respondit: (c) *Si in nomine SS. Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut exponit S. Ambrosius) constat eos non esse denuo baptizandos.* Censet ergo Nicolaus valere Baptismum etiam in nomine Christi collatum.

℟. Nicolaum circa hoc punctum esse deserendum; constat enim Romanos Pontifices, si ex Cathedra non loquantur, errare posse. Ita autem non loquebatur Nicolaus, qui non fuerat interrogatus circa formam, sed tantum circa Ministrum Baptismi, unde circa hoc solum dici potest, quod docuerit Ecclesiam. Quod autem addit circa formam Baptismi ex suo privato sensu addit, & circa hoc dico cum Bellarmino, Vasquez, Cano, Tournely, aliisque, Nicolaum errasse. Ergo &c.

Obj. ex Patribus. S. Ambrosius ait: (d) *Quemadmodum si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum S., fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum S. abneges, plenum est fidei Sacramentum: ita etiam quamvis & Patrem, & Filium, & Spiritum S. dicas, & aut Patris aut Filii aut Spiritus S. minuas potestatem, vacuum est omne mysterium:*

&

(a) *De myst. cap.* 4.
(b) *Lib.* 4. *de fid. cap.* 10.
(c) *Ad consulta Bulgarorum.*
(d) *Lib.* 1. *de Spirit. S. cap.* 3. *n.* 42.

& infra: (a) *Nunc conſideremus utrum, quemadmodum in Chriſti nomine plenum eſſe legimus Baptiſmatis ſacramentum, ita etiam Sancto tantum Spiritu nuncupato nihil deſit ad myſterii plenitudinem. Rationem ſequamur: quia qui unum dixerit, Trinitatem ſignavit. Si Chriſtum dicas, & Deum Patrem, a quo unctus eſt Filius, & ipſum, qui unctus eſt, Filium, & Spiritum, quo unctus eſt, deſignaſti.* Hic S. Doctor aſſerit valere Baptiſmum cum invocatione unius tantum Perſonæ collatum, quia una tantum Perſona invocata, aliæ implicite invocantur. Ergo &c.

Omiſſa reſponſione aſſerentium S. Ambroſium in hoc erraſſe; adeoque eſſe deſerendum, duplicem affero reſponſionem. Prima eſt Juvenin, Natalis Alexandri, & Eſtii contendentium S. Doctorem non loqui de forma Baptiſmi, ſed de operatione SS. Trinitatis hoc ſenſu, quod, cum in Scripturis operatio aliqua tribuitur uni Perſonæ nulla facta mentione aliarum, non tamen aliæ debeant excludi, & hoc quia, cum de una fit ſermo, aliæ ſubintelliguntur. Eruitur hæc reſponſio ex quo S. Doctor initio capitis quærendum proponit; *qua ratione, cum dixerit hic* Apoſtolus *ex Patre omnia, & per Filium omnia, de Spiritu S. tacuerit*, & reſpondet: *Ubi operatio aliqua divina aut Patris, aut Filii, aut Spiritus S. deſignatur, non ſolum ad S. Spiritum, ſed etiam ad Patrem refertur, & ad Filium, nec ſolum ad Patrem, ſed etiam ad Filium refertur ac Spiritum.* Ut autem hoc probet utitur exemplo Baptiſmi, cujus effectus in Scripturis modo tribuitur Spiritui S. (b) modo Chriſto (c) & poſtea concludit: *Unitas ergo operationis, unitas prædicationis, quæ non poteſt ſeparari*. Secunda reſponſio & quidem pro-

---

(a) *Ibid. n.* 44. (b) *1. Cor.* 12.
(c) *Act.* 19.

probabilior est ejusdem Natalis Alexandri, Haberti, Tournely, ac Benedictinorum S. Mauri contendentium S. Ambrosium loqui de fide suscipientium Baptismum; per hos scilicet contendit S. Doctor baptizandum interrogatum de fide, si unam tantum Personam confiteatur, dummodo recte sentiat de aliis recipere fructuose Sacramentum.

Et sane hic S. Doctorem agere de professione fidei non facienda a baptizante per prolationem formæ, sed facienda a suscipiente, probatur ex quo alibi, ut supra dixi, expresse asserit non valere Baptismum collatum sine invocatione SS. Trinitatis; &, si loqueretur de prolatione formæ facienda a Ministro, assereret valere Baptismum collatum in solo nomine Spiritus S.. quod nullus unquam dixit. Præterea ipse asserit quod si una tantum persona nominetur, dummodo recta habeatur fides de aliis, *plenum est Sacramentum* (idest & validum & fructuosum): si vero omnibus nominatis, non habeatur recta fides, *vacuum est*, idest infructuosum. Hæc, si ad suscipientem referantur, subsistunt, non vero si referantur ad Ministrum; tunc enim probarent fructum Sacramenti a fide Ministri pendere. Tandem ipse loquens (a) de Baptismo sub expressione fidei solius Christi collati affert exemplum Eunuchi Reginæ Candacis, qui sic dicitur baptizatus (b). At in tali exemplo hæc expressio manifeste refertur ad suscipientem, de ministrante enim (Philippo) legitur quidem eum baptizasse, sed quænam adhibita sit ab ipso forma, non innuitur, cum e contra relate ad suscipientem innuatur sola expressio fidei in Christum, ut patet ex textu: *Ait Eunuchus, ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: si credis ex toto corde, licet, & respondens ait:* cre-

(a) *Ibidem*. (b) *Act.* 8.

credo Filium Dei esse Jesum Christum, & jussit stare currum . . . . & baptizavit eum: Ergo &c. Cæterum fatentur omnes locum S. Doctoris esse obscurissimum.

Ad complementum hujus assertionis noto me supra pluries dixisse requiri ad validitatem Baptismi expressam invocationem SS. Trinitatis; quamvis enim Maldonatus existimet non improbabile, quod sufficiat invocatio Trinitatis per nomen ipsius Trinitatis collectivum, communius tamen asseritur requiri distinctam & explicitam omnium trium Personarum invocationem; ita enim ferre videntur & sensus Ecclesiæ & auctoritates Patrum de hac invocatione loquentium.

Assertio secunda. *Ne tempore quidem Apostolorum fuit dispensatum, ut Baptisma conferretur cum sola invocatione nominis Christi, adeoque sine expressa SS. Trinitatis invocatione.*

Prob. ex Scripturis. Ibi narratur (a) ita fuisse aliquos discipulos a Paulo interrogatos: *Si Spiritum S. accepistis credentes?* cumque illi respondissent: *Sed neque, si Spiritus S. est, audivimus,* statim Apostolum subdidisse: *In quo ergo baptizati estis?* His innuit Apostolus exprimi debuisse Personam Spiritus S. in collatione Baptismi. Non ergo in solo nomine Christi tunc conferebatur Baptismus, adeoque &c.

Reponunt adversarii verba Pauli non referri ad formam Baptismi, sed ad catechismum, qui solebat Baptismo præmitti, & in quo de Spiritu S. edocebantur baptizandi. At

Contra. Si per illud *baptizari in Spiritu S.* non significatur expressio Spiritus S. in forma baptismali, sed tantum doctrina antecedenter suscepta circa Spiritum S., pariter cum in Scripturis dicitur, quod antiquitus baptizabantur homines *in nomine Christi*, denotabitur tantum eos bapti-

za-

(a) *Act.* 19.

zatos fuiſse præmiſsa doctrina de Christo, quod tamen adverſarii non admittunt, qui e contra, ut probent fuiſse antiquitus collatum Baptisma invocato tantum nomine Christi, maxime utuntur, ut etiam infra videbimus, hoc fundamento, quod ſubinde in Scripturis homines dicantur baptizati *in ſolo nomine Christi*. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis loca, ubi dicuntur homines baptizati in nomine Christi nulla facta mentione aliarum Perſonarum, ut: (a) *Baptizetur unusquisque veſtrum in nomine Jeſu Christi:* & rurſus: (b) *In nomine Jeſu Christi baptizabantur viri & mulieres*, & præcipue illud (c), ubi excludi videntur aliæ Perſonæ per hæc: *Baptizati tantum erant in nomine Domini*.

℟. Per phraſim *baptizari in nomine Christi* non indicari, quod Baptiſmus fuerit datus ſub ſola invocatione nominis Christi; primo enim poteſt intelligi pro *baptizari virtute & merito Christi*, ſicuti, cum ipſe Christus ait: (d) *In nomine meo dæmonia ejicient*, ſignificat *ejicient dæmonia virtute mea*, quo eodem ſenſu ſumitur illud *in nomine* ubi dicitur: (e) *In qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos?* ſecundo intelligi poteſt pro *mundari mediante fide in Christum*, juxta quod Damaſcenus ait: (f) *Baptizari in Christo, quod in ſacris litteris legitur, non idem eſſe ac baptizari invocato ſolo nomine Christi, ſed credentes in eum ablui:* tertio intelligi poteſt pro *baptizari Baptiſmo inſtituto a Christo*, & hoc maxime quadrat illi, ubi qui baptizati tantum erant Baptiſmo Joannis, dicuntur (g) baptizandi *in nomine Jeſu*, ideſt *Baptiſmo a Jeſu inſtituto*. Quod ſi etiam con-

(a) *Act.* 2. (b) *Ibid. cap.* 8.
(c) *Act.* 8. (d) *Marc. ultim.*
(e) *Act.* 4. (f) *Lib.* 4. *de fid. cap.* 10.
(g) *Act.* 19.

concederetur illud *baptizari in nomine Christi* denotare invocationem nominis Christi in forma Baptismi, negandum tamen ibidem exclusas alias Personas; illarum enim quoque invocatio ibi subintelligitur, ut, cum narratur Petrum prædicasse Jesum crucifixum (a), & Philippum evangelizasse Eunucho eundem Jesum (b), subintelligitur, quod prædicaverint etiam alias Personas. Ubi noto non esse improbabile, quod Apostoli nedum baptizarent *in nomine Filii*, sed etiam adderent *Jesu Christi* ut denotarent secundam Trinitatis Personam esse ipsum Jesum Christum, cujus fidem prædicabant. Ultimo loco particula *tantum* non excluduntur aliæ Personæ, sed excluditur Sacramentum Confirmationis; dicitur enim *venisse super baptizatos Spiritum S.*, idest fuisse confirmatos: *Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Christi*. Ergo &c.

Obj. ex Patribus. I. S. Cyprianus docet (c) Apostolos contulisse Baptismum Gentilibus in nomine SS. Trinitatis, Judæis vero in nomine solius Christi; inquit enim: *Alia fuit Judæorum sub Apostolis ratio, alia est Gentilium conditio. Illi, quia jam legis & Moysis antiquissimum Baptisma fuerant adepti, in nomine quoque Christi erant baptizandi. Denique ubi post resurrectionem a Domino Apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris & Filii & Spiritus S. baptizare Gentiles jubentur. Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam, imo & contra Ecclesiam, modo in nomine Jesu Christi ubicumque & quomodocumque Gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate?* Ergo &c.

II. S. Hilarius ait: (d) *Ne postremo Apostoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine*

(a) *Ibid. cap.* 2. (b) *Ibid. cap.* 8.
(c) *Ep.* 75. *ad Jubaian.* (d) *Lib. de Synod.*

ne Patris & Filii & Spiritus S. jussi, tantum in Jesu nomine baptizaverunt. Ergo &c.

III. S. Bernardus (a) ad quæstionem, utrum valeret Baptismus collatus sub hac forma: *Baptizo te in nomine Dei, & sanctæ ac veræ crucis*, respondit affirmative subdens: *Legimus sane in actis Apostolorum non modo in nomine Patris ac Filii & Spiritus S., verum & in nomine Domini Jesu Christi aliquos baptizatos*. Ergo &c.

Ad I. respondent aliqui & quidem non irrationabiliter S. Cyprianum ibi non loqui de forma Baptismi, sed de fide in suscipientibus necessaria ad Baptismi fructum: volunt autem isti S. Doctorem opponere fidem Judæorum fidei Gentilium, non quatenus prioribus esset necessaria fides solius Christi, posterioribus autem fides totius Trinitatis, sed quatenus Judæi præter fidem Trinitatis deberent etiam explicite credere Baptisma, quod suscipiebant, utpote a Christo institutum esse diversæ conditionis ab illis Baptismatibus, quæ in lege Mosaica susceperant, quod non erat necessarium Gentilibus, qui, utpote nullo alio Baptismo antecedenter abluti, non debebant hanc explicitam comparationem instituere inter Baptismum, quem tunc suscipiebant & alia Baptismata. Sed demus S. Doctorem loqui de forma Baptismi, adhuc R. ipsum non contendere, quod Judæis per solam invocationem nominis Christi collatum sit Baptisma, sed quod ab ipsis baptizando deberet explicari Filium, qui cum Patre & Spiritu S. nominabatur, esse Jesum Christum, idque ut Judæis, qui ad differentiam Gentilium se verum Deum Patrem nosse & venerari jactabant, ostenderetur non sufficere fidem in illum, sed etiam esse necessariam fidem in Filium ejus Jesum Christum, quem ipse miserat in mundum, & qui instituerat Baptismum, quem illi percipiebant, propor-

(a) *Ep.* 340, *ad Henr. Archid.*

portionaliter ad supradicta. Mens S. Doctoris apparet ex contextu; antea enim dixerat: *Quod in Evangeliis, & in Apostolorum epistolis Jesu Christi nomen insinuatur ad remissionem peccatorum, non ita est quasi aut sine Patre aut contra Patrem prodesse cuiquam solus Filius possit, sed, ut Judæis, qui jactabant se Patrem habere, ostenderetur, quod nihil eis Pater profuturus esset, nisi in Filium crederent, quem ille misisset*. Et infra, postquam dixerat Judæos in nomine Christi fuisse baptizandos, affert illud dictum Petri, qui ad Judæos loquens ait: (a) *Pænitemini & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi*, & postea subjungit: *Jesu Christi mentionem fecit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur*. Ergo &c.

Ad II. ℟. S. Hilarium potius pro nobis facere, quam contra nos; ibi enim totus est in ostendendo non esse eliminanda a Scripturis ea, quibus potest quis abuti, quod, ut probet, adducit varia exempla, sicque dicit non esse eliminandum illud (b): *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*, quia eo abutebantur Photiniani, aut illud (c) *Habitu inventus ut homo*, quia eo abutebatur Marcion. Postremo dicit abusurum textibus, ubi asseritur Apostolos baptizasse in nomine Christi, illum, qui vellet per tales textus importari, quod Apostoli baptizaverint expresso solo nomine Christi; ita enim interpretando illos textus fiunt Apostoli rei inobedientiæ, ex quo violaverint præceptum Dominicum de baptizando in nomine Trinitatis. Hoc posito patet Hilarium potius pro nobis facere, quam contra nos. Ergo &c.

Ad III. ℟. S. Bernardum (si tamen ipsius est epistola adducta, de quo jure dubitant Auctores) da-

---

(a) *Act*. 2. (b) 1. *Timot*. 2.
(c) *Philipp*. 2.

daturum veniam, si ab ejus sententia recedamus, ut adhæreamus Scripturæ & Traditioni.

Notare hic præstat invalidum fore Baptismum, si pro illo *in nomine* dicatur *in nominibus*; nam cum illud *in nomine* significet *in potestate & virtute*, si adhiberetur in plurali denotaretur distinctio virtutis in Personis, quæ distinctio est hæretica: secus si repeteretur *in nomine* dicendo E. G. *ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus S.;* hæc enim repetitio non indicat distinctionem virtutis in Personis, sicuti, cum nomen *Deus* singulis Personis applicatur dicendo *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus S.*, non denotatur distinctio Deitatis in singulis Personis. Adde quod Ecclesia pluries utitur repetitione illius vocis *in nomine*, ut in benedictione aquæ lustralis, in commendatione animæ &c., & in pluribus antiquis Ritualibus invenitur adhibita hæc repetitio, etiam cum agitur de forma baptismali.

Controvertitur utrum validum sit Baptisma collatum in nomine *Genitoris, Geniti, & ab utroque Procedentis*. Illud putant invalidum plerique, præcipue quia, licet idem sit Pater, Filius & Spiritus S., ac Genitor, Genitus, & ab utroque Procedens, attento tamen imperfecto nostro intelligendi modo hæc vocabula Personas non eodem modo significant, quatenus Genitor, Genitus, & ab utroque Procedens significant tres Personas per modum transeuntis, cum in creatis aliquis non dicatur Genitor vel Genitus &c. nisi pro tempore, quo vel generat, vel generatur &c. Pater vero, Filius, & Spiritus S. denotant tres Personas per modum permanentis, cum in creatis denominatio Patris duret etiam transacto actu generativo, & sic proportionaliter denominatio Filii &c. Sed cum alias Ecclesia adhibeat vocem *Genitoris &c.* loco *Patris* &c, ut patet in hymno corporis Christi, cum non probetur sufficienter diversitatem illam modi significandi, quæ adstruitur inter has voces, esse aliquid in casu Baptismi substantiale; ideo non tam facile negarem Baptisma ut supra collatum validum esse.

CA-

CAPUT TERTIUM.

De Ministro Baptismi fluminis, & de Patrino.

DIvisionem capitis desumo ex titulo. Sit ergo

ARTICULUS PRIMUS.

ASSERTIO. *Quilibet homo rationis compos validus est Minister Baptismi.*

Prob. ex Conciliis. Lateranense IV. ait (a); *Sacramentum Baptismi . . . . . a quocumque rite collatum proficit ad salutem*: & in Florentino Eugenius IV. (b) *In causa necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imo etiam Paganus & hæreticus baptizare potest.* Ergo &c.

Prob. ex Patribus. Tertullianus ait (c): *Baptismus æque Dei census ab omnibus exerceri potest*: & S. Augustinus asserit (d) verum esse Baptismum *ubicumque & a quibuscumque verbis evangelicis consecratum*. Ergo &c.

Obj. ex Patribus. S. Gregorius rogat (e) Romanum Patricium, ut e Ravenna dimittat Blondum Hortensem Episcopum, quia illo absente a sede sua infantes absque Baptismo moriebantur: ita profecto non rogaturus, si quilibet posset valide baptizare. Idem colligitur ex Augustino hortante Pastores (f), ne fugam arriperent in persecutione Wandalica, eo quod magnus tunc fieret in

(a) *Cap.* Firmiter.
(b) *In Decret. Eugen. de union. Armen.*
(c) *De Bapt. cap.* 17.
(d) *Lib.* 7. *de Bapt. cap.* 53.
(e) *Ep.* 33. *al.* 32. *lib.* 1.
(f) *Ep.* 228. *alias* 180.

in Ecclesia concursus aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem. Ad quid enim populi absentibus Pastoribus flagitarent Baptismum, si quilibet alius potest baptizare? Ergo &c.

℟. Querelam S. Gregorii non supponere alios præter Episcopum caruisse facultate baptizandi, sed solum quod hoc absente alii negligebant conferre Baptismum, cui negligentiæ sperabat S. Pontifex occurrendum, si ad propriam sedem reductus fuisset Episcopus. Quod idem proportionaliter valet de Augustino.

Obj. ex ratione. Ad summum concedi potest omnes homines esse validos Baptismi Ministros in necessitate, at non extra illam: quomodo, licet quilibet sacerdos valide absolvat in necessitate, ut in articulo mortis, non tamen valide absolvit extra illam. Ergo &c.

℟. Ideo non omnes sacerdotes extra necessitatem valide absolvere, quia ad valide absolvendum requiritur jurisdictio, quam non habet quilibet sacerdos extra dictam necessitatem. At jurisdictio non requiritur ad valide baptizandum, & aliunde omnia alia requisita ad baptizandum habet quilibet etiam extra casum necessitatis. Ergo &c. Ratio autem disparitatis est (præter liberam Dei voluntatem nobis per sensum Ecclesiæ manifestatam) major necessitas Baptismi, quam Pœnitentiæ.

Ex his infertur posse baptizare etiam fœminas, quidquid contra aliqui senserint.

Non tamen omnes homines possunt semper baptizare licite, nisi in necessitate (servatis tamen quæ infra dicentur); nam extra illam ii solum baptizare licite possunt, qui sunt Baptismi ordinarii Ministri.

Hi autem sunt I. pro tota Ecclesia Summus Pontifex, & pro singulis Diœcesibus proprii Episcopi; hos enim præcipue allocutus est Dominus, dum ait: *Euntes docete omnes Gentes &c.* II. Parochus; nam ad ipsum spectat providere bono spirituali suarum ovium. III. quilibet alius sacerdos ab Episcopo deputatus, ut ostendit moderna praxis

xis

xis Ecclesiæ, quæ subinde determinato alicui sacerdoti etiam non Parocho solet committere munus baptizandi. Ubi etiam noto subinde esse consuetudine introductum, ut nec Parochi ipsi baptizent, nisi habeant in propria Ecclesia fontem baptismalem, sed baptizandi deferantur ad sacerdotem, qui præest baptismali fonti.

At quid dicendum de aliis Presbyteris præter supradictos, de Diaconis., & de aliis inferioribus Clericis?

℟. Hos Presbyteros, licet absque deputatione non possint licite baptizare, potius tamen dicendos Ministros ordinarios, quam extraordinarios, cum possint ad libitum proprii sacerdotis delegari, ut etiam solemniter baptizent. Diaconi vero, licet cum consecrantur, dicantur debere baptizare, cum tamen id non possint nisi ex delegatione vel Episcopi vel Presbyteri, & quidem ex gravi causa juxta illud: (a) *Diacones absque Episcopo vel Presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis fortassis ordinibus longius constitutis extrema necessitas compellat*; ideo ipsi potius extraordinarii, quam ordinarii Ministri Baptismi dicendi sunt. Hoc multo magis valet de aliis inferioribus Clericis, qui ad solemniter baptizandum nonnisi a Summo Pontifice, utpote qui potest dispensare super jus Canonicum, possunt delegari.

In necessitate autem, si absit Minister ordinarius, servari debet per se loquendo aliquis ordo inter personas præsentes, ita ut Diaconus præferatur inferiori Clerico, hic laico, vir fœminæ, baptizatus non baptizato, fidelis infideli, non excommunicatus excommunicato &c.; idque ut digniores semper præferantur minus dignis ad servandam reverentiam debitam Sacramento. Inversio hujus ordinis, si consistat in hoc, quod præsente & con-

(a) *Cap.* Diacones *Dist.* 93.

contradicente proprio sacerdote alius sacerdos baptizet, aut præsente sacerdote baptizet laicus, probabilius est lethale, cum sit contra præceptum Ecclesiæ in re gravi, & contra jus, quod habent prædicti ad baptizandum. In aliis vero casibus communius existimatur tantum leve peccatum, cum nulla ex aliis personis sit proprius & ordinarius Sacramenti Minister, nec gravis videatur Sacramento irrogari irreverentia. Dixi *communius*; aliqui enim putant lethale, si cæteris paribus anteponatur non baptizatus baptizato, catholico hæreticus, excommunicatus non excommunicato, non Diaconus Diacono.

Dixi pariter supra ordinem allatum servandum esse *per se loquendo*; potest enim ex gravi causa inverti, ut si E. G. magis dignus sit imperitus, vel si baptizandus ita sit constitutus, ut nequeat salvari decentia, nisi baptizetur a fœmina &c.

Inquirendum hic superest, an plures simul possint unum baptizare, an plures possint simul baptizari ab uno, & an possit quis baptizare seipsum.

In primo igitur casu distinguendum: vel unus applicat materiam, & alter formam, & sic invalidum est Baptisma, quia forma non verificatur; vel singuli applicant materiam & pronunciant formam, & tunc subdistinguendum; vel enim unus intendit operari ut causa partialis dependenter ab alia causa partiali, & sic invalidum est Baptisma, quia sensus formæ importat Ministrum absolute independenter ab alio operantem; vel quilibet intendit operari independenter ab alio, & tunc quilibet valide baptizat, dummodo unus tamen non absolvat ritum prius altero; nam tunc posteremus non baptizaret. Peccarent tamen citra rationabilem causam sic agentes, utpote operantes contra praxim Ecclesiæ. In secundo casu validus erit Baptismus, si omnes baptizandi abluantur, & proferatur forma in plurali: *Ego vos baptizo &c.* Cur enim illum dicamus invalidum? Illicitum autem erit citra necessitatem sic baptizare, cum sit

con-

contra praxim Eccleſiæ, ſed data neceſſitate erit licitum. In tertio invalidus erit Baptiſmus, ut docet Innocentius III. inquiens (a) inter baptizantem & baptizatum debere eſſe diſtinctionem, ſicuti eſt inter corporaliter generantem & genitum: unde ſicuti nequit homo corporaliter generare ſeipſum, ita nequit ſe regenerare per Baptiſmum.

ARTICULUS SECUNDUS.

In Baptiſmo ſolemni adhibendum eſſe ſub lethali Patrinum docent ex Apoſtolica traditione omnes Theologi. Debet hic deſignari a Parentibus, & in illorum defectu a Parocho, ut docet Tridentinum. Ut quis autem valide ſubeat munus Patrini, & inde contrahat ſpiritualem cognationem, (de qua ubi de Matrimonio) requiritur primo, ut ſit mentis compos, (alias ſe haberet ut inanime inſtrumentum,) quamqumque ætatem poſtea, etſi puerilem habeat: ſecundo ut ſit baptizatus. Ut vero licite tale munus quis ſubeat, requiritur ut non ſit hæreticus, aut publice excommunicatus, aut criminibus infamis, & ut noverit rudimenta fidei. Excluduntur ab officio Patrini omnes Regulares (niſi contrarium ferat conſuetudo) & parentes baptizati (b). Unus tantum aut una ex Tridentino (c), aut ad ſummum unus & una poſſunt eſſe Patrini, conſequenter nunquam duo ejuſdem ſexus. Si autem unicus eſt Patrinus, convenentius eſt, licet non neceſſarium, ut maſculus maſculum, fœmina vero ſuſcipiat fœminam. Vetat quidem Urbanus II., ne duo conjuges eundem ſuſcipiant, ſed conſuetudo contraria invaluit. Si plures, quam duo exerceant munus Patrini, peccant quidem, ſed probabiliter omnes

 con-

(a) *Cap.* Debitum *lib.* 3. *Decretal. tit.* 42.
(b) *Ex Rituali Rom.*
(c) *Seſſ.* 24. *Cap.* 2. *de Reform.*

contrahunt cognationem spiritualem. In Baptismo autem insolemni Patrini probabiliter juxta Tamburinum & Sanchez non contrahunt cognationem. Porro cum quis per procuratorem aliquem suscipit, ille quidem, non Procurator cognationem contrahit.

Officium Patrini est eos, quos suscipiunt, habere ut spirituales filios, adeoque eos spiritualiter diligere, Deum pro ipsis rogare, invigilare, ut a parentibus christiane educentur, & in defectu illorum illos educare.

CAPUT QUARTUM.

De Subjecto Baptismi fluminis.

QUæstio circa subjectum hujus Baptismi potest institui vel circa infantes, vel circa adultos: rursus quæstio potest institui circa infantes jam in lucem editos, & circa infantes adhuc in uteris matrum degentes. Examinabo ergo hic 1. quæ spectant ad infantes jam in lucem editos: 2. quæ spectant ad infantes adhuc in uteris matrum degentes: 3. quæ spectant ad adultos & ad monstra.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto quosdam hæreticos, ut sunt Valdenses, Petrobruisiani, Cathari, & Anabaptistæ, illicitum & invalidum asserere Baptismum infantibus collatum. Contra hos sit.

Assertio. *Omnes infantes jam in lucem editi sunt capaces Baptismi*. Est de Fide.

Argumenta, quæ ad assertionem probandam ex Scripturis deducuntur, licet fortasse non sint invicta, spernenda tamen non sunt. Solet ergo adduci primo illud (a), ubi Christus indefinite & ge-

(a) *Matt.* 28.

generaliter Apoſtolis juſſit, ut baptizarent omnes gentes: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes &c.* Atqui ſub nomine *omnium gentium* veniunt etiam infantes in lucem editi. Ergo &c. Secundo illud (a), ubi adſtruitur neceſſitas Baptiſmi: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S., non poteſt introire in regnum Dei;* ſi enim ſine Baptiſmo nullus poteſt introire in regnum Dei, parvuli jam nati, qui ſunt capaces ingrediendi hoc regnum, ſunt etiam capaces Baptiſmi. Id etiam ſolet confirmari ex iis, quibus innuitur baptizatos fuiſſe infantes ab Apoſtolis, ut cum fuit baptizata tota familia Lydiæ Purpurariæ (b), & tota domus cuſtodis carceris, & tota Stephanæ domus (c): in domo autem & familia ſubinde ſunt infantes. Ergo &c. Præterea infantes jam nati antiquitus erant capaces circumciſionis, quæ erat figura Baptiſmi. Ergo nunc etiam ipſius Baptiſmi. Sed quidquid ſit de iis probationibus.

Prob. Invicte aſſertio ex traditione, cujus eſt teſtis tum Origenes, qui ait: (d) *Eccleſia traditionem accepit ab Apoſtolis etiam parvulis dare Baptiſmum*, tum S. Auguſtinus, qui probat contra Pelagianos egere parvulos beneficio mediatoris, ex quo ferat conſuetudo Eccleſiæ, ut baptizentur; inquit enim: (e) *Porro quia parvulos baptizandos eſſe concedunt, qui contra auctoritatem univerſæ Eccleſiæ procul dubio per Dominum & Apoſtolos traditam venire non poſſunt, concedant oportet eos egere beneficio mediatoris*. Ergo &c.

Prob. ex Concilis. Carthaginenſe, cui præfuit S. Cyprianus, & interfuere 66. Epiſcopi, interrogatum a Fido, utrum infantes ante octavum diem eſſent baptizandi, reſpondit: (f) *Univerſi judicavimus*

(a) *Jo.* 3. (b) *Act.* 16. (c) 1. *Cor.* 16.
(d) *In Cap.* 6. *ep. ad Rom. lib.* 5.
(e) *Lib.* 1. *de pec. merit. cap.* 26.
(f) *Ep.* 59. *Cyprian.*

mus nulli hominum nato misericordiam Dei & gratiam esse denegandam: & infra: *Si a Baptismo atque gratia nemo etiam vetus peccator prohibetur, quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit nisi in Adamo?* Milevitanum II. ait: (a) *Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat . . . anathema sit.* Viennense *Credimus*, inquit (b), *Baptisma esse tam adultis, quam parvulis perfectum remedium ad salutem.* Et Tridentinum: (c). *Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habeant, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut præstare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit.* Ergo &c.

Prob. ex Patribus. S. Iræneus *Dominus*, inquit (d); *venit omnes per semetipsum salvare, omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum infantes & parvulos, & pueros & juvenes, & seniores.* S. Ambrosius *Nec senex*, inquit (e), *proselytus, nec infans vernaculus excipitur, quia omnis ætas peccato obnoxia, & ideo omnis ætas Sacramento idonea.* Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. I. qui non est capax dispositionis ad Baptismum necessario requisitæ, nec est capax ipsius Baptismi. Tales sunt infantes; nam hi non sunt capaces instructionis in Christiana doctrina & fidei, quæ tamen ad Baptismum requiruntur juxta illud: (f) *Euntes docete &c.* & aliud: (g) *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Ergo &c.

℟. in-

(a) *Can.* 2. (b) *De Summa Trinit.*
(c) *Sess.* 7. *Can.* 3.
(d) *Lib.* 2. *contr. heres. cap.* 22. *al.* 38.
(e) *Lib.* 2. *de Abrah. cap.* 11. *n.* 8.
(f) *Matt.* 28. (g) *Marc. ult.*

℟. instructionem & fidem requiri in adultis, non in parvulis, ita intelligente Ecclesia, ut constat ex probationibus, præceptum Christi: vel etiam dici potest infantes credere & instrui posse per alios juxsa Augustinum dicentem: (a) *Accomodat illius mater Ecclesia aliorum pedes ut veniant, aliorum cor, ut credant, aliorum linguam, ut fateantur, ut quoniam quod ægri sunt, alio peccante prægravantur, sic, cum hi sani sunt, alio pro eis confitente salventur;*

Obj. ex praxi Ecclesiæ. Hæc antiquitus consuevit Baptismum solis adultis conferre. Hujus praxis plura possunt afferri exempla. S. Gregorius Nazianzenus, etsi filius piissimi Christiani, solum baptizatus est, cum exisset ex ephebis, S. Basilius Magnus, & S. Joannes Chrysostomus solum expletis 21. annis baptizati sunt: imo Hieronymus, Ambrosius & Augustinus solum expletis 30. Hanc praxim roborarunt Tertullianus & Nazianzenus reprehendentes usum baptizandi pueros. Ergo &c.

℟. concedendo aliquando fuisse dilatum Baptisma usque ad ætatem adultam, sed communius fuisse collatum infantibus. Ab exemplis autem adductis nihil pro adversariis: primo quia nulli ex enumeratis fuit dilatum Baptisma eo quod in infantiâ non essent illius capaces, sed ob alias causas, puta quod aliquibus videbatur expedire, ut non baptizarentur homines, nisi cum ad ætatem pervenissent, in qua intelligere, & veluti gustare possent fructum Baptismi: quod aliqui nollent exponere Baptismum periculo irreverentiæ habendæ, si baptizati facti adulti in vitia prolaberentur, vel fidem desererent in Baptismo susceptam. Quibus tamen non obstantibus tum ob maximum bonum, quod infantibus per Baptismum tribuitur, tum ob maximum periculum, quod

(a) *Serm. 176. de verb. Apost.*

quod ex dilatione Baptismi illis resultat, satius semper Ecclesia putavit parvulis coferre, quam differre Baptismum. Hinc Patribus, qui pro dilatione Baptismi adducuntur, hunc Ecclesiæ sensum opponimus, & antiquam traditionem, de qua in probationibus. Ubi etiam addo quod, licet aliquando in Ecclesia dilatum sit Baptisma infantibus, semper tamen est illis collatum in articulo vel periculo mortis, quod sane indicat ipsos Baptismi esse capaces. Ergo &c.

Ex dictis etiam patet expedire per se loquendo, ut infantes jam nati baptizentur, quod etiam moderna universali praxi sua comprobat Ecclesia. Nec opponatur aut exemplum Christi, qui solum adultus venit ad Baptismum, aut quod iniquum videatur gravare aliquem maxima obligatione absque propria illius voluntate, ut gravatur infans illum baptizando, qui idcirco obligatur ad observantiam legis christianæ; nam contra est, quod exemplum Christi non est ad rem, cum ipse purgatione non indigeret, ut indigent parvuli. Obligatio vero, qua infans per Baptismum gravatur, ex una parte est illi favorabilis, cum maxima ex illa sequantur commoda: ex alia, licet notabile ex illa sequeretur incommodum, tot sunt alia commoda, quæ resultant ex Baptismo suscepto, & tam magnum est incommodum, quod ex illo non suscepto resultat, ut utiliter geratur negotium infantis, si per collationem Baptismi talis ipsi obligatio imponatur.

Dictum est supra expedire *per se loquendo*, ut baptizentur infantes in lucem editi; quamvis enim his semper utilis sit Baptismus, quandoque tamen aliis ex causis non licet eos baptizare. Ut autem appareat quando id liceat, quando non, ita distingendum.

Vel pueri orti sunt ex parentibus ambobus baptizatis, vel ex uno baptizato, & alio non baptizato, vel ex parentibus ambobus non baptizatis. Si primum, debent absolute baptizari; Ecclesia enim utpote habens jus in parentes, illis præcipit, ut curent Baptismum propriis parvulis. Si se-

secundum, debent pariter baptizari, quando spes affulgeat educationis christianæ, & ita in favorem fidei decernitur in Jure (a). Quod idem dicendum, si ambo quidem parentes sint infideles, sed vel ambo vel saltem alteruter contentus sit parvulum baptizari: & etiam si defuncto patre supervivat avus paternus, & hic vel sit baptizatus, vel saltem contentus sit parvulum baptizari.

Si vero ambo parentes sint infideles non baptizati, & non consentiant baptizari parvulum, vel isti sub nullius potestate sunt, ut contingeret, si ipsi essent Principes supremi, vel sunt alicui subjecti. Si primum, non licet eorum parvulos baptizare; nam Deus non vult invitos trahi ad religionem christianam, sed volentes. Sicuti ergo requiritur libera adultorum voluntas, ut ipsi suscipiant Baptismum, sic proportionaliter requiritur in pueris rationis incapacibus libera voluntas illorum, sub quorum potestate sunt, adeoque in casu parentum, quæ hic supponitur deesse. Rursus si possent in casu baptizari parvuli, id maxime proveniret ex auctoritate Ecclesiæ. Hoc non: nam Ecclesia nullam auctoritatem habet aut supra pueros, aut supra parentes, quorum nullus est, aut unquam fuit ipsi subditus. Ergo &c. Tandem si isti pavuli baptizarentur, vel postea sub parentum potestate relinquerentur, & en periculum perversionis: vel non relinquerentur (ut de facto Ecclesia pro jure, quod mediante Baptismo in illos acquirit, debet non relinquere, ita præcipiente Toletano IV. (b)), & sic inferretur injuria parentibus, atque odiosa redderetur religio christiana. Ergo &c. Sed

Dices. I. falsum est requiri liberam voluntatem vel propriam vel aliorum ad licite susci-

 pien-

(a) *Cap.* Ex litteris *de conversion. Infidelium.*
(b) *Can.* 59.

piendum Baptisma; nam etiam invitos posse ad illud compelli docet Christus per ea verba: (a) *Compelle intrare, ut impleatur domus mea*. Quod confirmatur exemplo Machabæorum, qui parentibus invitis circumciderunt pueros inventos incircumcisos in Israel; eadem enim est ratio Baptismi & circumcisionis, Ergo &c.

II. Præceptum Dei debet præponderare voluntati parentum. Cum ergo Deus præcipiat Baptismum, hic poterit parvulis conferri etiam invitis parentibus. Et sane si ex jure gentium efficitur, (quomodo infra dicetur) ut possint licite baptizari filii Infidelium invitis parentibus, a fortiori id fiet ex jure divino.

III. Parentes rêpugnantes Baptismo suorum parvulorum abutuntur patria potestate. Possunt ergo in pœnam illa privari, sicque possunt etiam contra illorum voluntatem eorumdem parvuli baptizari. Adde quod, si parentes vellent filios corporaliter occidere, possent licite impediri. Ergo etiam possunt impediri, si velint per subtractionem Baptismi illorum mortem spiritualem, sicque ipsi parvuli possunt baptizari. Ergo &c.

Ad I. ℟. Eatenus dictum esse compellendos homines ad ingrediendam Ecclesiam, quatenus omni studio curandum est, ut ex nolentibus fiant volentes, non quatenus etiam nolentes debeant admitti. Cum igitur volentes non sunt voluntate vel propria, vel illorum, quibus proxime subditi sunt, ad Baptismum non sunt admittendi. Exemplum Machabæorum nihil facit; qui enim per vim ab illis fuerunt circumcisi, erant Judæi, qui erant ipsis spiritualiter subditi, unde se habebant ad Machabæos, ut hæretici ad potestatem Ecclesiasticam.

Ad II. ℟. Adesse quidem præceptum Dei directum ad singulos, ut suscipiant Baptismum, quo fit, ut filii infidelium adulti possint & debeant suscipere Baptismum etiam invitis parentibus: non au-

(a) *Luc.* 14.

autem adesse præceptum Dei, ut pueris conferatur Baptisma invitis parentibus Ecclesiæ non subditis, cum Deus velit servari naturæ jura, quæ non servantur in casu, ut supra ostendi: unde sicuti præceptum Dei de Baptismo suscipiendo obligat quidem adultum, ut illum suscipiat, non autem obligat ad baptizandum adultum renuentem, ita proportionaliter in casu. Ad confirmationem ℟. disparitatem esse inter jus gentium, & jus divinum, quod illud auferat patriam potestatem, istud non auferat. Ergo &c.

Ad III. ℟. Parentes impedientes proprios parvulos a Baptismo abuti quidem patria potestate, sed tantum circa supernaturalia, (non enim est contra jus naturale arcere aliquem a Baptismo) in quibus nulli auctoritati humanæ in hypothesi subjiciuntur, unde non possunt ab hac idcirco puniri. Ex his patet responsio ad id, quod subditur; ideo enim possent impediri parentes volentes occidere parvulos, quia hoc est contra jus naturale, & quisque habet jus, imo debitum has injurias propulsandi, quantum potest, ab innocentibus. At si parentes arceant parvulos a Baptismo, faciunt contra jus tantum supernaturale, injurias autem hujus generis non habet quilibet jus ab aliis propulsandi ex probatis. Adde primam injuriam esse irreparabilem, cum solus Deus possit restituere vitam mortuo corporaliter, secundam autem esse reparabilem, cum possit infans postquam ad ætatem adultam devenerit, sibi per Baptismum consulere. Ergo &c.

Si vero parentes infideles non baptizati repugnantes Baptismo parvulorum suorum sint alicui subditi, vel tales solum sunt civiliter & politice, scilicet tantum vassalli & tributarii illius, vel sunt etiam servi proprie tales & mancipia: rursumque vel dominus est baptizatus, vel non. Si parentes hujusmodi sint mancipia alicujus baptizati, possunt illorum parvuli, imo debent baptizari. Ratio est, quia magis tunc pueri sunt sub potestate domini, quam parentum, cum hic possit pueros a parentibus auferre, & de illis contra istorum voluntatem

disponere. Ut ergo potestas parentum in filios (stante elevatione hominis ad finem supernaturalem) se extendit ad procurandum filiis Baptismum, ita potestas dominorum. Nedum autem id possunt, sed etiam ad id tenentur hi domini ad id eos obligante Ecclesia, cui subditi sunt. Hoc idem dicendum, etsi proles nata sit ante parentum servitutem, nec ipsa aliunde servituti subjecta sit; nam tunc licet domini parentum id non possint directe ex vi potestatis dominativæ in pueros, quæ supponitur deesse, possunt tamen indirecte ex vi patriæ potestatis, quæ ob servitutem parentum veluti ad illos devolvitur. Nec dicas potestate dominativa, quæ solum est de jure gentium, aboleri non posse potestatem patriam, quæ est de jure naturæ; nam hæc est quidem de jure naturæ hoc sensu, quod detur parentibus a natura, non quod natura prohibeat ab illis hanc potestatem auferri: quomodo, licet libertas sit de jure naturæ, utpote a natura concessa, potest tamen natura permittente auferri. Secus dicendum, si pater sit servus, mater vero infidelis libera, & hæc repugnet Baptismo infantis, cum de jure communi proles tunc sit libera; proles enim, ut dici solet, sequitur uterum, ac proinde si mater erat libera tempore conceptionis vel partus, vel tempore medio, proles libera est (a): aliunde autem mater habet jus retinendi apud se proprium filium. Non potest ergo hic tunc baptizari, cum post Baptismum ab ipsa matre esset auferendus.

Si hujusmodi parentes sint mancipia alicujus non baptizati, non licet eorum parvulos baptizare nisi in casu, quo dominus contentus esset; si enim hic contentus non sit, deest voluntas tum parentum, tum domini, ut supponitur, adeoque illud deest, quod ex dictis requiritur, ut licite parvuli possint baptizari. Quod si dominus consentiat, possunt parvuli baptizari non obstante repugnantia pa-

ren-

(a) *Inst. de ingenuis* §. Sed si quis.

rentum, quia ex dictis voluntas domini in caſu præponderat parentum voluntati.

Si parentes infideles ſint tantum tributarii & vaſſalli alicujus Principis Chriſtiani, & ipſi renuant baptizari pueros ſuos, probabilius, ut docet S. Thomas contra Scotum, non licet illos pueros baptizare. Rationes eædem proportionaliter ſunt, quæ ſupra ſunt adductæ ad probandum non licere baptizare filios parentum non baptizatorum, qui ſub nullius poteſtate ſunt, & repugnant filiorum Baptiſmo, ſi quæ enim eſſet inter utrumque caſum diſparitas, eſſet quia in iſto caſu parentes infideles ſunt ſub poteſtate Principis Chriſtiani, ſecus in illo. At hæc diſparitas non obſtat; nam auctoritas Principis Chriſtiani reſpectu ſubditorum, qui ſunt tantum vaſſalli & tributarii, non ſe extendit niſi ad gubernium temporale: aliunde autem auctoritas, quam habet Eccleſia ſupra Principem illum, nihil facit, cum hæc non velit, ut baptizentur qui nec per ſe, nec per illos, quibus immediate ſubditi ſunt, ut ſunt in caſu parentes, non conſentiunt. Ergo &c. Sed

Dices I. Poteſt Princeps Chriſtianus impedire ſacrificia Paganorum. Ergo etiam poteſt impedire, ne parentes peccent reluctando Baptiſmo parvulorum ſuorum, adeoque imperare, ut parvuli baptizentur.

II. Plura ſunt exempla Principum, qui filios infidelium ſubditorum reluctantium voluerunt baptizari, ut Siſebuthi Regis Hiſpaniarum, qui juſſit baptizari filios Judæorum, ob quod laudatur a Toletano IV., & Caroli Magni, qui filios Saxonum & Hunnorum ad Baptiſmum compulit, ob quod laudatus eſt ab Adriano I. Summo Pontifice. Ergo &c.

Ad I. ℟. Aſſignando diſparitatem; Idololatria enim eſt jure naturæ prohibita, & ſacrificia Paganorum ſunt actus Idololatriæ, unde nil mirum, ſi Princeps facultatem habeat ea impediendi. Secus ex dictis in caſu: Ergo &c.

Ad II. Aliqui reſpondent memoratos Reges jure compuliſſe ad Baptiſmum ſolum filios eorum

qui post Baptismum a fide defecerant, in quos proin-de Ecclesia jus habebat. Sed quoniam etiam hoc posito non ad ipsos spectabat talis compulsio, sed ad Ecclesiasticam potestatem, vi cujus ipsos operatos fuisse non constat, ideo ℟. cum communiori illos ita agendo errasse, quamvis laudabilis fuerit illorum zelus pro Catholica religione, qui zelus, & non factum illorum laudem obtinuit: cum e contra talis compulsio prohibeatur a Toletano IV.

Aliquæ tamen sunt exceptiones a dictis usque adhuc; primo enim baptizandi sunt infantes, quicumque ii sint, si morti sint proximi; tunc enim omnibus aliis præponderat periculum proximum æternæ damnationis illorum. Secundo si infantes e parentum contubernio ita sint separati, ut cessaverit usus patriæ potestatis, ut si E. G. sublati sint a Turcarum piratis, ac in longinqua asportati, ac veluti parentibus perierint; tunc enim jus parentum videtur, ut sic dicam, ita debilitatum, ut illorum repugnantiæ, cæteris paribus, præponderare debeat bonum prolis. Tertio si parentes infantium antea repugnantes & subditi Principi Christiano non amplius vivant; nam tunc loco voluntatis parentum venit voluntas Principis, quæ quidem præponderat voluntati tutorum a parentibus destinatorum etiam in hypothesi, quod hi tutores repugnarent Baptismo parvulorum; nam parvuli non dependent a voluntate tutorum de jure naturali, ut dependent a voluntate parentum, sed dependent ex arbitrio Principis, qui tutorum auctoritatem vel constituit, vel ratihabuit, unde non possunt pueri a tutoribus dependere, plusquam velit Princeps, adeoque data voluntate tutoris contraria voluntati Principis, hæc debet præponderare. Potest ergo Princeps tales infantes baptizare.

ARTICULUS SECUNDUS.

Videndum modo, utrum sint capaces Baptismi infantes adhuc in uteris matrum contenti.

Circa hoc duplex est sententia. Prima est omnium fere antiquorum, & ex recentioribus Ju-

ve-

venin, Natalis Alexandri, Tournely & aliorum docentium non poſſe baptizari infantem, niſi ſaltem aliqua corporis parte ab utero egreſſum. Secunda eſt aliorum, ut Henno, Piette, & noviſſime P. Gualdi Clerici Regularis docentium poſſe puerum, licet nulla ſui parte ab utero egreſſum, baptizari, ſi vel per diſciſſionem uteri, vel per aliquod inſtrumentum poſſit ad illum pervenire aqua.

Probabilior videtur ſententia iſtorum; cum enim poteſt pertingere aqua ad corpus infantis, quid amplius deſideratur, ut poſſit ſuper illum proferri forma, & baptizari?

Reſpondent adverſarii hoc deſiderari, ne ſit natus, non enim, inquiunt, poteſt per Baptiſmum renaſci qui nondum eſt natus corporaliter dicente Chriſto nos per Baptiſmum renaſci, quod ſupponit nos natos eſſe: & Auguſtinus ait: (a) *Nec renaſci quiſquam poteſt, antequam natus ſit*. Addunt auctoritatem Juris Canonici ita ſtatuentis: (b) *Qui in maternis uteris ſunt, ideo cum matre baptizari non poſſunt, quia qui natus adhuc ſecundum Adam non eſt, renaſci ſecundum Chriſtum non poteſt*: & Ritualis Romani prohibentis, ne baptizentur infantes adhuc in uteris degentes. Sed

Contra. Prærequiritur quidem nativitas ad Baptiſmum. At duplex nativitas eſt diſtinguenda, una quæ fit ex utero, de qua dicitur: (c) *Natus eſt vobis hodie Salvator*, altera quæ fit in utero, de qua dicitur: (d) *Quod in ea natum eſt, de Spiritu S. eſt*. Poſteriorem nativitatem ſufficere ad Baptiſmum probatur ex quo, ſi prior requireretur, quæ eſt nativitas proprie talis, qui e mortuæ matris diſſecto latere eductus eſt, & qui.

(a) *Ep.* 187. *ad Dardan. ol.* 57. *cap.* 4.
(b) *De Conſecr. diſt.* 4. *Cap.* Qui in maternis
(c) *Luc.* 2. (d) *Matt.* 1.

qui proinde rigorose natus non est, ut fuit inter alios S. Raymundus dictus idcirco *Nonnatus*, incapax esset Baptismi, & pariter qui aliqua tantum sui parte ab utero egressus est E. G. manu vel pede, non posset baptizari, cum non possit proprie dici natus, quod nemo admiserit. Sufficit ergo nativitas etiam minus proprie talis, qualis est nativitas in utero. Juxta hæc explicari possunt objecta, quæ nativitatem prærequirunt Baptismo, nativitatem scilicet prærequirunt saltem in utero. Ubi vero decernitur, ne baptizentur infantes in uteris matrum degentes, id decernitur ex suppositione, quod ita uterus sit clausus, ut non possit áqua pertingere ad corpus infantis.

Noto hic peculiarem esse circa pueros in uteris matrum degentes sententiam Cajetani volentis ipsis, cum periclitantur de vita, impendendam esse benedictionem in nomine SS. Trinitatis, & relinquendum negotium divinæ misericordiæ cum spe, ut Deus acceptet vota parentum, & justificet infantem. Hæc sententia ab omnibus rejicitur, & quamvis noluerint Tridentini Patres illam damnare, ut testatur Pallavicinus, jussu tamen S. Pii V. expuncta est ex operibus Cajetani, & merito; nam contradicit illi dominicæ sententiæ: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. &c.*

ARTICULUS TERTIUS.

Ad adultos deveniendo eos dividere præstat in ratione utentes, & in rationis expertes sive amentes. De prioribus dico primo illos omnes & singulos, dummodo non sint baptizati, esse aptos Baptismo, unde accedente in illis intentione omnes possunt valide baptizari: secundo ad fructum Baptismi recipiendum aliquas in illis requiri dispositiones, ut sunt fides, spes, & charitas aliqua saltem imperfecta cum proposito servandi omnia Dei mandata saltem in re gravi. Dixi *charitas aliqua saltem imperfecta*; nam perfectam non requiri, patet ex quo alias Baptismus numquam illis

lis conferret primam gratiam, quam supponeret collatam vi charitatis perfectæ: qua eadem ratione nec requiritur dolor de peccatis nisi imperfectus, de peccatis, inquam, actualibus; nam de originali nullus requiritur dolor, cum hoc propria hominis voluntate patratum non sit. Dolor autem, qui requiritur, debet concipi ex motivo supernaturali, secus non esset dispositio sufficiens ad gratiam obtinendam.

Quod spectat ad amentes, si isti tales fuerint a nativitate, considerandi sunt ut parvuli, & de iis loquendum ut supra de parvulis. Si vero non semper fuerint amentes, tunc, si Baptismum cognoverunt, nec tamen petierunt, non sunt baptizandi: nam nulla potest in ipsis intentio supponi: quod si vel petierunt, vel nunquam cognoverunt, in mortis articulo baptizandi sunt, dummodo prudenter credatur in eis nullum esse actuale mortale non retractatum. Quod si non immineat mors, expectandum erit quoadusque adsit spes, ut usum rationis recuperent.

Aliquid etiam de monstris. Si ergo adsit monstrum vitæ rationalis indicia sufficientia præbens, absolute est baptizandum: si indicia sint dubia, baptizandum sub conditione. Si monstrum habeat aliquam partem belluinam, caput vero humanum, est baptizandum absolute: si duo capita humana, & unum tantum corpus, tunc (nisi videatur habere diversos motus indicantes non unum esse hominem, sed duos simul conjunctos, quo casu duplici Baptismo absoluto abluendum est) debet baptizari in uno capite absolute, in altero conditionate. Si vero duplex corpus habeat, & unicum caput humanum, unico Baptismo est abluendum; est enim tunc certo unicus homo. Ex his eruatur quid sit dicendum in aliis casibus circa monstra.

Ad complementum dicendorum circa Baptismum adultorum non abs re erit breviter hic exponere quinam fuerint ritus primitivæ Ecclesiæ in iis admittendis ad Baptismum.

Qui-

Quicumque ergo optabat Baptismum, & ad illum disponebatur, *Cathecumenus* dicebatur. Cathecumenorum tres erant classes: prima quæ dicebatur *Audientium*, & erat illorum, qui optabant quidem Baptismum, & ob id aderant cœtibus & concionibus Christianorum, sed nondum nomen dederant albo Cathecumenorum, & hi tempore sacrificii ab Ecclesia abjiciebantur. Ad classem *Audientium* hi non admittebantur nisi facto illis ab Episcopo signo crucis in fronte, vel etiam in pectore, in oculis, in ore, in scapulis, & in auribus, & impositis super illos manibus, nec non adhibitis insufflationibus & exorcismis. Secunda classis erat *Competentium*, illorum scilicet, qui expleto Audientiæ tempore longiore vel breviore, prout Episcopo videbatur, dabant nomen albo initiandorum Baptismo illum suppliciter petentes, unde nomen *Competentium* sortiti sunt. Tempore, quo erant Competentes, ad Baptismum orationibus, pœnitentiis, & aliis pietatis operibus disponebantur, Ecclesia interim illorum mores observante, atque plura instituente scrutinia circa illorum admissionem ad Baptismum, quorum septem commemorat Ordo Romanus instituenda tertia hebdomada Quadragesimæ usque ad Sabbatum Sanctum, quo tempore, si quis Competens in flagitia prolapsus fuisset, ad Audientium classem remittebatur. Qui in scrutiniis antedictis, & præcipue in scrutinio celebriore, quod habebatur feria quarta majoris hebdomadæ, digni fuissent inventi, ad tertiam classem evehebantur, & dicebantur *Electi*, tuncque illis tradebatur Symbolum memoria addiscendum, & recitandum ante susceptionem Baptismi.

Cum tempus advenisset Baptismatis, quod communius esse solebat Sabbatum Sanctum, & Sabbatum Pentecostes, Cathecumeni baptizabantur. Ritus Baptismatis iidem fere erant, ac qui nunc adhibentur, & quos hoc loco non recenseo, cum ex Rituali, & ex observatione facile possint cognosci. In Baptismate veste candida induebantur, quam per dies octo gestabant, & dabatur illis gustan-

standum lac & mel (quæ tamen cæremonia jam in desuetudinem abiit), sicque finis baptismali cæremoniæ imponebatur. Hæc observabantur circa Baptismum solemnem; nam in necessitate dabatur Baptismus etiam absque jam dictis cæremoniis, sicuti etiam nunc datur, ita tamen ut postea, si adsit commoditas, debeant in Ecclesia suppleri cæremoniæ omissæ.

CAPUT QUINTUM.

De effectibus Baptismi fluminis, ejusque necessitate.

DUplici articulo juxta titulum caput expediam. Sit ergo.

ARTICULUS PRIMUS.

Primus effectus Baptismi est gratia & quidem prima; Baptismus enim est sacramentum mortuorum: secundus est character, tertius gratia sacramentalis, quæ quidem omnia sufficienter constant ex dictis de Sacramentis in genere, ubi de illorum effectibus.

Præter hos effectus aliis quoque Sacramentis communes, sunt Baptismo effectus peculiares, & sunt primo remissio totius culpæ, quam in anima reperit, ut definitum est tum in Florentino his verbis: (a) *Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis*, tum in Tridentino dicente; (b) *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet. . . anathema sit.*

(a) *In Decret. Eugen. pro union. Armen.*
(b) *Sess.* 5. *Can.* 5.

sit. Quibus præluserat Constantinopolitanum I. inquiens: (a) *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum*, & fundatur hoc in Scripturis: ibi enim dicitur: (b) *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*: & alibi: (c) *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus S.*, ubi indicatur per Baptismum hominem renovari, ita ut non sit amplius qualis prius erat, quod importat, ut tollantur omnia peccata priora, unde Nazianzenus ait: (d) *Hac est Baptismi gratia . . . uniuscujusque hominis peccatum purgans, easque obstructiones, vel maculas, quæ vitio contrahuntur, prorsus abstergens*: & Hieronymus: (e) *Omnia nobis in Baptismate condonata sunt crimina*: & Augustinus de Baptismo ait: (f) *Activa quoque peccata, quæcumque corde, ore, opere commissa invenerit, tollit . . . in eo solvitur omnis reatus*.

Alter effectus proprius Baptismi est remissio totius pœnæ. Hoc pariter definitur in Florentino, ubi post verba supra recitata immediate subditur: *Omnis quoque pœna, quæ pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio, sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cælorum & Dei visionem perveniunt*: & Tridentinum (g) *Nihil est*, inquit, *damnationis in iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptismum . . . ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur*. Favent quoque Patres; nam Clemens Alexandrinus ait: (h) *Multis modis vocatur hoc opus* (Baptismus) *gratia, illuminatio . . . gratia, qua remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur*: & S. Augustinus: (i) *Si continuo* post

(a) *In Symbol.* (b) *Ezech.* 36. (c) *Tit.* 3.
(d) *Orat. in S. Baptisma.*
(e) *Ep.* 69. *ad Danuat.* 83. *n.* 4.
(f) *Enchirid.* 64. (g) *Sess.* 5. *Can.* 5.
(h) *Lib.* 1. *Pedag. cap.* 6.
(i) *Lib.* 2. *de pec. mor. Cap.* 28.

post Baptismum *sequatur ex hac vita emigratio, non erit omnino, quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus, quae tenebant.*

Rationem, ob quam producuntur a Baptismo isti duo effectus, & non saltem regulariter ab aliis Sacramentis, insinuat Catechismus Romanus, quia scilicet, cum Baptismus sit Sacramentum regenerationis, & imitatio mortis ac resurrectionis dominicæ, baptizato applicatur per Baptismum virtus passionis Christi plenius, quam per quodcumque aliud Sacramentum.

Præterea per Baptismum homo fit subditus Ecclesiæ, fit capax omnium Sacramentorum, aufertur ab illo irregularitas, non quatenus supponatur veram irregularitatem præextitisse Baptismo, & per illum tolli; nam ante nulla potuit esse vera irregularitas (cum hæc sit ex Jure positivo, quod ad solos baptizatos dirigitur), sed quatenus baptizatus non afficitur irregularitate ob delictum commissum, aut ob defectum existentem ante Baptismum, nisi vel aliter decretum sit in jure, ut decretum est E. G. respectu bigamiæ, vel duret defectus etiam post Baptismum, ut E. G. si duraret cæcitas &c.

ARTICULUS SECUNDUS.

Ad necessitatem modo Baptismi deveniendo duplex est distinguenda necessitas, *medii* & *præcepti*. Prior importat, quod sine illo, quod ita dicitur necessarium, sive hoc omissum sit culpabiliter, sive inculpabiliter, effectus nullo modo haberi possit. Altera, prout opponitur necessitati medii, importat, quod illud, quod ita dicitur necessarium, sit præceptum, unde sit quidem necessarium ad obtinendum effectum, ita tamen ut, si inculpabiliter omittatur, hic possit obtineri. Dixi *prout opponitur necessitati medii*; nam omne id, quod est necessarium necessitate medii, est etiam necessarium necessitate præcepti alicujus, si adsit obligatio consequendi finem, unde necessitas medii subinde necessitatem aliquam præcepti includit: sed

cum

cum distinguitur necessitas in necessitatem medii & præcepti, hæc sumitur prout illam excludit.

His positis dico Baptismum in re esse parvulis necessarium necessitate medii ad salutem præciso Martyrio. Hoc constat ex perpetua Ecclesiæ traditione ita intelligentis illud Christi: *Nisi quis renatus fuerit &c.* Circa hanc traditionem audiatur etiam Augustinus inquiens (a): *Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis pueris festinatur & curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo vivificari non posse:* & alibi (b): *Noli dicere, noli docere infantes, antequam baptizentur, morte præventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.*

Nec inde sequitur Deum non providisse saluti parvulorum, qui non possunt baptizari: nam providit instituendo pro omnibus Baptismum, qui est per accidens, si non possit in aliquo casu parvulis applicari, vel ponendo illorum salutem in manu parentum, vel alio modo, de quo alibi.

Exceptus est supra casus Martyrii; nam hoc, ut infra ostendam, supplet defectum Baptismi.

Adultis vero præciso Martyrio necessarius est necessitate medii Baptismus vel in re, vel in voto. Et sane quod sufficiat pro istis Baptismus in voto, constat ex supra dictis (c).

Ex statuta necessitate Baptismi in re pro parvulis sequitur primo, graviter peccare parentes differentes per notabile tempus procurare Baptismum propriis parvulis, unde in nostra Diœcesi incurrunt excommunicationem, si id differant ultra 9. dies. Secundo esse rebaptizandos omnes illos, de quibus pru-

(a) *Ep. 98. ad S. Hieronym. nunc. 166. n. 21.*
(b) *Lib. 3. de anim. & ejus Orig. cap. 9.*
(c) *Cap. 1. hujus Dissert.*

prudenter dubitatur, ne sint baptizati. Ubi monet Benedictus XIV. (a) esse baptizandos sub conditione parvulos expositos, licet gestantes schedulam enunciantem eos fuisse baptizatos, si non cognoscatur qui scripsit, aut non habeatur sufficiens certitudo de ejus scientia & probitate; tunc enim dubium prudens est de illorum Baptismo. Multo magis baptizandi sunt, qui nullum habent indicium suscepti Baptismi. Dixi esse rebaptizandos jam dictos, *si adsit rationabile dubium de illorum Baptismo*; si enim hoc non adsit, & rebaptizentur etiam sub conditione, docet idem Benedictus (b) probabiliter incurri a baptizante irregularitatem, quæ nedum impediet ascensum ad superiores Ordines, sed etiam exercitium susceptorum, cum interminetur Sacerdotibus & Parochis, qui ad nullum alium Ordinem regulariter ascendere debent. Tertio probabiliter teneri matrem gravidam, nisi timeatur ipsius mors, vel gravissimus dolor, & adsit periculum, ne fœtus nativitati præmoriatur, admittere sectionem, ut extrahatur fœtus vivus; ita enim postulat charitas, quam debet habere erga salutem spiritualem filii. Quod si mors matris, vel gravissimus dolor ex tali sectione timeatur, non videtur, quidquid contra aliqui dicant, ipsa teneri admittere hanc scissionem, cum non teneatur procurare salutem spiritualem filii medio tam extraordinario. Major est difficultas, utrum statim postquam mater videtur mortua, debeat per illius scissionem extrahi fœtus ad illum baptizandum; nam plerumque puerperæ videntur mortuæ, & non sunt, unde per illarum scissionem fieri potest, ut occidantur, quo casu agitur vel de vita spirituali fœtus, vel de temporali matris. In hoc igitur casu orandus Deus, ut suggerat quid fieri debeat, & audiendum judicium Medicorum.

CA-

(a) *Notif.* 8. *volum.* I. (b) *Ibidem.*

CAPUT SEXTUM.

De Baptismo Sanguinis seu Martyrio.

EXponam hic 1. quid sit Baptismus sanguinis seu martyrium: 2. quos effectus producat: 3. quænam dispositiones in martyre requirantur ad percipiendum fructum martyrii.

ARTICULUS PRIMUS.

Martyrium græce, latine dicitur testimonium. In Ecclesia adhibetur ad significandam testificationem de religione & fide christiana factam ab aliquo proprio sanguine; qui enim talem testificationem reddunt solum per sanctitatem vitæ, ii non Martyres, sed Confessores modo appellantur, unde martyrium a S. Thoma definitur *testimonium fidei divinæ vel in se, vel in opere alicujus virtutis morte firmatum.*

Ad martyrem igitur constituendum duo requiruntur: primo ut ipsi infligantur tormenta de se occisiva, vel postea de facto occidatur, vel non. Et hinc ut verus martyr colitur S. Joannes Evangelista, qui in ferventis olei dolium missus fuit, licet per miraculum illæsus exierit. Secundo ut hæc tormenta infligantur in odium fidei, aut alterius virtutis supernaturalis, & hinc non coluntur ut martyres aut bonus Latro, aut qui peste infectis servientes decedunt, quia non sic occiduntur.

Dictum est hæc tormenta debere infligi in odium fidei, vel alterius virtutis: non enim solum est martyr qui occiditur in odium fidei, sed etiam qui occiditur in odium alterius virtutis supernaturalis, & proinde colitur ab Ecclesia ut martyr E. G. S. Thomas Cantuariensis occisus in odium constantiæ pro defendendis Ecclesiæ juribus. & S. Joannes Nepumocenus occisus in odium constantiæ in custodiendo Sacramentali sigillo.

AR-

ARTICULUS SECUNDUS.

Effectus martyrii est supplere vices Baptismi fluminis quoad sanctificationem. Hoc insinuant Scripturæ; nam dicitur a Christo: (a) *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*: promissio autem hæc generalis (sanctificationem supponens) debet extendi ad omnes Christum confitentes. Ergo etiam ad illum, qui martyrium non baptizatus subit; hic enim Christum confitetur. Præterea infra extat similis generalis promissio: (b) *Qui perdiderit animam suam propter me inveniet eam*. Hoc etiam insinuat Ecclesia honorans ut sanctos & beatos martyres illos, quos constat non percepisse Baptismum fluminis, non sic honoratura, nisi martyrium suppleret vices Baptismi fluminis. Hoc tandem insinuant Patres: nam Augustinus ait: (c) *Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis; qui enim dixit: si quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu S., non intrabit in regnum cœlorum, alia sententia illos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est: & alio loco. Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Hinc est quod scriptum est; pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus: quid enim pretiosius, quam mors, per quam fit, ut delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur?* Et S. Basilius *sunt nonnulli*, inquit (d), *qui in certaminibus pro pietate*,

---

(a) *Matt.* 10. (b) *Ibid. cap.* 16.
(c) *Lib.* 13. *de Civit. Dei Cap.* 7.
(d) *De Spirit. Sanct. Cap.* 15.

tate, revera non imitatione Christi mortem perpessi nihil hujusmodi Sacramentis, quæ sunt in aqua, opus habuerunt ad salutem, nimirum in proprio baptizati sanguine. Adde Patres subinde anteferre martyrium Baptismo fluminis, eoquod non in figura tantum, ut in isto, sed reipsa per illud homines Christo commoriuntur, quo fit ut majorem etiam gratiam cæteris paribus martyrium conferat, quam Baptismus fluminis.

Nec dicas Tridentinum docere (a) neminem posse justificari sine Baptismo fluminis vel in re, vel in voto, quo videtur excludere sufficientiam martyrii; nam ℟. Tridentinum agere de mediis a Deo institutis ut necessariis ad justificationem, quale non est martyrium.

Nedum autem martyrium sanctificat, sed omnem etiam delet reatum culpæ & pœnæ; nam Ecclesia statim post mortem honorat ut beatum illum, de cujus martyrio constat, quod supponit ipsum per martyrium ab omni culpæ & pœnæ reatu liberatum fuisse, & S. Augustinus docet (b) valere tantum martyrium ad dimittenda peccata, quantum Baptismus. Cum ergo hic omnem culpæ & pœnæ reatum tollat, ita etiam illud. Præterea idem S. Doctor ait: (c) *Injuria est pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari*. Si igitur non est orandum pro martyre: tota illi per martyrium remittitur culpa & pœna, alias possemus pro illo orare, ut scilicet ipsi remitteretur.

Dictos effectus martyrium præstat nedum respectu adultorum, sed etiam infantium, cum quæ adducta sunt, fere omnia generaliter loquantur tam de adultis, quam de parvulis. Ad quam rem maxime facit exemplum SS. Innocentium, quos ut sanctos & plene purgatos, & beatos vi martyrii agno-

---

(a) *Sess. 6. Cap. 4.* (b) *Loco supra relato.*
(c) *Serm. 159. al. 17. de verb. Apost.*

agnoſcit & veneratur Eccleſia. Non enim eſt toleranda ſententia Riccardi Armacani putantis non fuiſſe ſalvatos ex pueris ab Herode occiſis niſi circumciſos, adeoque illorum ſalutem tribuentis potius circumciſioni, quam martyrio; primo enim veriſimile eſt inter illos plures fuiſſe incircumciſos, cum veriſimilius aliqui non fuerint Judæi, & aliqui ex Judæis nondum ad octavum diem, quo pueri circumcidebantur, pervenerint: & tamen omnes, qui occiſi ſunt, ut beatos veneratur Eccleſia. Adde, quod hæc in illis ſemper eſt venerata martyrium, ut conſtat ex S. Auguſtino dicente (a) *Infantes illos, qui, cum Dominus Jeſus Chriſtus necandus ab Herode quæreretur, occiſi ſunt, in honorem martyrum receptos commendat Eccleſia:* & antea de illis jam dixerat Chryſoſtomus: (b) *Non parva ipſis merces repoſita eſt, quod pro tali cauſa obierint*. Ergo &c. Porro nec audiendus Cardinalis de Vitriaco, qui concedens pueros ab Herode occiſos vi martyrii mundatos & ſalvatos eſſe, id negat de pueris Chriſtianorum in odium fidei occiſis: quæ enim ratio pro prioribus militat, militat etiam pro aliis.

Dictos effectus martyrium in parvulis producit ex ſe & veluti ex opere operato (modo alibi explicato); non enim poteſt illos producere ex opere operantis, cum ipſi meriti perſonalis ſint incapaces. Eodem modo illud remittit pœnam debitam peccato dimiſſo reſpectu adultorum nam ex ſupra viſis ea generaliter martyribus dimittitur: nequit autem generaliter dimitti ex vi ſatisfactoria pœnæ, quam ſubit martyr, cum veriſimile ſit aliquando hanc eſſe inferiorem reatui reſiduo ex multis & enormiſſimis peccatis, quæ aliquis admiſit: non ex vi charitatis, quæ & ipſa veriſimiliter aliquando non eſt tam intenſa, ut poſſit tol-

(a) *Lib. 3. de lib. arbit. Cap.* 23.
(b) *Homil. 9. in Matt.*

lere reatum pœnæ, qui post plura & enormissima peccata remanet. Remanet ergo, ut pœnam tollat martyrium ex se & veluti ex opere operato.

Controversia est circa reatum culpæ (relate ad adultos) quem omnes quidem concedunt tolli omnino per martyrium, sed plures contendunt tolli ex opere tantum operantis, vi scilicet actus charitatis, qui martyrio conjungi debet. Supponunt enim isti martyrio debere conjungi charitatem, quod probant tum ex quo ipsum martyrium videatur includere charitatem juxta illud Christi: (a) *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, tum ex quo in morte quilibet debeat elicere actum charitatis, adeoque etiam in martyrio, quod ex se mortem inducit. His suppositis dicunt. Charitas sine martyrio potest delere culpam, Martyrium sine charitate non potest. ut constat ex illo: (b) *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Si igitur in martyrio charitati conjuncto deletur culpa, hoc potius charitati, quam martyrio est tribuendum, sicque martyrium potius ex opere operantis, quam ex opere operato tollet culpam.

Sed communius & probabilius sentiunt alii martyrium delere omnem reatum culpæ ex opere operato modo alibi explicato; nam illud ita delet in infantibus. Ergo a fortiori in adultis, in quibus peculiarem contrahit æstimabilitatem ex libera illorum tolerantia, quæ in parvulis non habetur. Secundo pœna adultis ex dictis remittitur ex opere opeiato. Ergo etiam culpa, cum eadem utrobique sit ratio. Tertio si ex opere tantum operantis remitteretur culpa, non semper totaliter remitteretur, cum inverisimile sit tantam semper esse intensionem actus in martyre, ut valeat totam culpam remittere. Ergo &c.

Hinc

(a) *Jo.* 15. (b) 1. *Cor.* 13.

Hinc ad opposita pro superiore sententia ℞. primo martyrium ex se necessario non includere charitatem; verba enim Christi indicant quidem nullum majus ab uno alteri exhiberi posse amoris indicium, quam moriendo pro ipso, at non probant, quod si quis moritur pro altero, necessario moriatur ex amore erga illum, cum possit mori ex alio motivo: sicuti E. G. miles non potest magis ostendere amorem erga Principem, quam moriendo pro ipso, at potest mori pro Principe etiam non amando ipsum, puta si moriatur, ne frangat fidem eidem Principi datam: unde licet non possit homo magis ostendere amorem erga Deum, quam moriendo pro ipso, non proinde statim, ac moritur pro Deo, moritur ex amore erga ipsum, cum possit mori ex timore Dei, ex spe gloriæ &c., ob quæ etiam motiva nos hortatur Christus ad martyrium per illud (a): *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere sed potius timete eum, qui & animam & corpus potest perdere in gehennam*, & per aliud (b): *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.*

Licet autem in morte per se obliget præceptum charitatis (a quo cæteroquin aliqui putant per accidens martyrem deobligari, quia mors, quam subit pro Christo, supplet vices charitatis), attamen martyrium ex opere operato delet culpam; nam charitas subinde non tollit omnem culpam, quam semper ex dictis tollit martyrium, unde deletio culpæ in martyrio potius eidem martyrio, quam charitati est tribuenda, adeoque martyrio ex opere operato. Hinc ad id, quod subditur, ℞. charitatem sine martyrio justificare quidem, sed subinde non tollere omnem culpam, quæ proinde, si in martyrio tollitur, hoc potius tribuendum est martyrio, quam charitati. Licet autem concedatur martyrium

(a) *Matt.* 10. (b) *Ibidem.*

sine charitate non justificare, stat tamen martyrio culpam deleri ex opere operato, quomodo licet absolutio Sacerdotalis non justificet sine dolore pœnitentis, stat quod ipsa absolutio justificet ex opere operato.

Effectus jam dictos martyrium producit, cum verificatur martyrem subire tormenta de se sufficientia ad infligendam mortem; tunc enim in causa mortuus esse censetur. Ex hoc inferunt aliqui pie & probabiliter quod, si martyr post suscepta hæc tormenta, miraculose a morte liberaretur, remaneret confirmatus in gratia.

ARTICULUS TERTIUS.

De dispositionibus hic acturus in martyre requisitis, ut percipiat fructum martyrii, adverto in pueris nihil requiri; sufficit enim, ut mors ipsis infligatur in odium Christi, vel postea infligatur immediate, ut cum occiditur puer jam natus, vel infligatur mediate, ut cum occiditur mater gravida: quod quidem valet nedum, si mater agnoscatur gravida, sed etiam si talis non agnoscatur; nam licet tunc Tyrannus non intendat occidere puerum, verificatur tamen, quod hic occiditur propter Christum, & consequenter &c.

Quoad adultos igitur I. requiritur voluntas sustinendi martyrium; nam hoc in ipsis debet esse actus fortitudinis, & formalis confessio fidei: hæc autem absque dicta voluntate haberi non possunt. Adde quod, cum adultus nunquam gratia donetur absque propria voluntate, hæc procul dubio requiretur, ut per tolerantiam martyrii ejusdem fructum, qui est gratia, recipiat. Talis voluntas non debet esse necessario actualis, sed sufficit virtualis, aut etiam habitualis ob easdem rationes, ob quas dixi has voluntates sufficere ad susceptionem Sacramentorum. Imo juxta Cajetanum atque Coninchium sufficit voluntas interpretativa, qua eo ipso quod aliquis christiane vixit, censetur potius velle mori, quam Christum negare. Utrum vero hæc de facto sufficiat affirmare non audeo.

II. Hæc

II. Hæc voluntas debet esse honesta nedum honestate se tenente penes ipsum martyrium, quod semper ex se honestum est, sed etiam penes ipsum martyrem, ita scilicet ut motivum totale, aut saltem principale, ob quod sustinet martyrium, non sit malum aut indifferens, sed sit honestum; martyrium enim debet esse actus virtutis. Dixi *aut saltem principale*; nam si aliquid leviter inhonestum esset motivum minus principale, ut E. G. vana gloria, non videretur tolli verum martyrium, licet tunc esset aliqualiter deturpatum, nec remissivum totius culpæ & pœnæ. Motivum autem principale debet esse honestum nedum naturaliter, sed & supernaturaliter, secus martyrium esset ad summum actus virtutis naturalis, adeoque incapax acquirendi præmium supernaturale. Debet motivum hoc credi fide Theologica, cum perpessio martyrii sit protestatio ejusdem fidei, & hinc hæreticus etsi moriens pro defensione articuli ad veram fidem spectantis E. G. pro fide Trinitatis, non est vere martyr; hunc enim articulum non credit fide theologica, ut uberius ubi de fide. Hinc etiam non esset martyr, qui moreretur pro defensione immaculatæ conceptionis Deiparæ, quia hæc non est fide divina credenda. Esset tamen martyr qui moreretur pro defensione cultus talis mysterii tanquam cultus sancti & religiosi, vel ut defenderet sententiam de immaculata Conceptione esse piam; ista enim defendere spectat ad religionem, & subire mortem pro actu virtutis supernaturalis, qualis est religio, ex dictis verum martyrium involvit.

III. hæc voluntas debet excludere a martyre animum se defendendi; martyr enim debet conformari Christo, qui *tamquam agnus coram tondente se obmutuit* (a). Hinc milites occisi in bello pro fide martyres non sunt, quia animum ha-

(a) *Isai.* 53.

bebant se defendendi, & idcirco Ecclesia restitit Nicephoro & Phocæ Imperatoribus volentibus, ut honorarentur tanquam martyres milites in bello contra Paganos occisi. Non tamen potest homo se ultro præsentare martyrio, tum quia graviter peccaret provocando Tyrannum sibi ad infligendam mortem, & tentaret Deum, & se exponeret periculo deficiendi in martyrio, tum etiam quia hoc docuit Christus, ubi ait: (a) *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*. Unde si qui Sancti se ultro Tyrannis cruciandos obtulerunt, vel ex conscientia invincibiliter erronea id fecerunt, vel (supposita malitia Tyranni volentis illis infligere mortem) ex speciali Spiritu S. impulsu.

IV. Requiritur, si haberi possit, Baptismus fluminis, & hoc ad implendum præceptum Dominicum de tali Baptismo suscipiendo. Et licet martyrium suppleat vices Baptismi fluminis, hoc solum probat posse hominem justificari per martyrium absque Baptismo fluminis, non autem probat hunc posse omitti, si haberi possit; nam tunc est necessarius saltem necessitate præcepti. Et hinc S. Cyprianus reprehendit eos, qui negligebant Baptismum fluminis, ex quo sperarent se mundandos Baptismo sanguinis, inquit enim: (b) *Nec quisquam dicat: qui martyrium tollit, sanguine suo baptizatur, nec pax illi ab Episcopo necessaria est habituro gloriæ suæ pacem, & accepturo majorem de Domini dignatione mercedem*.

V. Requiritur, si haberi possit, confessio lethalium, quæ antea non fuerint clavibus subjecta, idque ob rationem supra allatam circa Baptismum fluminis. Si autem nequeat haberi confessio, requiritur aliqua pœnitentia supernaturalis de peccatis saltem imperfecta. Ubi etiam noto aliquos contendere, quod sufficiat pœnitentia virtualis, scilicet contenta in aliquo virtutis actu ha-

(a) *Matt.* 10. (b) *Epist.* 54.

habente oppoſitionem cum peccato, & tollente affectum ad illud, ut eſſet actus, quo quis efficaciter deſiderat vitam æternam. Sed licet ſit probabile ſpeculative loquendo pœnitentiam hanc virtualem ſufficere, in praxi tamen & ad majorem ſecuritatem procuranda erit pœnitentia formalis, & etiam ex motivo charitatis perfectæ.

VI. Tandem omnia illa requiruntur, ad quæ homo obligatur in articulo mortis (cohærenter tamen ad ſupra dicta). Verum ad hæc martyr non obligatur, ut ſunt diſpoſitiones ad martyrium, ſed ut aliunde præcepta & obligatoria.

DISSERTATIO II.

De Sacramento Confirmationis.

DIſſertationem hanc in tria capita divido. In 1. exponam quid ſit Confirmatio: in 2. agam de illius materia & forma: in 3. de Miniſtro, ſubjecto, diſpoſitionibus, neceſſitate, effectibus, & Patrino.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit Confirmatio.

AFferam 1. definitionem Confirmationis, & nomina, quibus antiquitus appellabatur: 2. probabo illam eſſe verum Sacramentum: 3. examinabo quandonam fuerit inſtituta.

ARTICULUS PRIMUS.

Confirmatio definiri poteſt *Sacramentum novæ legis, quo Baptizatis Spiritus Sancti robur & firmitudo confertur, ut Chriſtianam fidem firmiter teneant, ac animo invicto profiteantur*. Placuit definire Confirmationem potius ab effectu, quam a con-

constitutivis, cum circa ista nec Theologi nec Patres conveniant inter se, ut inferius videbitur.

Varia antiquitus nomina habuit Confirmatio; nam appellata est *perfectio* & *consummatio*, quia veluti perficit & consummat hominem in esse Christiani, *Sacramentum chrismatis*, sive *Sacramentum unguenti* a Chrismate, quod adhibetur, *signaculum* sive *sigillum*, quia ipsa peculiariter confirmat & roborat gratiam per Baptismum collatam, *impositio manuum*, quia per impositionem manuum confertur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Confirmationem esse Sacramentum præter paucos antiquos negant Lutherus & Calvinus, & post illos eorum asseclæ. Contra hos sit

ASSERTIO *Confirmatio est verum & proprium Sacramentum*. Est de fide:

Prob. ex Scripturis. Ibi dicitur: (a) *Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem, qui, cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum S.; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu: Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum S.* Hic commemoratur cæremonia externa, nempe impositio manuum: dicitur hanc fuisse collativam gratiæ; nam per illam dicuntur baptizati accepisse Spiritum S., quod indicat illam fuisse a Christo ad id institutam; non enim dedisset Deus gratiam ad positionem cæremoniæ ex mero Apostolorum placito institutæ. Exprimitur ergo hanc cæremoniam esse Sacramentum, præcipue cum stabilem illius institutionem & effectum probet Ecclesiæ praxis, de qua infra, ubi etiam ostendam hanc impositionem manuum esse illud idem, quod modo dicitur Confirmatio.

Re-

(a) *Act.* 8.

Respondent Hæretici per Spiritum S., qui dicitur collatus manuum impositione, non significari gratiam sanctificantem, sed tantum gratias gratis datas, ut genera linguarum, & gratiam miraculorum &c.; nam inquiunt: *ille* Spiritus S. *nondum in quemquam illorum* (confirmandorum) *venerat*, quod nequit intelligi de gratia sanctificante baptizatis jam collata. Rursus illum Spiritum non potuit dare Philippus Diaconus; ut enim daretur, missi sunt Apostoli. Cum ergo Philippus posset dare gratiam sanctificantem, hæc non venit nomine Spiritus S. Rursus illum Spiritum petiit Simon a Petro per pecuniam (a). Atqui Simon non petebat gratiam sanctificantem, sed tantum gratias gratis datas. Ergo &c. Tandem ille Spiritus est, de quo dicitur: (b) *Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ &c.* Atqui hic non importat gratiam sanctificantem, sed tantum gratias gratis datas. Ergo &c.

Contra. Licet cum dicitur ab Apostolis datus Spiritus S., intelligatur, quod fuerint etiam collatæ gratiæ gratis datæ, per Spiritum tamen S. primario significatur gratia sanctificans; nam nunquam dicitur in Scripturis accipere Spiritum S. qui accipit gratias gratis datas sine gratia sanctificante, alias, cum illæ concedantur aliquando etiam peccatoribus, hi possent dici habere Spiritum S., quod nemo admittet. Præterea Spiritus S., qui dicitur datus per manuum impositionem ab Apostolis, idem est, ac qui in ipsos illapsus est; inquit enim S. Petrus: (c) *Cum autem cœpissent loqui, cecidit Spiritus S. super eos, sicut in nos in initio*; Spiritus autem S., qui in Apostolos illapsus est, importavit per omnes etiam gratiam sanctificantem. Ergo &c. Tandem ille Spiritus S. qui per impositionem manuum Apostolorum da-

(a) *Ibidem*. (b) *Joel.* 2. (c) *Act.* 11.

batur, omnibus dabatur. Non autem omnibus dabantur gratiæ gratis datæ dicente Apostolo: (a) *Nunquid omnes habent gratiam curationum? Nunquid omnes linguis loquuntur?* Ergo &c. Verum quidem est, quod primis temporibus dabantur etiam ut plurimum gratiæ gratis datæ, sed ipsas per Spiritum S. non fuisse datas principaliter, constat ex quo tractu temporis datus est Spiritus S., nec tamen datæ sunt gratiæ istæ. Qua in re audiatur S. Augustinus inquiens: (b) *Primis temporibus cadebat super credentes Spiritus S., & loquebantur linguis, quas non didicerant .. Signa erant tempori opportuna; oportebat enim ita significari in omnibus linguis Spiritum S., quia Evangelium Dei per omnes linguas cursurum erat toto orbe terrarum. Significatum est illud, & transiit. Nunquid modo quibus imponitur manus, ut accipiant Spiritum S., hoc expectatur, ut linguis loquantur? aut quando imponimus manus istis infantibus, attendit unusquisque vestrum, utrum linguis loquerentur, & cum videret eos linguis non loqui, ita perverso corde aliquis vestrum fuit, ut diceret: non acceperunt isti Spiritum S.?* Ergo &c.

Spiritus ergo S., qui nondum in baptizatos venerat, fuit gratia non regenerans, sed confortans & roborans. Sane cum Christus promisit hanc gratiam Apostolis, dixit: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus S. in vos, & eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa*, & tamen tunc ipsi jam habebant gratiam sanctificantem. Ergo a pari &c. Hanc porro gratiam non potuit conferre Philippus, qui erat tantum Diaconus, cum illam conferre spectet ad Episcopos. Simon quidem petiit solum gratias gratis datas, at non ideo illæ solæ tunc dabantur; ipse enim ex duobus, quæ simul dabantur, unum petiit altero negle-

(a) 1. *Cor.* 12.
(b) *Tract.* 6. *in Jo. ep. n.* 10.

glecto. Hinc S. Augustinus ait: (a) *Admiratus est ille* (Simon) *& obstupefactus tanto divino miraculo, quod ad impositionem humanarum manuum venit Spiritus S., & implevit homines, & desideravit istam non gratiam, sed potentiam, non unde liberaretur, sed unde extolleretur*. Tandem jure prædictum fuit, quod adveniente Spiritu S. habenda essent maxima prodigia; ut enim dixi, antiquitus cum dabatur Spiritus S. per Confirmationem, hæc etiam communius prodigia sequebantur.

Prob. assertio ex sensu Ecclesiæ. Sacramentum hoc indicant tum Concilium Laodicenum, dum ait: (b) *Oportet eos, qui illuminantur post Baptismum inungi super cœlesti chrismate, & esse regni cœlestis participes*; tum Florentinum quod ait: (c) *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto. Forma autem est: Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis &c.* Et Tridentinum: (d) *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potius verum & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quandam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit*. Præterea Sacramenti hujus mentionem faciunt passim omnes libri, qui de officiis Ecclesiasticis agunt, ut Sacramentarium S. Gregorii, Ordo Romanus, & qui scripti sunt a Walafrido, Amalario, Rabano Mauro, Alcuino &c. Ergo &c.

Prob. ex Patribus mentionem subinde facientibus unctionis vel impositionis manuum, quæ nihil

 hil

(a) *Enar. 2. in Psalm. 30. Serm. 2.*
(b) *Can.* 48.
(c) *In Decret. Eugen. pro union. Armen.*
(d) *Sess. 7. Can.* 1.

hil aliud sunt nisi Confirmatio. Quod enim dicunt adversarii Patres loqui tantum de cæremonia accidentali Baptismo conjuncta, non subsistit; adstruunt enim cæremoniam conferentem gratiam distinctam a gratia per Baptismum collata, quam proinde cæremoniam adstruunt ut verum Sacramentum, & quidem a Baptismo distinctum: illam solum Baptismo conjungentes, quatenus antiquitus Confirmatio immediate post Baptismum conferebatur. S. igitur Iræneus ait (a) Apostolos per manuum impositionem dedisse Spiritum S. Tertullianus inquit: (b) *Egressi de lavacro perungimur benedicta unctione .... in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit ...... Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans, & invitans Spiritum S.* S. Cyprianus, *Hoc*, inquit (c) *apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum S. consequantur, & signaculo Dominico consummentur*. S. Cyrillus Hierosolymitanus ait: (d) *Ut Salvator per Baptismum, & illum Sancti Spiritus adventum egressus in prælium devicit adversarium, sic & vos post sacrum Baptisma, & chrisma mysticum induti armis Spiritus S. adversus oppositam vobis potestatem consistitis, & præliamini dicentes: omnia possum in eo, qui me confortat*. S. Ambrosius *Ergo*, inquit, (e) *mersisti, venisti ad sacerdotem. Quid tibi dixit? Deus inquit, Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu S., concessitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam*. Et S. Augustinus de unguento loquens, de quo Lucas, inquit: (f) *Et in hoc unguento Sacramentum chrismatis vultis in-*

(a) *Lib. 4. advers. hæres. Cap. 38. ol. 78.*
(b) *De Baptis. Cap. 7. & 8.*
(c) *Ep. 73.* (d) *Catech 3.*
(e) *Lib. 2. de Sacram. cap. 7.*
(f) *Lib. contr. litt. Petilian. cap. 104.*

interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.

Obj. ex sensu Ecclesiæ. I. Ecclesia Græca Sacramentum Confirmationis non agnoscit; nam ungunt quidem Græci baptizatos, sed unctionem illam non agnosci ab ipsis ut Sacramentum eruitur, ex quo ipsa fiat a simplici presbytero, quem tamen nos dicimus non esse ministrum ordinarium Confirmationis. Præterea Græci adhibent unctionem erga omnes venientes a quacumque hæresi, quæ idcirco nequit esse Confirmatio; nam hæc nequit adhiberi erga illos, qui jam fuerunt confirmati, quorum multi verosimiliter sunt inter eos, qui redeunt ab hæresi. Rursus in Euchologiis Græcorum unum tantum numeratur officium Baptismi & unctionis, quod probat apud Græcos unctionem non esse sacramentum a Baptismo distinctum, sed solum cæremoniam ipsius Baptismi.

II. Aliæ etiam Ecclesiæ Orientales præter Græcam hoc Sacramentum non agnoscunt, ut Ecclesia Æthyopica, Armenica, Chaldaica &c.

III. Nec ipsa Ecclesia Latina videtur agnovisse Confirmationem ut Sacramentum; nam teste Walafrido, Strabone, & Rabano Sylvester Papa permisit, ut simplex presbyter in casu mortis imminentis hanc cæremoniam adhiberet erga baptizatum, quod indicat ipsam non fuisse agnitam ut Sacramentum a nobis propugnatum, cum hoc nec in casu mortis imminentis possit a simplici presbytero conferri. Ergo &c.

Ad I. ℟. Sacramentum Confirmationis utique agnosci ab Ecclesia Græca; hoc enim probant pro antiquis temporibus testimonia Patrum Græcorum, quorum aliqua supra allata sunt, pro temporibus vero recentioribus Synodus Constantinopolitana anni 1635., in qua fuit refutata confessio Cyrilli Lucar testantis Confirmationem ab Ecclesia Græca rejici: Synodus Bereensis anni 1638., Synodus Leucosiæ anni 1668, Synodus Hierosolymitana anni 1672., nec non Simeon Thessalonicensis, Gregorius Prothosyncellus, Hjeremias Patriarcha Constantinopolitanus, aliique. Nec obstat quod hæc un-

unctio apud Græcos fiat a simplici Sacerdote, nam apud ipsos ex veteri consuetudine, approbante Ecclesia Latina Presbyteri simplices Sacramentum Confirmationis conferunt. Unctio porro, quam adhibent Græci erga revertentes ab hæresi, non est confirmatoria, sed est cæremonia similis Confirmationi, qua lapsi Ecclesiæ reconciliantur. Ut enim Græci puerum, qui defecisset vel metu, vel ignorantia a fide catholica, consueverunt lavare, linteo cingere, ac novis vestire vestibus, non ut Baptismum repetant, sed ut Cæremonia hac simili cæremoniæ baptismali ostendant illi puero restitui gratiam baptismalem; ita consueverunt erga alios revertentes ab hæresi adhibere cæremoniam similem Confirmationi, ut ostendant restitui eis robur ad fidem confitendam. Et sane hanc unctionem non esse confirmativam probatur ex quo diversa est oratio, quæ funditur, cum confertur Sacramentum Confirmationis ab ea, quæ funditur, cum peragitur talis unctio; nam priore invocatur Spiritus S. ad robur, alia vero ad remissionem peccati hæresis. Ergo &c. Quod porro unum in Euchologiis Græcorum numeretur officium Baptismi & unctionis, ex eo tantum oritur, quod antiquitus, ut supra dixi, Confirmatio dabatur statim post Baptismum. Ergo &c.

Ad II. ℟. Ecclesias, quæ Confirmationem non suscipiunt, esse schismaticas, quarum proinde auctoritas nulla est. Cæterum non omnes Ecclesiæ, quæ ab adversariis afferuntur, Confirmationem rejiciunt; illam namque admitti ab Ecclesia Æthyopica ostendit ordo Mysteriorum (a): illam admitti ab Ecclesia Armenorum testatur Uscanus Episcopus Armenus (b): illam admitti a Cophtis & Ægyptiis testatur Matthæus Patriarcha Alexandrinus (c): illam admitti a Syris testatur Cardinalis de Vitriaco (d). Ad

(a) *Tom. 6. Bibl. Patr.*
(b) *In resp. ad quasd. quæst. circa fid. Armen.*
(c) *De perpet. Eccles. fid. circa Euchar. Tom. lib. 8. cap.* 19. (d) *Hist. Hierosol. lib.* 1. *ca.* 74.

Ad III. ℟. decretum hoc Sylveſtri eſſe apocryphum. Præterea memorati auctores non dicunt præceptum fuiſſe, ut Sacerdos in caſu mortis imminentis conferret Sacramentum Confirmationis, ſed ſolum ut imponeret manus, aliquam ſcilicet perficeret cæremoniam, quæ ex opere operantis conferret aliqualem gratiam ſuppletivam aliquo modo gratiæ illius, quæ non potuit haberi per ipſum Sacramentum Confirmationis.

ARTICULUS TERTIUS.

At quandonam fuit inſtituta Confirmatio?

Inſtitutam aliqui volunt, cum Chriſtus pueris manus imponebat (a): ſed hoc gratis videtur aſſeri; nam nec dicto nec facto oſtendit Chriſtus ſe tunc Sacramentum hoc inſtituere. Non dicto, ut patet: non facto; ſi enim facto oſtendiſſet, maxime quia confirmaſſet pueros iſtos. Atqui hoc dici nequit: nam probabilius illi pueri nondum erant baptizati, adeoque nondum capaces Confirmationis: & præterea probabilius illa manuum impoſitio facta eſt juxta uſum Hebræorum, qui imponentes manus pueris, illis benedicebant. Alii dicunt inſtitutam a Chriſto in ultima Cœna, quod deducunt primo ex praxi Eccleſiæ conſecrantis chriſma feria 5. in cœna Domini, & ex epiſtola quadam Fabiani Papæ id expreſſe docentis. Sed neque hoc ſatis urget, cum non poſſit probari morem hunc in Eccleſia inductum eſſe, ut ſe conformaret exemplo Chriſti; & epiſtola Fabiani a Criticis apocrypha judicetur.

Quidam volunt inſtitutam ante paſſionem, cum Chriſtus dixit: (b) *Si abiero, mittam eum* (Paraclitum) *ad vos*, ad quam ſententiam accedit Angelicus docens tunc fuiſſe inſtitutam a Chri-

---

(a) *Matt.* 19. (b) *Jo. Cap.* 16.

Christo Confirmationem non exhibendo, sed promittendo. Sed cum ad institutionem Sacramenti non sufficiat promissio gratiæ, ideo ex hoc non sequitur Confirmationem tunc fuisse institutam. Prætereo sententiam illorum, qui dicunt illam fuisse institutam in die Pentecostes: nam sic non fuisset immediate instituta a Christo, qui in cœlum jam ascenderat, & præterea tunc non receperunt Apostoli Spiritum S. per rigorosum Sacramentum, sed potius modo quodam extraordinario & miraculoso. Alii tandem volunt fuisse institutam illis 40. diebus, qui a resurrectione Christi fluxerunt ad Ascensionem; in illis enim, inquiunt, cum multa docuerit Christus Apostolos pro regimine Ecclesiæ, & ut inquit S. Leo: (a) *Magna in eis sunt confirmata Sacramenta, magna sunt revelata mysteria*, verisimile est etiam tunc fuisse institutam Confirmationem: sed hoc ipsum verisimilitudini tantum innititur. In hac ergo rerum obscuritate placet cum Tournely concludere rem esse omnino incertam.

CAPUT SECUNDUM.

De materia & forma Confirmationis.

DIvisio sit capitis ex titulo.

ARTICULUS PRIMUS.

Circa materiam Confirmationis variæ sunt sententiæ. Alii volunt illam esse solam manuum impositionem, cumque duplex sit in Confirmatione hæc impositio, una, quæ præmittitur unctioni, & habetur cum Episcopus extendit manus supra confirmandos invocando Spiritum S., altera quæ est indistincta ab actione manus Episcopi inungentis frontem; alii volunt primam impositionem es-

se

(a) *Serm.* I. *de Ascens.*

ſe materiam Confirmationis, alii ſecundam. Plures contendunt materiam Confirmationis eſſe ſolam unctionem cum chriſmate, qui & ipſi dividuntur: alii enim volunt Apoſtolos ex peculiari diſpenſatione non adhibuiſſe unctionem, alii contendunt & ab iſtis hanc fuiſſe adhibitam. Alii volunt alterutram ſive unctionem ſive impoſitionem manuum eſſe materiam Confirmationis. Alii tandem, & quidem communius, volunt eſſe utramque. Cum his ſit

Assertio. *Materia Confirmationis eſt tam unctio cum chriſmate, quam manuum impoſitio, & quidem ſecunda.*

Prob. momento deducto ex Scripturis, Conciliis, & Patribus. Ex una parte Scriptura & Patres de Confirmatione loquentes ſubinde impoſitionem manuum commemorant, ut conſtat ex capite ſuperiore. Ex alia etiam de unctione mentionem ſubinde faciunt Patres, quorum aliqua teſtimonia ſupra ſunt allata, & Florentinum aſſignat pro materia ſacrum chriſma. Ideo autem potius ſecundam, quam primam manuum impoſitionem dicimus materiam Confirmationis, tum quia ita commodius explicantur teſtimonia, quæ ſolius unctionis mentionem faciunt, ut inferius videbitur, tum quia Græci primam manuum impoſitionem non faciunt, ut teſtatur Goarius, & tamen vere conferunt hoc Sacramentum: tum quia fert uſus hodiernus, ut aliqui Epiſcopi admittant ad unctionem etiam illos, qui non aderant, cum prior illa manuum impoſitio habita eſt, quod non facerent, ſi hæc ad eſſentiam pertineret: (videantur etiam circa hoc quæ dicentur infra ubi de forma Confirmationis) Ergo &c.

Obj. Pro ſola manuum impoſitione ex Scripturis. In actibus Apoſtolorum legitur Confirmationem collatam per ſolam manuum impoſitionem, quod etiam docet Synodus Moguntina, & Florentina, ubi habetur: (a) *Loco illius impoſitionis ma-*

(a) *In Decret. Eugen. de union. Armen.*

manuum, de qua Act. 8. datur in Ecclesia Confirmatio. Ergo &c.

R. Facile ab hoc se expedire putantes Apostolos ex peculiari dispensatione solam manuum impositionem in Confirmatione adhibuisse; hoc enim non obstat, inquiunt, quod materia essentialis sit etiam chrismatio. Sed hoc misso R. Apostolos utrumque & manuum impositionem & unctionem adhibuisse, licet solum de priore in Scriptura fiat mentio; non enim hæc negat quod tacet, *Si* Ergo *Scriptura*, utar verbis Augustini (a), *tacuit, & intelligenda dimisit cætera . . . . intelligi tamen voluit impleta omnia, quæ licet taceantur in Scripturis gratia brevitatis, tamen serie traditionis scimus implenda*. Sententiam autem Synodi Moguntinæ possumus in hac re pure scholastica salva debita eidem Synodo reverentia, deserere. Florentinum juxta Bellarminum non asserit ritum chrismationis successisse ritui impositionis manuum, sed nomen Confirmationis successisse nomini impositionis manuum, quod antiquitus adhibebatur.

Obj. ex Conciliis. Arausicanum primum unctionem ad accidentalem tantum Confirmationis cæremoniam refert; inquit enim: (b) *Nullus ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sine chrismate usquam debet progredi, quia inter nos placuit semel chrismari. De eo autem, qui in Baptismate quacumque necessitate faciente non chrismatus fuerit, in Confirmatione sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est, non ut præjudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio*. His Concilium docet non esse necessarium, ut denuo chrismetur chrismatus a baptizante, cui certe tunc non contulit Sacramentum Con-

(a) *De fid. & op. cap*. 2. (b) *Can*. 2.

Confirmationis, cum baptizans hic non supponatur Episcopus. Si ergo sic chrismatus non debet iterum chrismari, & aliunde debet recipere Sacramentum Confirmationis, jam chrismatio sive unctio ad hoc Sacramentum essentialiter non pertinet. Ergo &c.

Ante responsionem noto controversiam fuisse inter Sirmondum, & Petrum Aurelium circa lectionem hujus canonis. Contendebat prior legendum esse ut *non necessaria habeatur chrismatio*, ut supra scriptus est: alter particulam *non* expungebat. Sed quomodocumque legatur ℟. hic non agi de unctione propria Confirmationis, sed de unctione verticali, quæ fit in Baptismo, & quæ si omissa fuerit, debet admoneri Episcopus, ut suppleatur. Si ergo apponatur particula *non*, sensus est: cum semel tantum fieri debeat unctio ista, ideo Episcopus monendus est, utrum facta fuerit nec ne, ut, si non fuit facta, fiat, si vero fuit facta, non fiat illius repetitio non necessaria. Si vero detrahatur particula *non*, sensus erit; monendus est Episcopus; ut ipse suppleat defectui chrismationis verticalis, sicque possit verificari, quod cum postea confertur unctio confirmativa, habetur chrismatio repetita. Ut tamen obiter dicam, videtur lectio Aurelii litteralior altera.

Obj. ex Patribus. S. Basilius docet (a) nos in nullo scripto habere chrisma, ejusque consecrationem. Ergo &c.

℟. jure S. Basilium asserere nos de chrismate nihil habere in Scriptura; ut enim dixi, Scriptura mentionem tantum facit impositionis manuum. Sed quod non eruimus ex Scriptura, eruimus ex traditione.

Obj. pro sola unctione ex sensu Ecclesiæ & Patrum. I. Florentinum assignat pro materia Confirmationis unctionem, nulla facta mentione impositionis manunm. Ergo &c.

II.

(a) *Lib. de Spirit. S. cap.* 27.

II. validum est hoc Sacramentum collatum a Græcis, a quibus tamen non adhibetur manuum impositio; nam in ipsorum Euchologiis nulla hujus impositionis habetur mentio.

III. nulla etiam apud Latinos est assignabilis impositio manuum, in qua constituatur materia Confirmationis: non prima ob rationes supra allatas: non secunda, quia hæc fit simul cum unctione, & tamen Patres de impositione manuum loquentes, quæ ad Confirmationem spectat, illam faciunt diversam ab unctione, ut constat omissis aliis ex supra allato loco Tertulliani: & præterea si possent dici imponi manus confirmando per hoc, quod unctio fiat manibus, posset etiam dici quod imponantur baptizato manus a Presbytero, cum illum ungit in vertice, quod tamen nullus admittet. Ergo &c.

Ad I. ℟. Florentinum in unctione supponere inclusam manuum impositionem; unctio enim hæc per manus impositionem, fieri debet, ex quo etiam patet responsio ad secundum.

Ad III. ℟. non semper quidem fuisse conjunctam impositionem manuum essentialem Confirmationi ipsi unctioni, at postea tractu temporis statutum esse ab Ecclesia, ut eadem illa impositio manuum, quæ necessaria est ad unctionem, adeoque secunda inserviret pro materia. Nec est inconveniens, quod dicantur manus baptizato imponi a Presbytero, cum illum ungit, quamvis veluti antonomastice manus impositio dicatur illa, quæ fit ab Episcopo.

Pro complemento spectantium ad materiam Confirmationis addendum primo esse de necessitate Sacramenti, quod chrisma sit ex oleo olivarum; Concilia enim & Patres oleum requirentia intelligenda sunt de oleo olivarum, quod simpliciter, & veluti antonomastice dicitur oleum: secundo huic oleo miscendum esse balsamum; nam etiam balsami meminerunt passim Concilia & Patres. Præterea sua est etiam balsamo significatio, ut nempe denotet bonum odorem, quem debet reddere confirmatus: sua est etiam peculiaris benedictio, ut constat ex Pontificali. Ergo &c.

An balsamum sit de necessitate Sacramenti, controversum est. In re incerta sufficiat asserere talem necessitatem invicte non probari; nam quæcumque pro illa adducuntur possunt explicari de necessitate solum præcepti. Ubi obiter noto Græcos oleo multa alia aromata miscere, quo fit ut illorum chrisma a nostro differat, quamvis tantum accidentaliter.

Istud chrisma debet esse benedictum; Concilia enim & Patres semper chrismatis benedicti mentionem faciunt, & confirmat Ecclesiæ praxis. An vero benedictio requiratur de necessitate Sacramenti, an ex præcepto tantum Ecclesiastico, controvertitur. Primum sane non videtur invicte probari, cum Concilia & Patres possint explicari de necessitate solum præcepti Ecclesiastici.

Benedictio hæc ab Episcopo facienda est; hoc enim docent unanimiter Concilia & Patres, & ipsa praxis Ecclesiæ. Sane Florentinum docet quidem ministrum extraordinarium Confirmationis esse simplicem sacerdotem, sed ita ut adhibeat chrisma ab Episcopo benedictum; & ita cohærenter ad hæc cum fuit dispensatum, ut simplex Presbyter conferret hoc Sacramentum, adhibita est passim hæc conditio: dummodo adhibeat chrisma ab Episcopo benedictum. P. tamen Berti affert Bullam Eugenii IV. in qua concessit simplicibus Presbyteris Missionariis Franciscanis, ut nedum confirmarent, sed etiam conficerent chrisma, quam Bullam juxta autographum Vaticanum inseruit suis annalibus Lucas Waldingus (a). Affert etiam testimonium Joannis Diaconi in quadam epistola adducta a Mabillonio (b), in qua hæc habet: *Sed nec illud tangit animum, quod sibi aliquando quædam vis necessitatis assumit veluti (quod nunc per*

(a) *Ad ann.* 1444.
(b) *Tom.* 1. *Musæi Italic. Patt.* 2. *n.* 8.

per Africam fieri dicitur) *ut Presbyteri sanctum chrisma conficiant, quod merito moveret, si istam Pontificalis auctoritas licentiam non dedisset: unde constat etiam nunc a Pontificibus quodammodo fieri, quod in tanta rerum necessitate, ut a Presbyteris effici possit, superior ordo constituit*. His autem subsistentibus apparet posse extraordinarie simplicem sacerdotem chrisma benedicere.

Ex dictis sequitur materiam remotam Confirmationis esse chrisma, proximam esse unctionem per impositionem manuum Episcopi factam. Non ergo valebit, ut etiam docent S. Thomas & Scotus, hoc Sacramentum, si loco manuum adhibeat Episcopus aliud instrumentum, puta virgulam auream vel argenteam, non enim verificatur tunc manuum impositio. Hæc unctio debet fieri in fronte, ut significetur confirmatum non debere erubescere Christum; debet pariter fieri per modum crucis, ut verificetur illud: *signo te signo crucis*. Huic unctioni adnecti solet levis alapa, quam Episcopus debet infligere confirmato, ut ostendat illum debere esse paratum ad tolerandas ignominias pro Christo. Solet etiam ligari frons fascia, ne excurrat chrisma, qua fascia denotatur esse diligenter custodienda dona Spiritus S. Antiquitus confirmati per 7. dies fasciam deferebant, quo tempore jugiter vacabant orationibus, atque aliis pietatis operibus. Modo exsiccato chrismate fascia aufertur, & comburitur. Græci nedum frontem, sed & oculos, & nares, & aures, & pedes inungunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

Noto circa formam Confirmationis duplicem esse sententiam; qui enim illius materiam statuunt in prima manuum impositione volunt formam consistere in oratione, quam profert Episcopus tenens manus extensas super confirmandos. Qui vero volunt materiam esse unctionem statuunt formam in illis verbis: *Signo te signo crucis: confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. amen*. Cum his sit. As-

Assertio. *Forma Sacramenti Confirmationis non consistit in prima oratione, quam fundit Episcopus tenens manus extensas super confirmandos, sed in verbis*: Signo te signo crucis &c.

Prob. ex Florentino expresse dicente: (a) *Forma* (Confirmationis) *est: Signo te signo crucis &c.* Ergo &c.

Prob. ratione. I. materia Confirmationis, ut dixi, non est manuum impositio, quæ fit ab Episcopo, antequam ungat, sed quæ includitur in unctione. Igitur forma est quæ proximius refertur ad hanc manuum impositionem. Talis autem est illa: *Signo te &c.* quæ & immediate conjungitur cum unctione, & hanc præsentem denotat; cum e contra prior oratio unctionem antecedat, nec ipsam designet, nisi ad summum ut futuram. Ergo &c. Et sane in aliis Sacramentis forma subinde refertur ad materiam præsentem. Ergo etiam in hoc. Refertur autem ex dictis illa *signo te &c.* non refertur alia. Ergo &c. II. præscribit Pontificale, ut priore oratione completa Episcopus sedeat dispositis per ordinem confirmandis, illosque genuflexos confirmet. Supponit igitur Confirmationem esse posteriorem illa oratione, adeoque in illa non consistet forma. Et sane, cum Episcopus fundit illam orationem, stat deposita mitra supplicantis habitu: cum vero inungit & profert illa verba: *Signo te &c.* sedet mitratus. Tunc ergo, non prius, induit personam Christi, & ut Christi minister potestative se gerit, adeoque tunc solum ponit Sacramentum, illiusque consequenter materiam & formam. III. si in priore oratione esset constituenda forma, maxime in illis verbis: *Consigna eos signo crucis Christi in vitam propitiatus æternam*. Hoc non; nam hæc ita se habent in collatione Confirmationis, ut hæc alia in Missa: *Ut nobis corpus & sanguis fiat... Jesu Chri-*

(a) *In instruct. Armen.*

Chriſti, & hæc in abſolutione Sacramentali: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat*. Atqui hæc ſunt ſolum præparatoria ad formam, cum poſt illa: *Ut nobis &c.* ſtatim ſubdatur forma conſecratoria: *Hoc eſt corpus &c.*, & poſt alia: *Dominus noſter &c.* ſubdatur forma abſolutoria: *Ego te abſolvo*. Ergo a pari &c. Addi poteſt quod prior oratio in aliquibus codicibus optimæ notæ apud Martene (a) reperitur recitata immediate poſt Baptiſmum a presbytero baptizante, & poſt aliquot folia deſcribitur ritus Confirmationis. Non autem fuiſſet ſeparata a ritu Confirmationis, ſi eſſet illius forma, Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. Ibi dicitur (b) Apoſtolos confirmaſſe orando: *Oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum S.*, nec tamen formulæ illius *ſigno te &c.* aut alterius æquivalentis ullum habetur veſtigium. Ergo &c.

℟. orationem, quæ refertur facta ab Apoſtolis, non fuiſſe formam Confirmationis, ſed potius præparationem ad ipſam. Cum enim dicitur, quod Samaritani acceperunt Spiritum S., id ſane dicitur de tempore, quo proferebatur forma, & complebatur Sacramentum; effectus enim Sacramenti habetur, cum hoc ponitur. At cum iſti acceperunt Sacramentum, oratio fuerat præmiſſa; nam prius dicitur: *Qui, cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum S.* & poſtea: *Tunc imponebant manus ſuper illos & accipiebant Spiritum S.* Ergo &c. Nec mirum ſi de forma a nobis adhibita nihil habeatur in Scripturis; hæc enim ex ſola traditione innoteſcit. Ergo &c.

Obj. ex Conciliis & Patribus orationis in Confirmatione fundendæ paſſim mentionem facientibus.

℟. ab iſtis adſtrui orationem non ut formam, ſed ut ritum accidentalem Confirmationis; vel ſi ad-

(a) *Tom*, 1. *lib*. 1. *cap*. 2. *art*. 3. *n*. 11.
(b) *Act*. 8.

adstruunt ut formam, dico nomine orationis ab illis non intelligi preces, sed verba, quæ nos formam dicimus. Sane etiam aliquando Patres, ut Justinus (a) Iræneus (b) Cyrillus Hierosolymitanus (c) aliique dicunt Eucharistiam perfici oratione, & crucis signo, qua phrasi vel orationem admittunt ut ritum accidentalem Eucharistiæ, vel per illam intelligunt ipsam formam. Ergo a pari &c.

Obj. ex historia. Si forma confirmatoria essent illa verba *signo te &c.* in omnibus Sacramentariis & Ritualibus agentibus de Confirmatione hæc reperiretur. Hoc non; nam nullum ante 7. sæculum illius meminit. Ergo &c.

℟. In antiquissimis quidem Ritualibus deesse hanc formam, sed in non tam antiquis non deesse, ut testatur Martene, qui asserit fere in omnibus a se collectis præscribi unctionem, sub certa verborum formula. Præterea ex defectu istius formæ in antiquissimis colligi nequit illam non fuisse etiam antiquitus adhibitam: primo enim secretiora mysteria & ritus religionis, & quæ non ad totum populum, sed solum ad Episcopos pertinebant, consueverunt antiqui Christiani non consignare scriptis. Secundo etiam in aliquibus Ritualibus desideratur forma Baptismi, & testatur Mabillonius in aliquibus Liturgiis desiderari formam consecrationis. Ergone consueta forma non est semper usa Ecclesia in collatione Baptismi & Eucharistiæ? Ergo &c.

Apud Græcos forma confirmatoria sunt ista verba: *Signaculum donationis Spiritus S.* His constitui formam Confirmationis probatur; nam hæc saltem practice, & coassumptis circumstantiis idem significant, quod forma Latinorum, idest significant, Confirmationem exercere actionem confirmativam, ut det confirmato dona Spiritus S.:

(a) *Apolog.* 2. (b) *Lib.* 4. *Cap.* 34.
(c) *Cathech.* 1.

& præterea omnia circa hanc formam proportionaliter valent, ob quæ dictum est formam apud Latinos constitui in verbis *signo te signo Crucis &c.*

Hucusque eas sententias circa materiam & formam Confirmationis proposui, quæ opportuniores videbantur ad salvandas modernas definitiones Conciliorum & modernam Ecclesiæ praxim, illasque conciliandas cum antiquis locutionibus Conciliorum & Patrum, & antiqua praxi Ecclesiæ. Si alicui arrideat sententia supra proposita, scilicet Christum solum in genere dæterminasse materiam & formam aliquorum Sacramentorum, adeoque potuisse Ecclesiam in iis modo unam, modo aliam adhibere, asserere poterit mirum non esse, si sub diversa materia & forma nunc conferatur hoc Sacramentum, ac conferebatur in primitiva Ecclesia, & consequenter &c.

CAPUT TERTIUM.

De ministro subjecto &c. Confirmationis.

AGam hic 1. de Ministro ordinario hujus Sacramenti: 2. de extraordinario: 3. de illius suscipiente, necessitate, effectibus, & Patrino.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto Photium, Waldenses, Wiclephitas, & Hussitas existimasse quemlibet sacerdotem esse ministrum ordinarium Confirmationis. Contra hos sit.

Assertio. *Solus Episcopus est Minister ordinarius Confirmationis*. Est de fide.

Prob. ex Conciliis. Florentinum ait: (a) *Ordinarius Minister* (Confirmationis) *est Episcopus*

(a) *In instruct. Armenor.*

pus, *& cum cæteras unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi Episcopus debet conferre*. Et Tridentinum: (a) *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit*. Ergo &c.

Prob. ex Summis Pontificibus. Innocentius I. ait: (b) *Hæc solis Pontificibus deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum & illa locutio actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum & Joannem esse directos qui in baptizatis traderent Spiritum S. Nam Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum S.*, Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. Ibi narratur (c) Confirmationem fuisse collatam ab Anania, qui tamen non erat Episcopus. Ergo &c

℟. Negando antecedens, licet enim Ananias imposuerit manus Saulo, hæc tamen impositio fuit tantum sanativa illius a cæcitate, juxta illud: (d) *& vidit virum Ananiam nomine imponentem sibi manus, ut visum recipiat*. Licet porro dicatur Saulum implendum Spiritu S., hoc tamen solum refertur ad remissionem peccatorum, & infusionem gratiæ per Baptismum largiendæ, Ergo &c.

Obj. ex praxi Ecclesiæ. Aliquando fuit concessum simplicibus Presbyteris, ut chrismarent: nam Toletanum primum ait: (e) *Statutum est Diaconum non chrismare, sed Presbyterum absente Episcopo, præsente vero, si ab ipso fuerit præ-*

(a) *Seſs. 6. Can.* 3.
(b) *Ep. ad Decentium Cap.* 3.
(c) *Act.* 9. (d) *Act.* 9. (e) *Can.* 20.

ceptum. Et Arausicanum I. (a) *Hæreticos in mortis discrimine positos, si catholici esse desiderant, si desit Episcopus, a Presbyteris cum chrismate & benedictione consignari placuit.* Rursus aliquando ita fuit ipsis prohibitum chrismare, ut supponatur ante fuisse consuetum ut ipsi chrismarent. Ita legitur in Pontificali Damasi, Sylvestrum omnium primum constituisse, ut solus Episcopus chrisma conficeret, & ministraret: & Concilium Hispalense (b) declaravit chrismationem esse Presbyteris prohibitam novellis ecclesiasticis regulis. Ergo &c.

℟. Primo generaliter ex concessionibus factis Presbyteris ut confirmarent solum erui illos posse extraordinarie hoc facere; ex prohibitionibus vero illis factis ne confirmarent solum inferri eos aliquando presumpsisse illud munus assumere, quod absque dispensatione non possunt. Secundo ℟. ad singula. Toletanum probabiliter agit non de unctione confirmativa, sed de unctione baptizatorum verticali, quæ antiquitus non tribuebatur a Presbyteris, nisi de licentia Episcopi, postea vero Innocentius I. indulsit Presbyteris, ut semper impertirentur baptizatis, & ita fert moderna praxis Eccelesiæ. Arausicanum non loquitur de Confirmatione, sed de antiquo ritu reconciliandi hæreticos Ecclesiæ per manuum impositionem & unctionem. Sylvester cum dicitur *constituisse* intelligi potest, quod renovaverit constitutionem, quomodo cum infra dicitur ipsum constituisse, ut tantum super linum fieret sacrificium altaris, est intelligendum, quod solum constitutionem confirmaverit; hoc enim ante ipsum fuerat constitutum. Hispalense tandem asserit chrismationem esse Presbyteris prohibitam novellis & ecclesiasticis regulis, idest regulis novis & antiquis. Ergo &c.

Obj-

(a) *Can.* 1. (b) *Can.* 7.

Obj. ex Patribus. S. Hieronymus idem munus tribuit in omnibus (præter ordinationem) Episcopo & Præsbyteris; inquit enim: (a) *Quid facit excepta ordinatione Episcopus, quod non faciat Presbyter?* & alibi ait (b) Episcopus non ex necessitate, sed ex consuetudine Ministros esse Confirmationis, & subdit: *Si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus S. defluit, lugendi sunt qui . . . . in remotioribus locis per Presbyteros & Diaconos baptizati ante dormierunt, quam ab Episcopis viserentur.* Ergo &c.

℟. Hieronymum primo loco vel asserere fere omnia posse Presbyterum, quæ potest Episcopus, & hoc apposite ad scopum illius, qui erat retundere arrogantiam cujusdam præferentis Diaconos Presbyteris, vel loqui cohærenter ad morem Ecclesiæ Alexandrinæ, in qua Presbyteri ex permissione Episcoporum chrismabant, ut putat. Holstenius. Alio loco dicit Confirmationem tribui ab Epscopo non ex necessitate, id est non esse absolute necessariam confirmationem (cum possit quis salutem consequi sine illa), sed ex consuetudine, quam expresse dicit (c) *ab ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus S. ad Apostolos descendit.* Recte autem probat Confirmationem non esse necessariam, ex quo alias qui non posset confirmari, esset lugendus ut damnatus. Ergo &c

Obj. ex ratione. Simplex Sacerdos est ordinarius Minister Sacramenti excellentioris, quale est Eucharistia. Ergo etiam Sacramenti minus excellentis, quale est Confirmatio.

℟. Primo retorquendo argumentum. Simplices Presbyteri sunt Ministri ordinarii Eucharistiæ. Ergo a fortiori Ordinis, qui est minus illa dignus.

(a) *Ep. 101. ad Evangelum al. 85. ad Evangel.*
(b) *Dialog.* *contr. Lucifer. n. 9.*
(c) *Ibidem.*

Hoc non. Ergo nec illud. Directe R. in iis, quæ pendent a libera Dei voluntate, non valere argumentum aut a pari, aut a fortiori, sed standum esse illi, quod ipsa decrevit, quodque nobis vel per Scripturam, vel per traditionem innotescit. Ita autem innotescit Christum voluisse, ut simplices Sacerdotes essent ordinarii Ministri Eucharistiæ, non Confirmationis. Ergo &c.

Quamvis porro Episcopus sit ordinarius Minister Confirmationis, hic tamen non potest licite hoc Sacramentum ministrare, nisi in propria Diœcesi, & quidem propriis subditis; in aliena enim Diœcesi, vel etiam in propria respectu subditorum alterius Episcopi, requiritur aliqua licentia Episcopi loci, & personæ confirmandæ; ratio est quia Confirmatio aliqualem actum includit jurisdictionis. Ubi adverto, quod si aliquis cum testimonialibus & licentia proprii Ordinarii se præsentet alicui Episcopo, ut obtineat primam Tonsuram, hic poterit petentem confirmare, si non est confirmatus; nam Confirmatio est præmittenda primæ Tonsuræ.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio. *Potest extraordinarie delegari ad confirmandum simplex sacerdos.*

Prob. ex Florentino id expresse docente (a) & approbante consuetudinem Græcorum, apud quos simplices Presbyteri confirmant, cum tamen etiam de hoc mota esset in Concilio quæstio.

Prob. ex factis. S. Gregorius Magnus (b) concessit Presbyteris Sardiniæ, ut confirmarent; Presbyteris Franciscanis ut confirmarent in Indiis indultum est a pluribus Pontificibus, ut a Joanne XXII., ab Adriano VI., ab Eugenio IV., ab Urbano

---

(a) *In Decret. Eugen. pro instruct. Armen.*
(b) *Ep.* 26. *lib.* 4.

bano V., quas omnes conceſſiones confirmavit Leo X. (a) Similem conceſſionem factam fuiſſe a Gregorio XIII. Patribus Societatis Jeſu ſcribit Baſilius Pontius. Ergo &c.

Obj. ex Romanis Pontificibus. Nicolaus I. miſit in Bulgariam Legatos, qui inter alia confirmatos a Presbyteris Græcis iterum confirmarent, ut ſcribit Metrophanes (b). Prætere a Innocentius III. (c) reprehendit abuſum Presbyterorum apud Conſtantinopolim degentium, & conſequenter Græcorum, qui confirmabant, cum hoc, ut ipſe inquit, ſolis Epiſcopis conveniat, & mandat, ut deinceps non confirment. Inſuper Innocentius IV. renovat eandem prohibitionem (d) & Clemens VIII. juſſit, ut repeterentur chriſmationes factæ a Presbyteris Græcis, quam conſtitutionem renovavit Benedictus XIV. (e) Ergo &c.

℞. ideo juſſu Nicolai fuiſſe denuo confirmatos jam antecedenter confirmatos a Presbyteris Græcis, quia iſti non fuerant legitime delegati, cum fuiſſent delegati a Photio intruſo, & ſchiſmatico. Decretum Innocentii III. ſpectat ſolum Presbyteros Latinos apud Conſtantinopolim degentes, ut docent peritiſſimi Juriſconſulti, & colligitur ex editionibus epiſtolarum Innocentii Antuerpiana & Romana: vult ſcilicet, ne Presbyteri Latini inter Græcos degentes ipſis conceſſum putent, quod in adminiſtratione Confirmationis permittitur Græcis. Conſtitutio Innocentii IV. ſolos ſpectat Presbyteros inſulæ Cypri, qui ob subortas quaſdam diſſentiones prohibiti ſunt a confirmando. Conſtitutiones Clementis VIII. & Benedicti XIV. ſpectant tantum Græcos degentes in Italia & inſulis adjacentibus, qui utpote ſubjecti Latinis Epiſcopis

 pro-

(a) *Apud Wadingum.*
(b) *Ep. ad Manuel. Patricium.*
(c) *Cap.* quanto. *Extra de conſuet.*
(d) *Conſt.* Sub Catholica.
(e) *Conſt.* Etſi Paſtoralis.

prohibentur confirmare, adeoque illorum Confirmationes nullæ & irritæ censendæ sunt. Cæterum neuter impedit morem Græcorum commorantium in locis subjectis Episcopis Catholicis Græcis, ut expresse docet Benedictus XIV. (a)

Obj. ex ratione. Potestas confirmandi in Episcopis est potestas Ordinis. Si enim esset potestas jurisdictionis, posset etiam Diacono, vel alteri inferiori Clerico delegari, quod nullus dicet. Potestas autem Ordinis nequit alteri non insignito eodem Ordine delegari. Ergo &c.

℟. Potestatem confirmandi esse potestatem Ordinis. Cum tamen hæc alia sit ordinaria, alia extraordinaria, dico Ordinariam esse potestatem Ordinis Episcopalis, extraordinariam vero (actuandam solum per legitimam delegationem) ordinis presbyteralis, eo proportionaliter modo, quo potestas ordinaria conferendi Ordines minores est penes Episcopum, extraordinaria vero & delegabilis penes Abbates. Ergo &c.

Si ergo simplex presbyter potest extraordinarie delegari ad confirmandum, a quonam debet proficisci hæc delegatio?

Plures contendunt hanc delegationem posse fieri ab Episcopo. Ita Ledesma, Salmeron, aliique. Probabilius tamen cum aliis censeo illam non posse fieri nisi a R. Pontifice vel expresse delegante, ut factum est aliquando respectu presbyterorum Latinorum, vel approbante, aut saltem permittente, quod simplices presbyteri confirment, ut factum est respectu Ecclesiæ Græcæ. Ratio deducitur primo ex litteris Clementis VI. ad Patriarcham Armenorum, ubi inter alia illum interrogat utrum credat, *quod solum per Romanum Pontificem plenitudinem potestatis habentem possit dispensatio Sacramenti Confirmationis Presbyteris, qui*

(a) *Præfat. constitutione.*

qui non sunt Episcopi, committi. Secundo ex laudata Constitutione Benedicti XIV. irritas & nullas declarantis Confirmationes collatas a Presbyteris Italo-Græcis: *Cum*, inquit ipse, *neque per prædecessores nostros, neque per nos Græcis presbyteris in Italia, & insulis adjacentibus, ut infantibus baptizatis Sacramentum Confirmationis conferant, facultas concessa sit, aut concedatur*. Quæ ratio non sufficeret, si possent Episcopi delegare, nam tunc ex quo facultas confirmandi non fuerit simplicibus presbyteris concessa a Papa, non posset inferri illam nullo modo fuisse ipsis concessam: potuisset enim tunc concedi ab Episcopis. Nec dicas id posse Episcopum in sua Diœcesi, quod potest Summus Pontifex in tota Ecclesia; nam multo plura hic potest in tota Ecclesia, quam Episcopus in sua Diœcesi, cum ille possit pro tota Ecclesia dispensare in jure canonico, quod hic non potest in sua Diœcesi. Ergo &c.

ARTICULUS TERTIUS.

Modo de suscipiente Confirmationis. Hanc potest valide suscipere omnis baptizatus; quoad adultos enim id ostendit moderna praxis Ecclesiæ, quoad parvulos vero ostendit praxis antiqua confirmandi infantes statim post Baptismum. Hæc praxis mutata est, quia magis visum est expedire, ut Sacramentum hoc percipiatur ab illo, qui cognoscit quod recipit, quam secus; præcipue cum illud non sit tantæ necessitatis, quantæ est Baptismus.

In adultis ad valide percipiendum hoc Sacramentum solum requiritur intentio, ut vero illud fructuose percipiant requiritur status gratiæ (cum Confirmatio sit Sacramentum vivorum) & præterea notitia rudimentorum fidei, & illorum quæ spectant ad Sacramentum Confirmationis, ut possint habere spem acquirendæ gratiæ per hoc Sacramentum. Expedit præterea ut preces præmittantur

exemplo Apostolorum, qui erant (a) perseverantes in oratione, ut acciperent Spiritum S.. Mos fuit per 12. priora sæcula, ut nonnisi jejuni perciperent hoc Sacramentum, sed postea contraria consuetudo invaluit. Hortandi tamen sunt confirmandi, ut jejuni ad hoc Sacramentum accedant.

Expeditne autem Sacramentum hoc impertiri amentibus, infirmis, afficiendis ultimo supplicio, & energumenis?

Quoad priores, vel isti sunt perpetuo amentes, & sunt considerandi ut parvuli. Ut ergo etiam his expedit in mortis discrimine, ut docent Estius, Silvius, aliique, exhibere Confirmationem ad augmentum gratiæ, ita expediet in morte illos confirmare; vel sunt amentes ad tempus, & tunc debebit expectari aliquod lucidum intervallum. Ægroti pariter sunt confirmandi; utilissima enim erit illis gratia hujus Sacramenti, & idcirco dicitur in Sacramentario Ambrosiano debere ægrotos nondum confirmatos a Parocho denunciari Episcopo, ut ab eo confirmentur. Idem dicendum ob paritatem rationis de afficiendis ultimo supplicio. Expedit tandem ipsos energumenos confirmare, ut vires acquirant contra Diabolum a quo vexantur.

Certum est Confirmationem non esse necessariam necessitate medii, sicuti certum est illam esse necessariam necessitate præcepti in periculo ejurandi fidem. Quod idem dicendum in casu maximæ tentationis. Utrum vero extra has circumstantias sit ita necessaria, controvertitur. Multi affirmant ducti plerisque dictis Conciliorum & Patrum, quæ talem necessitatem videntur adstruere; unde inferunt eum peccaturum graviter, qui non legitime impeditus omitteret Sacramenti hujus susceptionem. Alii tale præceptum non agnoscunt, vel ad summum agnoscunt præceptum sub levi, unde secluso scandalo, aut contemptu, nullum, vel solum leve peccatum agnoscunt in illius omissione; quæ

(a) *Act*. 2.

quæ enim pro gravi necessitate adducuntur, dicunt explicari posse vel de sola utilitate vel de sola necessitate in jam dictis circumstantiis, vel tandem de necessitate solùm sub levi. Ipse obligationem sub gravi in casu negare non auderem, postquam Benedictus XIV. de invalide confirmatis a presbyteris Græcis, de quibus supra ait: (a) *Monendi sunt ab Ordinariis locorum; eos gravis peccati reatu teneri, si, cum possunt, ad Confirmationem accedere renuunt.*

Effectus Confirmationis sunt augmentum gratiæ sanctificantis, character, & gratia sacramentalis. Circa duos priores, sufficiant dicta de Sacramentis in genere. Circa postremum dico gratiam hanc sacramentalem consistere in jure ad auxilia opportuna, ut confirmatus pugnet contra Diabolum, & fidem tueatur ac confiteatur.

In Confirmatione requiritur sub gravi Patrinus, qui designandus est a parentibus confirmandi. Probabiliter unicus esse debet, quamvis Toletus duos admittat, sed praxis fert, ut nonnisi unus adhibeatur. Debet Patrinus esse ejusdem sexus cum confirmando. Debet esse confirmatus, & non Regularis, & omnes illi debent censeri exclusi qui excluduntur ab officio Patrini in Baptismo, sicuti excluduntur illi, qui Patrini fuerunt in Baptismo. Debet autem Patrinus in actu, quo confertur Sacramentum, dexteram tenere super scapulas confirmandi. Contrahit Patrinus cognationem spiritualem cum confirmato ejusque parentibus, de qua ubi de Matrimonio. Obligationes, quas contrahit Patrinus respectu confirmati sunt eædem proportionaliter, ac quæ contrahuntur a Patrino Baptismi respectu baptizati.

(a) *Citat. Constit.* Etsi Pastoralis.

DISSERTATIO III.

De Sacramento Eucharistiæ.

CUM Eucharistia habeat rationem & Sacramenti & Sacrificii, ideo prius examinabo quæ ad illam pertinent, ut est Sacramentum; postea quæ pertinent ad illam, ut est Sacrificium. Dissertationem hanc itaque in quinque capita divisurus, quatuor prioribus considerabo Eucharistiam ut est Sacramentum, exponendo in 1. quid sit Eucharistia: in 2, agendo de illius materia & forma: in 3. de reali præsentia corporis & sanguinis Christi in illa: in 4. de illius ministro ac suscipiente, ubi etiam de communione In 5. tandem agam de Eucharistia, ut est Sacrificium.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Eucharistia.

EXaminabo hic 1. quid sit Eucharistia: 2. quid in ipsa proprie & formaliter habeat rationem Sacramenti.

ARTICULUS PRIMUS.

Eucharistia juxta vim vocis significat *bonam gratiam*, vel *gratiarum actionem*. Jure autem hoc nomen tribuitur Sacramento corporis & sanguinis Christi, per quod maxime gratias Deo agimus pro acceptis beneficiis.

Definitur Eucharistia: *Sacramentum, in quo sub speciebus panis & vini consecratis continetur corpus & sanguis Christi, ad spiritualem animarum refectionem ab ipso institutum.* Definitio per se patet, & magis etiam patebit ex mox dicendis.

Hoc

Hoc Sacramentum varia sortitur nomina; dicitur enim *sacra synaxis*, seu *communio*, *viaticum*, *mensa Domini*, *sacrum convivium*, *Sacramentum altaris*, & alia hujusmodi, quæ & obvia sunt, & significationem habent apertissimam.

Multæ fuerunt in veteri Testamento figuræ Eucharistiæ; fuit enim figurata primo per lignum vitæ plantatum in paradiso voluptatis (a): secundo per sacrificium Melchisedech oblatum in pane & vino (b): tertio per panes propositionis, qui solum a mundis comedi poterant (c): quarto per panes primitiarum, qui fiebant ex primitiis frugum (d): quinto per panem subcinericium, quem Elias comedit, & ab illo roboratus ascendit usque ad montem Dei (e): sexto per manna, quod pluit in deserto Hebræis, habens in se omnem saporem: (f) septimo per agnum paschalem, qui immolatus fuit ab Hebræis in exitu ab Ægypto (g): & tandem per omnia sacrificia veteris legis.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quæritur a Theologis quid sit illud, quod in Eucharistia proprie & formaliter habet rationem Sacramenti: quod de quatuor potest inquiri, primo de consecratione, secundo de sumptione, tertio de speciebus panis & vini, quarto de corpore & sanguine Christi. Duo priora nequeunt esse; nam hæc transeunt, & tamen Sacramentum perseverat, ut infra probabitur. Difficultas ergo reducitur ad duo posteriora. Aliqui dicunt rationem Sacramenti præcise consistere in speciebus, non quidem per se, & nude consideratis, sed quatenus per verba consecratoria connotant Corpus Christi.

Isti

(a) *Gen.* 2. (b) *Gen.* 14. (c) 1. *Reg.* 21.
(d) *Levit.* 25. (e) 3. *Reg.* 19.
(f) *Exod.* 15. (g) *Exod.* 12.

Isti his rationibus nituntur. Innocentius III. (a) tria distinguit in Eucharistia, *Sacramentum tantum*, *rem tantum*, & *rem ac Sacramentum simul*, & dicit species esse *Sacramentum tantum*. Similiter Berengarius (b) hæresim suam retractans agnoscit ex sensu Ecclesiæ manere in altari nedum *Sacramentum*, sed etiam *corpus Christi*, ubi, ut patet, distinguit Sacramentum a corpore Christi. Ergo &c. Rursus sensus Ecclesiæ est corpus & sanguinem Christi contineri in Sacramento Eucharistiæ. Illa ergo distinguuntur a Sacramento, ut contentum a continente: continens autem solum possunt esse species panis & vini. Ergo &c. Præterea Sacramentum debet esse signum sensibile. Tale non est corpus Christi in Eucharistia, utique vero sunt species. Ergo &c.

Alii putant rationem Sacramenti solum corpori & sanguini Christi competere; nam, inquiunt, quod habet rationem Sacramenti, adoratur adoratione latriæ: ita autem adoratur corpus & sanguis Christi, non adorantur species. Ergo &c. Præterea Sacramentum nutrit animam, non autem nutriunt species. Ergo &c. Rursus Patres hoc Sacramentum dicunt passim corpus Christi nulla facta mentione specierum. Ergo &c.

Sed probabilius alii existimant rationem Sacramenti in Eucharistia includere utrumque, corpus scilicet & sanguinem Christi, & species; nam non potest includere solum corpus & sanguinem, cum hæc non sint sensibilia, quod tamen ad Sacramentum requiritur. Nec sufficit asserere ipsa reddi sensibilia per species, si enim hæ sunt extrinsecæ Sacramento, non potest hoc per illas reddi in se sensibile: & præterea cum ex Ecclesiæ sensu corpus Christi dicatur in Sacramento contineri, indicium est Sacramentum aliud includere præter corpus Christi, alias hoc diceretur contineri

(a) *Cap.* Cum Martha. *de celebr. Missar.*
(b) *Can.* Ego Berengarius. *de consecr, dist.* 2.

neri in semetipso. Istud autem aliud non potest esse, nisi species. Ergo &c. E contra non potest includere solas species; nam quod habet rationem Sacramenti in Eucharistia, adoratur, est cibus animæ &c.; hæc enim omnia prædicantur de Sacramento Eucharistiæ. At hæc non possunt dici de solis speciebus. Ergo &c.

Ad rationes igitur primæ sententiæ ℟. Innocentium per *Sacramentum tantum* intelligere quod significat, & non significatur, per *rem tantum* quod significatur, & non significat, per *rem & Sacramentum simul* quod & significat, & significatur. Species autem dicit *Sacramentum tantum*, quia significant corpus Christi, & ipsæ per nihil aliud significantur (sicuti gratiam dicit *rem tantum*, quia significatur per species & per corpus Christi, & ipsa nihil aliud significat: & corpus Christi dicit *rem & Sacramentum*, quia & significat gratiam, & significatur a speciebus) sed, ut patet, non sumit nomen *Sacramenti* in ea stricta significatione, in qua a nobis hic sumitur. Porro Berengarius (nisi dicere velimus ipsum sumere Sacramentum, ut sumitur ab Innocentio, quo casu idem erit utriusque sensus) non vult corpus Christi distingui a Sacramento, sed, cum antea docuisset in Eucharistia non esse nisi signum corporis Christi, tunc asseruit esse etiam ipsum corpus, non quod hoc distinguatur a Sacramento complete sumpto, sed quod sit pars illius essentialis. Eodem autem proportionaliter modo dicitur corpus & sanguinem Christi contineri in Eucharistia, quo dicitur animam contineri in homine, quæ tamen est illius pars. Quod tandem Sacramentum sit sensibile non importat, ut omnes partes illud constituentes sint per se sensibiles; sufficit enim si reddantur sensibiles per aliud, ut contritio, quæ est pars Sacramenti Pœnitentiæ per signa externa redditur sensibilis. Corpus ergo Christi licet in Eucharistia non sensibile, ut tamen redditur sensibile per species, potest Sacramentum constituere.

Ad rationes secundæ sententiæ ℟. rigoroſe non adorari totum id, quod conſtituit Sacramentum, ſed id tantum, quod præcipuum in illo eſt, videlicet corpus Domini. Quamvis autem vis nutriendi animam competat corpori Chriſti, non ſpeciebus, de facto tamen hoc non nutrit niſi cum ſpeciebus; nam non nutrit, niſi quatenus eſt Sacramentum, quale non eſt, niſi quatenus eſt ſub ſpeciebus. Tandem Patres hoc Sacramentum dicentes corpus Chriſti ſumunt partem pro toto, ut ſumunt, cum dicunt *Baptiſmus eſt ablutio*; non enim ſolum ab ablutione conſtituitur Baptiſmus, ſed etiam a forma. Ergo &c.

Quamvis Euchariſtiam ingrediantur tum corpus ſub ſpecie panis, tum ſanguis ſub ſpecie vini, unicam tamen ſpeciem Sacramenti conſtituunt; nam utrumque ad unicam ſpiritualem refectionem refertur, ut ad unum totale convivium refertur cibus & potus, conſequenter utrumque eſt moraliter unum totale ſignum unius totalis refectionis. Etſi ergo ſumerentur diſtinctis moraliter ſumptionibus ſpecies panis & vini conſecratæ, ſumerentur duo Sacramenta ſolum numero diſtincta. Quod ſi unica moraliter ſumptione ſumantur, tunc erit unum etiam numero Sacramentum.

Non probabo hic ex profeſſo Euchariſtiam eſſe Sacramentum, tum quia hoc communius concedunt Novatores, tum quia ex dictis apparet, magiſque etiam apparebit ex dicendis omnia de illa verificari, quæ ad verum Sacramentum requiruntur.

CAPUT SECUNDUM.

De materia & forma Euchariſtiæ.

Dixi alibi in Euchariſtia conſiderata in facto eſſe non reperiri niſi materiam & formam improprie talem, quæ conſiſtunt in ſpeciebus ut dicentibus ordinem ad conſecrationem jam peractam. Poſſumus tamen in Euchariſtia etiam ſic conſiderata reperire materiale conſiſtens in complexu ex ſpeciebus & corpore ac ſanguine Chriſti, & forma-

male consistens in practica significatione spiritualis refectionis. Materia vero Eucharistiæ in fieri est panis & vinum, forma sunt verba consecratoria. De his in præsenti. Agam itaque 1. de pane, prout est materia Eucharistiæ: 2. examinabo utrum Christus in azymo, an in fermentato consecraverit: 3. agam de vino: 4. de forma.

ARTICULUS PRIMUS.

Narrat S. Augustinus (a) Montanistas *de infantis anniculi sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquebant, quasi Eucharistiam suam confecisse, miscentes eum farinæ, & panem inde facientes*. Idem S. Doctor narrat (b) quosdam Manichæos sumpsisse Eucharistiam humano semine conspersam. Artotyritæ teste S. Epiphanio (c) pani consecrando caseum adjungebant. Quidam Jacobitæ oleum pani admiscebant teste Anonymo apud Combefisium (d). Hi omnes erraruat materiam ineptam adhibendo pro Eucharistia. At aliter erravit Michael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus, qui 11o. sæculo docere cæpit esse consecrandum in solo pane fermentato, ita ut consecratio in azymo, quæ fit in Ecclesia Latina, sit nulla. Hunc errorem subinde secuti sunt Greci Schismatici.

Contra hos omnes certum est de fide solum panem triticeum & usualem, sive azymus hic sit, sive fermentatus, esse materiam aptam Eucharistiæ (subintellige semper sub specie panis;) Christus enim in pane consecravit, ut docent Evangelia (e). Si autem Christus dicitur consecrasse in pane, id debet intelligi de pane triticeo & usuali, qui solus venit simpliciter nomine panis, cum alii panes tales sint solum secundum quid, & tales dumtaxat

(a) *Heres.* 26. (b) *Heres.* 46.
(c) *Heres.* 49. (d) *Tom.* 2. *Bibl.*
(e) *Matt.* 26. *Luc.* 22. *Marc.* 14.

xat dicantur cum addito diminuente, ut *panis fabaceus, & panis castaneus &c.* Accedit praxis Ecclesiæ, quæ semper hunc panem in consecratione adhibuit, aliasque materias ut ineptas rejecit. Tandem Florentinum ait (a): *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus.*

Quod autem sit aptus tam panis azymus, quam fermentatus, declarat Florentinum inquiens (b): *Definimus . . . in azymo sive in fermentato pane triticeo Christi corpus veraciter confici: Sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.* Et in professione fidei facienda a Græcis edita jussu Gregorii XIII. habetur: *Item in azymo sive in fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici: Sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.* Ex quo nova exurgit probatio desumpta scilicet ex praxi Ecclesiæ Latinæ consecrantis in azymo, Græcæ vero in fermentato, cum tamen utraque valide consecret. Et sane uterque panis est usualis; licet enim nos communiter non adhibeamus azymum, hic tamen adhibebatur a Judæis tempore Christi, & nomine panis simpliciter veniebat, ut colligitur ex quo panes propositionis (c), qui erant azymi, simpliciter dicuntur panes, & ex quo panis, quem Christus redivivus fregit (d) coram duobus discipulis, & qui erat azymus, cum tunc essent dies azymorum, simpliciter dicitur panis. Ergo &c.

Dictum est esse materiam Eucharistiæ panem triticeum & usualem. His verbis venit primo solus panis, qui fit ex tritico proprie tali, cui miscetur aqua

(a) *In Instruct. Arm.* (b) *In def. Synod.*
(c) 1. *Reg.* 21. (d) *Luc.* 24.

aqua naturalis; licet enim aliqui putent dici frumentum quidquid emittit aristas, ut adoreum, hordeum &c. adeoque in omnibus his speciebus valide confici Eucharistiam, cum tamen hæc nonnisi improprie frumentum dicantur, ideo panis ex illis confectus non est aptus pro Eucharistia. Secundo solus panis, qui usualiter venit nomine panis triticei; cum enim aliquid statuitur pro materia vel forma Sacramentorum, illud debet intelligi juxta usum communem. Ex hac ergo ratione non erit aptus consecrationi panis ex siligine (licet hæc per aliquos specie physica non differat a tritico) vel saltem erit materia dubia, multoque minus panis ex lolio. Idem dic de pane ex amydo, quia hoc, licet fiat ex frumento, differt tamen usualiter a pane triticeo. Hoc pariter valet de massa farinæ adhuc crudæ, vel coctæ quidem, sed vel frixa sartagine, vel cocta per elixationem, vel ad solem durata; ita enim non dicitur usualiter panis. (Ubi noto nihil referre sive farina cocta sit in furno, sive sub cineribus, sive intra ferrum calidum, quia sic cocta vere est & dicitur panis.) Idem dicendum de libis, & placentis confectis ex farina triticea, cui miscetur lac vel butyrum, vel saccharum, vel aqua rosacea, vel alius liquor differens moraliter ab aqua usuali; hæc enim non dicuntur panis usualis. Excipe nisi forte quod ex his materiis miscetur, sit tam modicum, ut adhuc compositum censeatur panis usualis, quo tamen casu illicite talis materia adhibebitur.

Constat ex supra dictis teneri Latinos consecrare in azymo, & Græcos in fermentato, & hoc juxta antiquam & graviter obligatoriam consuetudinem utriusque Ecclesiæ. Et sane vel Ecclesia Latina semper adhibuit azymum, ut aliqui censent, vel saltem introductus est illius usus ante undecimum sæculum, cum Michael Cerularius tunc Patriarcha Constantinopolitanus de illo accusaverit Latinos. Ab illo autem tempore ad nos usque viguit usus hic. Usus quoque fermentati in Ecclesia Græca undecimo sæculo erat antiquior, nam S. Leo IX. qui tunc floruit, & qui acriter pugnavit pro

usu

usu Latinorum consecrandi in azymo, supponit vigentem apud Græcos usum fermentati: imo communius Auctores faciunt hunc Græcorum usum antiquiorem Photio, qui nono sæculo vixit.

Putant aliqui nixi illi dicto: *Cum eris Romæ, Romano vivito more*, Græcos apud Latinos commorantes aut peregrinantes posse in azymo consecrare, & in fermentato Latinos sic apud Græcos commorantes aut peregrinantes. Sed cum Benedictus XIV. concedat (a) quidem Græcis apud Italos degentibus, ut se conforment ritibus Latinorum quoad dies festos, quadragesimale jejunium, & universim quoad alias similes consuetudines Diœcesis, in qua habitant, agendo vero de sacrificio districte inhibeat etiam sub pœna perpetuæ suspensionis a Divinis, *ne Presbyteri Græci latino more, & Latini græco ritu sub quovis licentiarum, & facultatum ab Apostolica Sede, vel ejus Legatis, ac etiam majore Pœnitentiario pro tempore existente obtentarum prætextu Missas & alia Divina Officia celebrare, vel celebrari facere præsumant*, ex quibus apparet aliter loquendum de ritu sacrificii, ac de aliis ritibus; ideo non auderem excusare Græcum apud Latinos in azymo, aut Latinum apud Græcos in fermentato celebrantes.

ARTICULUS SECUNDUS.

At consecravitne Christus in azymo, an in fermentato?

Pro celebris quæstionis resolutione

Noto I. debuisse ab Hebræis Mense Nisan, qui partim nostro Martio, partim Aprili correspondet, celebrare Pascha. Ritus hujus celebrationis ita a Deo præscribitur: (b) *Decima die Mensis* (Nisan) *tollat unusquisque agnum per familias & domus suas . . . & servabitis eum usque ad*

(a) *Constit. super Ritib. Græcor.*
(b) *Exod.* 12.

ad 14. *diem mensis hujus, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam . . & edent carnes nocte illa assas igni & azymos panes cum lactucis agrestibus*: & infra: *Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem festivitate venerabilis, nihil operis facietis in eis exceptis his, quæ ad vescendum pertinent . . . . Primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad diem* 21. *ejusdem mensis ad vesperam. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris, qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israel*. Ex his patet debuisse Judæos in vesperis diei 14. mensis Nisan occidere agnum, illumque comedere cum panibus azymis, quorum usus tunc incipiebat, & durabat per 7. dies. Incipiebat quidem, ut dixi, hæc solemnitas in vesperis diei 14., ita tamen ut dies solemnis Paschæ esset dies subsequens 15, dicitur enim: (a) *Quintadecima die mensis hujus solemnitas azymorum Domini est*, & alibi: (b) *Mense primo quartadecima die mensis Phase Domini erit, & quintadecima die solemnitas*. Instituta fuit a Deo hæc solemnitas, ut Hebræi recordarentur beneficii, quod a Deo acceperunt, dum ab Ægyptiaca captivitate liberati sunt.

Noto 2. vesperas diei 14., quibus mactandus erat agnus, non fuisse primas, sed secundas, quidquid dicant Aloysius Legionensis, Basilius Pontius, aliique; nam hæ vesperæ immediate præcedebant diem solemnem quindicesimam. Si enim ita non præcessissent, jam prima dies azymorum non potuisset appellari dies quintadecima, cum certum sit ex allatis testimoniis cœpisse usum azymorum a tempore, quo comedebatur agnus paschalis, & primæ vesperæ diei 14. nullo modo possint dies 15. ut poterant dici secundæ vesperæ. Præterea si per vesperas diei 14. intelligerentur pri-

(a) *Levit.* 23. (b) *Num.* 28.

primæ vesperæ, jam non 7. sed 8. fuissent dies azymorum; nam solemnitas desinebat in vesperis diei 21., quæ quidem sunt secundæ; non enim dici posset festivus dies 21., si festivitas in illius primis vesperis desiisset. Si autem a primis vesperis diei 14. computemus dies usque ad secundas vesperas diei 21., octo apparebunt. Ergo &c.

Hæc sane alio pacto elidi non possunt, nisi dicendo debuisse Hebræos in primis vesperis diei 14. comedere agnum cum azymis, postea autem eis licuisse denuo uti fermentato usque ad secundas vesperas, quibus incipiebant 7. dies Azymorum. Sed hoc incongrue dici patet ex quo inverisimile sit comestionem agni, quæ erat initium solemnitatis paschalis, fuisse separatam a primo die azymorum solemni. Secundo ex quo repugnet sacer textus, in quo indicatur continuatio inter comestionem agni, & reliquos dies azymorum; dicitur enim: *Quartadecima dies mensis ad vesperam comedetis azyma, usque ad diem* 21., ubi particula *usque* continuationem sonat inter diem 14., quo comedendus erat agnus, & diem 21.

At inquiunt Auctores supracitati. Agnus debebat comedi ea die, quam illum comederunt Hebræi in Ægypto; illum autem comederunt Hebræi in primis vesperis diei 14. Ergo &c. Prob. minor. Hebræi egressi sunt de Ægypto die 15. illucescente (a). Ergo agnum comederunt in primis vesperis diei 14. si enim illum comedissent in secundis vesperis, jam ab occisione primogenitorum Ægyptiorum usque ad illorum discessum, paucæ horæ intercessissent, quibus non potuissent ea fieri, quæ facta sunt. Hæc enim sunt facta. Pharao fuit admonitus de hac occisione facta in tota terra Ægypti; ipse a propria regione, quæ erat in Memphis, misit in Gessen, quæ erat in ultimis finibus Ægypti ad vocandum Moysen: a Ges-

(a) *Exod.* 12. *&* *Num.* 33.

Gessen hic discessit, ut iret in Memphim ad Pharaonem: a Memphi Moyses se restituit in Gessen cum mandato regio, ut omnes Hebræi descederent: hoc mandatum fuit omnibus Hebræis patefactum: isti ab Ægyptiis vasa pretiosa petierunt, & obtinuerunt: præparaverunt omnia ad iter necessaria, & congregati sunt simul numero 600000. bellatorum præter senes: infantes, ac mulieres; occisio autem Primogenitorum facta est media nocte (a). Quis porro credat intra paucas horas, quæ a media nocte ad sequentem auroram fluxerunt, hæc omnia fieri potuisse, præcipue cum Hebræis fuisset prohibitum ne discederent a domibus usque mane (b)? Accedit quod Scriptura expresse asserit diem 15. fuisse secundam diem a celebratione Paschæ: dicuntur enim Hebræi (c) *profecti de Ramesse in mense primo* 15. *die mensis primi altera die Phase*. Ergo &c.

℟, Concessa majore, negando minorem, & ad illius probationem advertendo primo Pharaonem, qui vexavit Hebræos non habitasse in Memphis, sed in regione apud Tanaim, quæ parum distabat a terra Gessen, ut docent Geographi Sacri, ad quod respicit illud, ubi dicitur Moyses mirabilia patrasse *in Campo Taneos* (d) Secundo: tempore Moysis Hebræos mixtos Ægyptiis habitasse, & hoc colligitur tum ex quo dicitur (e) Moyses parvulus expositus in flumine, in quo consueverat se lavare filia Pharaonis, & eventum observatum ab ipsius sorore, quæ postea matrem accivit; hoc enim indicat domum matris Moysis non fuisse procul a Regia ejusdem Pharaonis: tum ex quo dicitur (f) Moysen & Aaron, qui cum aliis Israelitis morabantur, quotidie adiisse Regem, & hoc enim indicat ipsos habitasse prope Regiam:

tum

(a) *Exod.* 12. (b) *Ibidem*. (c) *Num.* 33.
(d) *Psalm.* 77. (e) *Exod.* 2.
(f) *Exod.* 7. & 8.

tum ex quo Deus præcipit Israelitis (a) ut peteret unusquisque ab amico suo Ægytio, & mulier a vicina sua vasa aurea & argentea, quod indicat Ægytios fuisse vicinos Israelitis: tum tandem ex præcepto facto ipsis Israelitis (b) de tingendis postibus domorum sanguine agni, ut Angelus præteriens postes sic tinctas, occideret solos primogenitos Ægyptiorum; intactas relinquendo domos Israelitarum; hoc enim indicat mixtas fuisse domos istorum cum domibus illorum. Tertio Hebræos fuisse prius admonitos de eventu futuro, & idcirco omnia præparasse ad iter necessaria, imo ipsos agnum comedisse non mensæ accubantes, sed stantes, & ad iter accinctos juxta præceptum Domini: (c) *Sic comeditis illum* (agnum); *renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter.* His positis.

℟. Potuisse omnia exposita intra paucarum horarum spatium fieri stante propinquitate Pharaonis ad Moysen & Israelitas, & stantibus præparationibus Israelitarum ad iter, & certa eorum scientia de eo, quod erat eventurum. Cum autem hi compellerentur ab Ægyptiis ad discessum, non potuerunt exequi mandatum Moysis de sistendo domi usque mane. Nec urget quod sequitur; duplex enim distingui debet exitus Hebræorum ab Ægypto primus qui factus fuit versus finem noctis: tunc enim omnes turmatim congregati sunt in Ramesse, & de hoc egressu loquitur Exodus: alter qui factus fuit ordinate versus meridiem diei 15., cum ex Ramesse discesserunt, & de isto secundo egressu loquuntur Numeri. Hic dicitur factus altera die Phase (d), quia computando dies naturaliter, dies 15. erat alter dies ab eo, in quo Hebræi comederunt agnum. Ergo &c.

No-

(a) *Ibidem* 11. (b) *Ibidem* 12.
(c) *Ibidem* 12. (d) *Cap*. 33.

Noto 3. Græcos communius contendere Christum anno, quo instituit Eucharistiam, celebrasse Pascha die 13., cum tamen Judæi illud essent celebraturi solum die 14., ex quo sequitur post manducationem agni, cum nondum cœpisset solemnitas Paschalis, illum rediisse ad usum fermentati, & in hoc consecrasse. E contra Latinorum omnium sententia est Christum consecrasse in azymo, licet divisi sint in modo defendendi hanc sententiam. Diversas Latinorum opiniones commodius infra afferam. Interim circa punctum principale sit.

Assertio. *Christus in azymo consecravit.*

Prob. ex Scripturis. In ultima cœna, in qua per omnes Christus consecravit, incipiebant dies azymorum, quibus prohibitus erat usus fermentati. Ergo &c. Prob. antecedens ex illo: (a) *Prima die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha.... & paraverunt Pascha. Vespere autem facto discumbebat cum duodecim &c.* Rursus: (b) *Primo die azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli, quo vis eamus & paremus tibi, ut manduces Pascha?.. & paraverunt Pascha. Vespere autem facto venit cum duodecim, & discumbentibus eis, & manducantibus ait Jesus &c.* Tandem; (c) *Venit autem dies azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha, & misit Petrum, & Joannem.., & cum facta esset hora, discubuit.* Ergo &c.

Prob. ex sensu Ecclesiæ & Patrum sentientium Christum Eucharistiam instituisse post comestionem agni paschalis, adeoque cum cœperant dies azymorum. Ecclesia siquidem canit: (d) *Post agnum typicum expletis epulis, corpus dominicum datum discipulis, sic totum omnibus quod totum* sin-

---

(a) *Matt.* 16. (b) *Marc.* 14. (c) *Luc.* 22.
(d) *In hymno Corp. Christi.*

singulis ejus fatemur manibus. Et Tridentinum ait: (a) *Celebrato veteri Pascha . . . novum instituit Pascha seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum*. Præterea cum supremum Pascha Christi inficiarentur Manichæi, Ebionitæ, & Marcionitæ, dure excepti sunt a Patribus. Rursus Photius (cæteroquin Latinis infestissimus) ait (b) *Chrysostomum & Ecclesiam docere Christum anno, quo traditus est, legitimum Pascha perfecisse, antequam mysticam institueret cœnam*. Ergo &c.

His addere possumus quod, cum ex statutis in tractatu de Incarnatione Christus probabilius mortuus sit anno æræ vulgaris 30., quo luna 14. Mensis Nisan incidit in feriam quintam juxta tabulas astronomicas ibi laudatas, cumque in secundis vesperis hujus feriæ peregerit cœnam Paschalem, in qua prohibitus erat usus fermentati, dicendum profecto illum consecrasse in azymo, qui solus tunc erat permissus.

Obj. ex Scripturis. Cœna, in qua Christus consecravit, non fuit Paschalis. Ergo &c. Prob. antecedens.

I. Cum hæc cœna facta est, nondum advenerat solemnitas Paschalis; hæc enim cœna dicitur facta (c) *ante diem festum Paschæ*. Præterea cum ex hac cœna discessisset Judas, & dixisset ei Jesus (d): *Quod facis, fac citius*, putarunt aliqui dixisse ei Jesum: *Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum*. Dies ergo festus nondum advenerat. Accedit quod Christus cœnam, in qua consecravit, juxta traditionem Ecclesiæ peregit feria quinta. At feria quinta nondum advenerat solemnitas Paschalis; nam mane feriæ sextæ hæc solemnitas adhuc erat futura, ut patet ex illo: (e) *Erat mane & ipsi* (Judæi) *non introierunt Prætorium*

(a) *Sess.* 22. *cap.* 1. (b) *Cod.* 16.
(c) *Jo.* 13. (d) *Ibidem*. (e) *Jo.* 18.

torium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Ergo &c.

II. Cum cœna Paschalis debebat celebrari, Christus jam erat mortuus; nam hæc cœna anno Christi emortuali incidit in secundas feriæ sextæ vesperas, quo tempore Christus erat mortuus; cum mortuus sit versus meridiem hujus diei. Ergo &c. Quod cœna Paschalis eo anno inciderit in secundas vesperas feriæ sextæ probatur. Dies solemnis Paschæ eo anno incidit in diem Sabbathi; de feria enim sexta antecedente dicitur (a) *quod erat Parasceve Paschæ*, & dies ille Sabbathi dicitur *magnus*, non alia certe de causa, nisi quia erat dies solemnis Paschæ. Accedit quod, si dies solemnis Paschæ fuisset feria sexta, quomodo potuissent illa die Judæi accusare Christum, tradere Pilato, atque occidere (præcipue quem Judæi jam statuerant non occidere in die festo juxta illud: (b) *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo*, & quomodo potuisset Josephus mercari Syndonem, Nicodemus & mulieres parare aromata, cum hæc diebus festis essent prohibita? Tandem si solemnitas Paschalis incidisset eo anno in feriam sextam, jam dies Pentecostes juxta legem (c) incidisset in Sabbathum; nam dies Pentecostes erat quinquagesimus a secunda die azymorum. Si ergo secunda dies azymorum erat Sabbathum, ut debebat esse, posito quod prima adeoque festum Paschæ fuisset feria sexta, jam dies quinquagesimus debebat esse Sabbathum. At hoc falsum est; nam anno Christi emortuali Pentecostes incidit in Dominicam, cum ea die illapsus fuerit in Apostolos Spiritus S., qui juxta Ecclesiæ traditionem die Dominica illapsus est. Ergo &c.

(a) *Jo.* 19. (b) *Matt.* 26.
(c) *Levit.* 23.

III. quædam cœnæ Paschali erat præmittenda, quæ Christus ultimæ cœnæ non præmisit; nam antequam in cœna Paschali comederetur agnus, debebat hic immolari in templo, debebat fundi illius sanguis ad Altare, & adeps igne consumi &c. Nihil autem horum egit Christus. Ergo cœna, quam peregit, non fuit Paschalis.

Antequam adductis objectionibus satisfaciam, noto divisos esse Theologos circa ultimum Pascha Christi; dimissis enim iis, qui sentiunt non fuisse a Christo celebratum Pascha anno, quo mortuus est, quo tamen non obstante, inquiunt ipsi, in azymo consecravit, cum per ipsos etiam in vesperis præcedentibus agni mactationem, fermentum a domibus Judæorum esse abigendum, in quam sententiam descendunt P. Lamy, Toinardus, Calmet, Grotius, aliique; his inquam dimissis ob supra adducta testimonia innuentia Christum peregisse Pascha, ob quæ etiam hæc sententia dure communiter excipitur.

Primo plures concedunt diem 14. mensis Nisan anno mortis Christi incidisse in feriam quintam, contendunt tamen diem solemnem Paschæ illo anno fuisse Sabbathum. Sed in explicanda hujus systematis ratione rursus dividuntur. Alii ut Paulus Burgensis, Maldonatus, Manduit &c. docent Hebræos nunquam simul junxisse duo festa, ne tanto tempore impedirentur ab operibus servilibus, sicque cum incidebat Pascha in feriam sextam, ne simul haberentur duo festa, dies scilicet Paschæ & Sabbathum, illos consuevisse differre diem solemnem Paschæ in Sabbathum. Volunt autem isti Christum anno mortis suæ comedisse cœnam non juxta hanc consuetudinem, sed juxta præscriptum legis, adeoque in secundis vesperis feriæ quintæ, cum Judæi illam transtulerint in sequentem feriam sextam, & consequenter dies solemnis Paschæ apud ipsos fuerit Sabbathum.

Alii cum P. Pezronio volunt aliter computatos fuisse dies a Judæis Hierosolymitanis ac a Galilæis; hi siquidem per hos Auctores computabant

dies

dies a conjunctione Lunæ cum Sole, illi a prima Lunæ phasi, quæ uno die est posterior conjunctione; quo fit ut dies 15. juxta Galilæos esset 14. juxta Hierosolymitanos, & hoc maxime eruunt ex usu Hebræorum recentiorum, qui per duos dies continuatos idem Paschatis festum celebrant, quo videntur utrumque diem & 15. juxta Galilæos, & 14. juxta Hierosolymitanos comprehendere. Volunt autem Christum celebrasse Pascha juxta Galilæos, sicque pridie quam celebrarent Hierosolymitani.

Ab hac parum distat sententia P. Harduini, qui & ipse contendit Pascha Galilæorum fuisse uno die prius Paschate Hierosolymitanorum, quia, inquit ipse, cum non sufficeret una dies ad mactandas tot victimas, quot correspondebant omnibus familiis Hebræorum, conventum erat, ut Pascha celebraret una pars una die, altera pars altera die: sicque Christus cum Galilæis celebravit Pascha uno die ante Hierosolymitanos.

Alii cum Chrysostomo volunt diem festum Paschæ debuisse esse pro omnibus feriam sextam, sed contendunt Principes Sacerdotum occupatos in promovenda Christi morte illud distulisse ad sequentem diem, cum tamen Christus illud celebraverit die a lege statuta.

Alii cum Petavio duplex distinguunt Pascha, unum legitimum, quod a sanioribus Judæis servabatur, & servatum est a Christo, aliud perperam inductum & servatum a Pharisæis, quod die sequenti celebrabatur.

Hæ sententiæ si subsisterent, plerasque ex adductis difficultatibus tollerent, illasque præcipue, quæ deducuntur ex incidentia mortis Christi in diem solemnem Paschæ; sed harum nulla subsistit.

Non sententia Burgensis. Primo quia regula ne duo festa continuata celebrentur non erat in usu tempore Christi; testatur enim peritissimus Hebræus R. Maimonides illam non esse antiquiorem Hebræorum fastis, quæ secundo solum sæculo post Christum concinnata sunt. Præterea initio Eccle-

siæ Quartodecimani Judæos imitantes in celebratione Paschæ illud celebrabant semper luna 14. in quamcumque hebdomadæ diem incidisset. Ergo &c. Rursus non subsistit ratio hujus translationis; nam duo maxime sunt operum servilium genera, ob quorum abstinentiam biduo continuatam juxta hos auctores gravati fuissent Hebræi, nimirum præparatio ciborum, & sepultura mortuorum. At prima non erat interdicta omnibus festis, sed solum in Sabbatho: secunda poterat peragi per alienigenas, ut etiam nunc peragitur. (Ut interim omittam quod hæc non videtur fuisse prohibita die festo, ut colligitur ex facto Tobiæ (a), qui in die festo, domum detulit cadaver Judæi occisi, ut postea sepeliret; si enim ita detulit, non erat prohibita delatio, & si hoc, nec sepultura) Ergo &c. Ulterius inutilis fuisset translatio Paschæ in casu; nam si hoc translatum fuisset in Sabbathum, septima dies azymorum, quæ & ipsa erat festiva, incidebat in feriam sextam sequentis hebdomadæ, quo posito en duo festa continuata, hæc nimirum feria, & Sabbathum subsequens: cui incommodo vel occurrendum fuisset transferendo festivitatem septimæ diei in Sabbathum, & sic 8. evadebant dies azymorum, vel illam celebrando feria quinta antecedente, & sic erant tantum 6. Insuper si Christus uno die antevertisset Pascha Pharisæorum, quomodo declinasset illorum offensionem, qui consuetudinum propriarum tenacissimi erant? At inquies: occulte id fecit Christus: attamen aderat Judas, qui sane occasionem hanc non prætermisisset accusandi Christum. Ergo &c.

Nec subsitit sententia Pezronii, primo quia gratis adstruitur usus duplicis diei, ut ipse admittit. Secundo quia Judæis non erat liberum Neomenias pro libito computare, sed standum erat judicio Rectorum populi, qui illas assignabant, cui assi-

(a) *Tob.* 2.

aſſignationi omnes Judæi ſtare debebant, ut docent communiter Rabbini antiqui. Adde quod, ſi uſus iſte duplicis diei viguiſſet, jam viguiſſet pro omnibus feſtis Judæorum, quod magnam feſtorum confuſionem peperiſſet. Ideo autem nunc Hebræi duobus diebus continuatis Paſcha celebrant, ut certi ſint ſe vero die 14. illud celebrare, quæ ratio non valebat pro temporibus Chriſti, quibus aderat Synedrium determinans dies feſtorum celebrandorum. Inſuper contra hanc quoque ſententiam militat ratio contra ſententiam Burgenſis deducta ex offenſione Phariſæorum, qui ſi Paſcha celebrabant una die poſt alios, id certo putabant neceſſario faciendum, adeoque contra agentes reos violatæ legis exiſtimaſſent. Ulterius duplex hoc Paſcha opponitur præcepto Dei de Paſchate celebrando; præceperat enim Deus, ut ante comeſtionem agni eadem die hic mactaretur ab univerſo populo: *Immolabit* (*a*) *eum univerſa multitudo filiorum Iſrael*, ubi in textu hebraico habetur: *Omnis cœtus filiorum Iſrael*, in Targum: *Omnis Eccleſia filiorum Iſrael*, in textu Samaritano: *Omnis congregatio Synagogæ*, quæ omnia indicant hanc mactationem debuiſſe fieri a toto ſimul populo. Si autem mactatio a toto ſimul populo debebat fieri, ergo etiam Paſcha adeoque &c.

Non ſubſiſtit ſententia Harduini; exceptis enim rationibus deductis vel ex quo ad Principes Sacerdotum ſpectabat determinare feſta, vel ex offenſione, quam percepiſſent Phariſæi ob Paſcha a Chriſto anticipatum, contra illam militant rationes aliæ omnes, quæ ſupra contra ſententiam Pezronii allatæ ſunt.

Nec ſubſiſtit ſententia Chryſoſtomi (qui tamen in ea videtur non fuiſſe conſtans, cum alibi ſcribat (b): *Et immiſerunt in eum manus, ac tenuerunt illum ipſa nocte, in qua comederunt Paſcha*)

(a) *Exod.* 12.
(b(*Homil.* 83. *ol-* 84. *in Matt. n.* 2.

ſcha) tum quia nullum apparet ſolidum fundamentum illius, tum quia inveriſimile eſt Principes Sacerdotum diſtuliſſe, & conſequenter feciſſe, ut totus populus differret maximam ſolemnitatem, qualis erat Paſchalis.

Solido quoque fundamento deſtituta videtur ſententia Petavii, quo fit, ut ipſa ſit rejicienda.

His ergo ſententiis dimiſſis, alio modo objectionibus occurrendum eſt.

Ad I. Igitur ℟. S. Joannem aſſerentem Chriſtum cœnam celebraſſe *ante diem feſtum Paſchæ*, intelligendum de die uſuali vel naturali. Triplex enim erat dies apud Judæos, *uſualis*, qui procedebat ab ortu uſque ad occaſum ſolis, *naturalis*, qui procedebat a media in mediam noctem & *legalis* qui a primis ad ſecundas veſperas procedebat (& hoc cohærenter ad illud (a): *A veſperis uſque ad veſperam celebrabitis Sabbatha veſtra*). Quamvis ergo ſecundæ veſperæ diei 14. eſſent dies feſtus Paſchæ ſumptus *legaliter*, erant tamen ante illum ſumptum *uſualiter* vel *naturaliter*. Hoc poſteriori modo ſumitur dies Paſchæ a S. Joanne, cum ab aliis Evangeliſtis ſumatur legaliter, dum dicunt Chriſtum prima die azymorum comediſſe agnum. Ad id, quod additur, ℟. potuiſſe Apoſtolos exiſtimare Judam miſſum ad emenda neceſſaria vel ad victum ſequentis diei feſti ſumpti uſualiter aut naturaliter, vel ad Sacrificia tali die, & ſequentibus celebranda. Illud porro Paſcha, quod mane feriæ ſextæ adhuc debebant comedere Judæi, non erat agnus Paſchalis, ſed aliæ victimæ, quæ diebus azymorum offerebantur, & comedebantur, & quæ nomine *Paſchæ* comprehendebantur, ut patet ex illo (b): *Immolabis Phaſe Domino Deo tuo de ovibus & de bobus*, & ex alio (c): *Dederunt cæteris Levitis ad celebrandum Phaſe quinquemillia pecorum, & boves quingentos*. Ergo &c.

Ad

(a) *Levit.* 23. (b) *Deut.* 16.
(c) 2. *Paralip.* 35.

Ad II. ℞. festum Paschæ anno mortis Christi incidisse in feriam sextam, adeoque in ipsam diem, qua Christus mortuus est, quin obstent objecta. Idem enim feria sexta dicitur *Parasceve* Paschæ, quia erat præparatio ad Sabbathum incidens in tempus Paschale, non quia esset præparatio ad Pascha, cum vox *Parasceve* denotaret diem, qua præparabantur cibaria pro die sequenti: hæc autem sic præpararentur quidem ante Sabbathum, quo non poterant præparari, non autem ante alios dies festos, quibus præparari poterant, ut colligitur ex illo: (a) *Dies prima azimorum erit Sancta atque solemnis, & dies septima eadem festivitate venerabilis, nihil operis facietis in eis exceptis his, quæ ad vescendum pertinent*. Et sane de Parasceve Sabbathi hic sermonem esse indicat S. Marcus ita rem explicans: (b) *Erat autem Parasceve, quod est ante Sabbathum.* Dies porro Sabbathi sequentis dicitur magnus, quia incidebat infra dies azimorum, unde præter solemnitatem omnibus Sabbathis communem, aliam etiam habebat peculiarem ortam ex diebus azimorum. Nec est inverisimile ipso die festo Christum fuisse a Judæis traditum Pilato, & crucifixum; nam primo testatur Maimonides consuetum fuisse Hebræis reos die festo occidere; dicit enim: (c) *Usque ad festum insignem sontem custodiunt, & ipso festo strangulant, quia dictum est, & omnis Israel audiet, & timebit*. Ulterius facile sibi persuaserunt, vel potius persuadere finxerunt, Judæi se gratum opus facere Deo occidendo Christum, quem ut reum violatæ legis traducebant. Nec pariter est inverisimile Josephum tunc potuisse mercari syndonem, & Nicodemum ac mulieres aromata; cum enim hæc ad officium pie-

 tatis

(a) *Exod.* 12. (b) *Cap.* 15.
(c) *Cap.* 4, *Hibroten.*

tatis spectarent, non erant prohibita die festo. Judæi quidem statuerunt non occidere Christum die festo timentes tumultum populi, in quo plures erant maximis beneficiis a Christo affecti, sed postea arrepta occasione, quam ipsis suppeditavit Judas, consilium mutarunt, & ipso die festo occiderunt.

Ad difficultatem desumptam ex festo Pentecostes aliqui respondent Spiritum S. die Sabbathi illapsum in Apostolos, qui proinde traditionem Ecclesiæ spernant necesse est. Alii respondent Scripturam asserentem illum descendisse, cum complerentur dies Pentecostes, loqui de Pentecoste non Judæorum, sed Christianorum, quæ utpote posterior 50. diebus resurrectione Christi, incidit in Dominicam. Sane, inquiunt isti, cum dicitur (a) Paulum festinasse ut celebraret Pentecosten Hierosolymis, id intelligitur de Pentecoste Christianorum. Ergo a pari &c. Quod si objiciatur, cum descendit Spiritus S. nullam fuisse Pentecosten Christianorum, quæ postea instituta fuit in memoriam illapsus Spiritus Sanctus, (secus ac cum Paulus festinavit ad celebrandam Pentecosten Hierosolymis) respondent isti fuisse in usu Pentecosten Christianorum, saltem cum S. Lucas scribebat, & proinde de hac ipsum loqui potuisse. Hæc responsio est probabilis. Respondent alii S. Lucam ibi agere de Pentecoste Judæorum, sed & isti dividuntur. Alii putant hoc festum anno mortis Christi incidisse in Dominicam, alii in Sabbathum. Primi cum Bellarmino rem ita explicant. Festum Pentecostes celebrari debebat die 50. ab eo die, quo oblatus fuerat manipulus primitiarum (b): *Numerabitis ab altera die Sabbathi, in quo obtulistis manipulum primitiarum, 7. hebdomadas plenas*. Manipulum autem debebant Judœi metere die secunda azymorum, ut constat ex

---

(a) *Act.* 20. (b) *Levit.* 23.

ex illo: *ab altero die Sabbathi*, idest a *secunda die* solemnitatis, quæ per Sabbathum indicatur, & ex Josepho (a). Sed cum hæc secunda dies incidebat in Sabbathum, ut incidit anno mortis Christi, hoc differebant in tertiam diem, cum Sabbatho non possent metere, utpote in quo omnia opera servilia erant prohibita. Illo igitur anno computatio 7. hebdomadarum incipiebat a tertia die azymorum, quo posito dies 50. incidit in Dominicam. Hæc responsio & ipsa probabilis est. Alii, qui putant Pentecosten Judæorum tunc incidisse in Sabbathum, illud *cum complerentur* explicant *cum completi essent*, idest expletis totis 50. diebus a Paschate Judæorum. Quid tandem si dicamus 50. dies debuisse computari a secunda die azymorum non inclusive, sed exclusive? Sic sane anno mortis Christi dies quinquagesimus fuit Dominica, & en tota sublata difficultas.

Ad III. ℟. Quod, licet in Evangelio non exprimatur præmissa fuisse omnia, quæ erant præmittenda comestioni agni, hæc tamen sunt subintelligenda; non enim *omnia, quæ fecit Jesus*, ut inquit S. Joannes (b), *scripta sunt*.

Obj. ex Patribus. Ex his plures docent Christum anno mortis suæ Pascha legale non peregisse. Ita S Petrus Alexandrinus, S. Hyppolitus, aliique adducti in Chronico Paschali. Ergo &c.

℟. Auctoritatem Chronici Paschalis fere nullam esse, cum Petavius, Scaliger, Harduinus, aliique doctissimi viri multos anacronismos, multasque falsitates in ipso notarint. Vel ergo nullus Patrum fuit in adducta sententia, vel tam pauci illi fuerunt, ut in comparatione illorum, qui nobiscum sentiunt, nullus contrarium sentire dici possit.

Obj. ex ratione. Agnus Paschalis erat figura mortis Christi. Congruum ergo erat, ut eadem

 die

(a) *Lib.* 3. *Antiq. Cap.* 10.
(b) *Cap. ultim. Evang.*

die moreretur Christus. quo juxta legem mactari debebat agnus paschalis. Cum igitur Christus mortuus sit feria sexta, eadem feria debebat mactari agnus paschalis, quo posito jam solemnitas paschalis in diem Sabbathi incidisse dicenda est, adeoque &c.

℟. Ad salvandum, quod agnus paschalis esset figura mortis Christi, necesse non fuisse, quod hic eo ipso tempore mactaretur, quo ille mactari debebat; & licet hoc fuisset necessarium, sufficienter verificatum esse, cum Christus occisus sit eodem die, sin minus naturaliter, aut usualiter saltem legaliter sumpto, quo agnus occidi debebat.

ARTICULUS TERTIUS.

Ad materiam modo Eucharistiæ sub specie vini transeundum. Hanc esse vinum, & quidem de vite certum est: Christus enim hoc consecravit, ut constat ex illo (a): *Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes; hic est enim Sanguis meus &c. . . . Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis &c.* Quibus similia habent alii Evangelistæ. Hinc Florentinum inquit: (b) *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet.* Favent communiter Patres, & Ecclesiæ praxis.

Errarunt ergo tum Aquarii, secta quædam, de qua Augustinus, quæ solam aquam in Eucharistia adhibendam esse docebat, Encratitæ, Ebionitæ, & Manichæi, qui vinum judicantes fel draconum, & a malo principio conditum illud ab Eucharistia rejiciebant, & quidam Novatores, qui volunt in defectu vini posse Eucharistiam consecrari in alio liquore.

Nec

(a) *Matt.* 26. (b) *In Instr. Arm.*

Nec obstat quod narrat Raphael Volaterranus (a) Innocentium VII. indulsisse Norvegiis, ut sine vino sacrificarent, eo quod ob immensa frigora vinum in ea regione importatum acescat; nam indultum hoc commentitium esse colligitur ex Raynaldo (b) & Bovio, aliisque narrantibus plura falsa indulta, & hoc etiam inter alia, fuisse sub ementito nomine istius Pontificis promulgata a scelestis quibusdam, qui proinde strangulati, & cremati sunt. Præterea nec subsistit hujus indulti ratio; vinum enim in Norvegia & asservari & esse in usu pluribus testimoniis constat. Ergo &c.

Ex dictis sequitur non valere consecrationem in succo expresso e piris, pomis, cerasis, melogranatis, ac similibus, cum non sit vinum de vite. Succus autem ipse uvæ debet esse talis, ut veniat nomine *vini usualis*. Hinc succus expressus ex uvis nondum maturis vulgo *agresta* est materia inepta; non enim venit simpliciter nomine vini. Nec ob eandem rationem valebit acetum: si tamen vinum incipiat quidem acescere, sed nondum possit dici acetum, erit materia valida, quamvis graviter illicita. Erit pariter materia invalida lora, idest aqua expressis acinis superfusa. Aliud vinum, quod vulgo dicitur *vino longo*, erit materia apta, sed illicita. Non tamen refert, si vinum factum sit ex uva, cui superimposita fuerit discreta portio aquæ, ut fit communius apud nos. Nec valet succus etiam maturus contentus, aut etiam imbibitus vel in pane, vel in alio aliquo simili, nec sappa, nec latex vulgo *acqua vite*, cum nihil ex his moraliter sit vinum usuale. An vinum congelatum sit validum, dubitatur: speculative loquendo videtur validum, quia sicuti congelatio non tollit consecrationem jam factam, ita nec videtur impedire faciendam. Ulterius tale vinum

---

(a) *Lib. 7. Geograph.*
(b) *Ad an.* 1490.

num ex propria natura est porabile. Ergo &c. Nec objicias ex paritate aquæ congelatæ, quæ non potest esse materia Baptismi; nam disparitas est, quod Baptismus consistit in actione abluendi, quæ haberi nequit, cum materia est congelata: at Eucharistia, cum sit Sacramentum permanens, non consistit in actione bibendi. Ergo &c. Cæterum quidquid sit de validitate harum rationum, practice erit grave peccatum in vino congelato consecrare. Non autem refert, utrum vinum album sit, vel nigrum.

Vino pro Eucharistia debet misceri modicum aquæ ex Ecclesiæ traditione & præcepto, quidquid dixerint Armeni solum vinum adhibentes pro Eucharistia, & quidam Novatores putantes hanc mixtionem non esse præceptam. Traditionis hujus & præcepti testimonium suppeditat Florentinum inquiens: (a) *Cum tam S. Romana Ecclesia a Beatis Apostolis Petro & Paulo edocta, quam reliquæ omnes Latinorum Græcorumque Ecclesiæ ..... ab initio nascentis Ecclesiæ servaverint & modo servent* (mixtionem aquæ cum vino), *inconveniens admodum videtur, ut quævis alia regio ab hac universali & rationabili discrepet observantia. Decernimus igitur, ut ipsi etiam Armeni cum universo Christiano orbe se conforment, eorumque Sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ admisceant vino*,

Hujus mixtionis præter præceptum tres assignat causas Tridentinum inquiens: (b) *Monet S. Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo misceant, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur, & cum aquæ in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.*

Præ-

(a) *In Instruct. Arm.* (b) *Sess. 22. cap. 7.*

Præceptum hoc probabilius est mere Ecclesiasticum, fundatum tamen, ut dixi, in exemplo Christi, unde si aliqui Patres asserunt perfici hoc Sacramentum hac mixtione, ut asserit S. Cyprianus (a) loquuntur de Sacramento sumpto quoad omnes significationes etiam accidentales. Cæterum significatio & ratio Sacramenti essentialis habetur etiam sine aqua. Hoc tamen præceptum, quamvis solum Ecclesiasticum, obligat sub gravi.

Aquam istam converti in sanguinem Domini certum est; forma enim consecratoria profertur super totum id, quod in calice continetur, & id totum post consecrationem exhibetur adorandum ut sanguis Christi. An vero convertatur in sanguinem immediate, an solum mediate, quatenus scilicet prius convertatur in vinum, quod postea immediate in sanguinem transmutetur, controversum est, Plures stant pro conversione immediata, plures pro mediata. Animus non est in quæstione hac mere scholastica vix ullius utilitatis tempus terere. Dico tamen probabilius videri hanc aquam converti immediate in sanguinem, nunquam enim aqua vino mixta in vinum convertitur, sed semper remanet aqua, cum & possit arte extrahi a vino, & alias non posset debilitare vinum; si enim debilitat, & ita debilitat, ut quo magis aqua vino miscetur, tanto magis hoc ad aquam accedat, indicium est remanere particulas aquæ in esse aquæ, etiam cum vino permixtæ sunt. Præterea præscribunt Rubricæ Missalis, ut, si Sacerdos immediate ante consecrationem recordetur se non apposuisse aquam, apponat, & statim consecret: quo casu nec per Adversarios in vinum convertitur præ temporis angustia. Ergo tunc convertitur in sanguinem Christi immediate. Etsi tunc, quare non semper, cum ex visis semper remaneat aqua? Quod si Patres aliquando solius vini meminerunt, id oritur ex

(a) *Epist. 63. ad Cæcil.*

ex quo solum vinum est materia essentialis, & aqua vino mixta non tollit, quod contentum in calice juxta moralem sensum possit dici simpliciter vinum.

ARTICULUS QUARTUS.

Nunc de forma Eucharistiæ est agendum, circa quam

Noto I. aliquos Hæreticos negare ulla esse adhibenda verba in consecratione. Ita Martinus Bucerus. Plures alii ex Novatoribus concedunt ea esse adhibenda, sed solum ut excitativa fidei in audientibus. Catholici volunt ea esse adhibenda ut consecratoria, sed hi rursus dividuntur; nam alii volunt ea verba præscripta esse a Christo, ita tamen ut ipse absque verbis consecraverit, alii volunt eadem verba a Christo adhibita. Rursus alii formam consecrationis essentialem constituunt in iis tantum verbis: *hoc est corpus meum: hic est calix sanguinis mei*, alii præter ista alia ut essentialia requirunt. Plures Græci volunt ad essentiam etiam pertinere orationem, quam ipsi fundunt post verba: *hoc est corpus meum: hic est Sanguis &c.* scilicet: *Ut Spiritus Sanctus efficiat in nobis panem hunc pretiosum corpus Christi tui, & quod in calice isto est pretiosum Sanguinem Christi tui, transmutetque ipsa Spiritu Sancto tuo*. Alii etiam putant illis *hoc est corpus meum* essentialiter addendum esse *quod pro vobis tradetur*. Aliqui dicunt Scotum docuisse sin minus ad essentiam pertinere, saltem esse necessaria ut conditiones illa verba; *Qui pridie, quam pateretur &c.* & alia: *simili modo, postquam cænatum est*. Plures tamen Scotistæ censent Scotum a sententia aliorum circa hoc non recedere. S. Thomas videtur admisisse ut essentialia consecrationi calicis nedum illa verba: *hic est calix sanguinis mei*, sed etiam subsequentia: *qui pro vobis &c.* Sed plures Thomistæ conantur explicare mentem S. Doctoris juxta sententiam communem.

Noto

Noto 2. errorem Buceri sufficienter confutandum per hoc, quod probetur, ut fiet infra, formam consecrationis essentialiter consistere in illis verbis; *hoc est corpus*, sequentem vero errorem sufficienter fuisse confutatum in tractatu de Sacramentis in genere. Addi tamen hic potest praxis hodierna Ecclesiæ Occidentalis, quæ dicta verba profert secreto, adeoque modo non apto ad excitandam fidem in audientibus. His præmissis sit.

Assertio Prima. *Christus consecravit per verba, quibus modo perficitur consecratio,*

Prob. ex Tridentino dicente: (a) *Hoc admirabile Sacramentum in ultima cœna instituit* (Christus) *cum post panis vinique benedictionem, se suum corpus præbere, ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est quæ verba a sanctis Evangelistis commemorata a Divo Paulo postea repetita sunt*. Ergo &c.

Prob. ex Patribus. Sufficiat Tertullianus inquiens (b): *Acceptum panem, & distributum discipulis corpus illum suum fecit, hoc est corpus meum dicendo*. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. Christus in Emmaus consecravit absque verbis; hæc enim Scriptura non memorat (c): ex quo colligi potest eum etiam sic consecrasse in ultima cœna.

℟. primo plures probabiliter contendere tunc Christum non consecrasse. Secundo dato quod consecraverit, dico eum verba consecratoria protulisse, licet Scriptura hæc non memoret: nisi dicatur hæc verba in Scripturis significari per benedictionem, quam Christus tunc dicitur pani impertitus.

No-

(a) *Sess.* 13. *cap.* 1.
(b) *Lib.* 4. *contr. Marcion. cap.* 40.
(c) *Luc.* 29.

Noto tamen hanc assertionem non esse definitam in Tridentino; nam licet plures contenderent, ut definiretur, repugnavit tamen Concilium, ut docent Catharinus, & Salmeron Theologi ejusdem Concilii.

Assertio secunda. *Verba consecratoria, quæ proinde constituunt essentialiter formam Eucharistiæ, consistunt in iis*; Hoc est corpus meum, hic est calix Sanguinis mei, *vel*: Hic est sanguis meus, *& quidem in iis solis*.

Quoad primam partem probatur assertio ex sensu & praxi Ecclesiæ.

Quoad secundam vero prob. I. Ea solum verba Sacerdos pofert in persona Christi, & quidem ita ut sint necessaria ad significandum id quod causant. Ergo &c. II. Si præter ista alia essent verba essentialia, essent vel illa: *qui pridie quam pateretur &c.* vel vox *enim*, vel illa: *accipite & manducate*, vel illa: *simili modo postquam cœnatum est*, vel illa verba in consecratione panis, *quod pro vobis tradetur*, vel alia in consecratione vini *qui pro vobis effundetur*, vel subsequens oratio Atqui nihil horum est essentiale: nam prima verba sunt mere historica, & ab Ecclesia inventa: vox *enim* & ipsa inventa est ab Ecclesia ad conjungendum illud *accipite* cum aliis *hoc est corpus meum*: illud *accipite & manducate* quamvis prolatum nomine Christi non refertur ad consecrationem, sed ad sumptionem: de aliis *simili modo &c.* idem dicendum ac de illis, *qui pridie quam pateretur*. Ante illud *quod pro vobis tradetur*, & *pro vobis effundetur*, forma est sufficienter determinata ad significandam conversionem materiæ in corpus Christi. Illa tandem oratio non in persona Christi profertur, & præterea nec ex Scriptura, nec ex traditione constat Christum illi alligasse consecrationem. Ergo &c.

Contra secundam partem.

Obj. ex Scripturis. Illa verba *quod pro vobis tradetur* (a) in persona Christi proferuntur, &

(a) I. *Cor.* II.

& a Christo consecrante sunt prolata. Ergo ad essentiam pertinent.

R/. negando consequentiam: primo quia si ad essentiam pertinerent, illa non omisissent Matthæus & Marcus: secundo quia ea non ommitteret Ecclesia Latina: tertio quia priora verba sunt satis explicativa transubstantiationis. Ergo &c.

Obj. ex praxi Ecclesiæ. Ante orationem supra expositam etsi prolata sint verba *hoc est corpus &c. hic est sanguis &c*, nondum facta est consecratio; si enim hæc facta fuisset, dicta oratio esset inepta. Ergo hæc etiam oratio est de essentia.

R/. dictam orationem fundi non ut petatur a Deo transubstantiatio, sed spirituale per illam alimentum fidelibus, adeoque eundem illa habet sensum, ac qui clarius exprimitur in oratione Latinorum: *Jube hæc preferri per manus Sancti Angeli tui in sublime altare tuum . . . ut quotquot ex hac altaris participatione Sacrosanctum Filii tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur*.

Obj. ex Patribus. I. ex iis plures ut Irenæus, Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius, & Augustinus dicunt consecrationem fieri precibus & invocatione. Ergo oratio est de essentia formæ Eucharistiæ; & si oratio, potius jam assignata, quam alia, cum ipsa connotet immediate consecrationem.

II. Apud Basilium etiam post prolationem verborum Domini panis & vinum appellantur *antytypa* (a) idest gerentia typum corporis & sanguinis Domini. *Antytypa* autem non appellantur nisi ante consecrationem ex Damasceno dicente: (b) *Si aliqui antytypa corporis & sanguinis Domini panem vinumque appellaverint, quemadmodum Deifer inquit Basilius, non post consecrationem, sed an-*

(a) *In Liturg.* (b) *Lib. 4. de fide cap.* 14.

antequam consecraretur oblatio, *appellarunt*. Ergo etiam post prolationem verborum dominicorum desideratur consecratio. Aliquid ergo ulterius requiritur, quod non potest esse nisi oratio de qua supra. Ergo &c.

Ad I. ℟. cohærenter ad alias dicta Patres nomine invocationis & precum vel intelligere verba ipsa dominica, quibus per nos conficitur consecratio, vel ipsos ita loqui, quatenus in consecratione adhibentur preces, non ut forma ipsius consecrationis, sed ut dispostiones ad ipsam, aut complementa illius accidentalia.

Ad II. (omissis variis explicationibus vocis *antytyporum*, juxta quas fatentibus peritis Græci idiomatis hæc vox non semper significat figuram seu typum excludentem rei veritatem, sed aliquando etiam eandem rei veritatem significat, quo sensu panis & vinum etiam post consecrationem dici possunt *antytypa* corporis Chsisti, scilicet vere hoc corpus continentia) ℟. primo etiam panem & vinum consecratum posse dici *antytypa* corporis & sanguinis Domini, quatenus repræsentant idem corpus, cum fuit in cruce immolatum, & sanguinem, cum fuit in cruce effusus, quomodo Christus transfiguratus in Thabor fuit figura & typus sui ipsius, prout videbitur gloriosus in cœlo. Sed in obsequium Damasceni volentis panem & vinum dici a Basilio *antytypa* corporis & sanguinis Christi solum ante consecrationem, ℟. secundo Basilium quamvis aptantem vocem *antytyporum* pani & vino post verba dominica, illa tamen non considerare pro statu præsenti, sed pro præterito, pro statu scilicet, in quo ante prolationem eorundem verborum proposita sunt, ut consecrarentur, & de facto ait in tempore præterito *Cum proposuerimus antytypa sancti corporis & sanguinis Christi &c.* Ergo &c.

Ad uberiorem dictorum confirmationem adverto in Liturgiis Græcis Basilii, Chrysostomi &c. cum Sacerdos alta voce pronunciavit verba domica: *Hoc est corpus*, *Hic est sanguis*, *&c.* etiam antecedenter ad dictam orationem populum respondere

dere *amen*, qua responsione profitetur se agnoscere ibi revera corpus & sanguinem Christi. Imo ipsi Græci in Florentino post multas tergiversationes confessi sunt transubstantiationem solum per verba dominica fieri, ut constat ex actis Concilii, & ex autographo hujus confessionis, quod edidit Mabillonius (a).

Obj. ex ratione pro Scoto. Independenter ab illis verbis: *Qui pridie, quam pateretur &c.* verba: *Hoc est corpus meum*, non denotant corpus Christi, sed ipsius Sacerdotis. Ergo &c.

℟. Negando antecedens; satis enim determinantur illa: *Hoc est corpus meum &c.* ad significandum corpus Christi ex ipsius institutione & intentione proferentis. Et sane si ex his non determinarentur, jam neque connotarent quod habet pro manibus Sacerdos, sed quod pro manibus habebat Christus; hoc enim, & non illud denotat contextus sermonis. Sicuti ergo etiam per Scotum debet admitti, quod denotatio materiæ Sacerdoti præsentis non ex verbis antecedentibus: *Qui pridie, quam pateretur*, sed ex intentione Ministri, & institutione Christi oriatur; ita a pari in casu.

Quæ pro sententia S. Thomæ tributa afferuntur hic omitto, cum ex dictis hucusque facile solvi possint.

Ad uberiorem tamen dictorum intelligentiam hæc sunt addenda. I. Verba Christi in consecratione a Sacerdote proferuntur tum *recitative*, quatenus narratur gestum quod est a Christo: tum *assertive*, quatenus Sacerdos vult per illa facere, quod fecit Christus; quomodo si aliquis tentatus a Diabolo, ut ipsum a se repelleret, ita loqueretur: *Dixit olim Christus, quod ego nunc dico: Vade retro Satanas*, hæc posteriora verba tum *recitative* proferret narrando ea fuisse a Christo dicta, tum *assertive*, quatenus & ipse per illa vellet

(a) *Tom. I. Musæi Italici.*

let proportionaliter facere quod fecit Christus. Reliqua autem verba præter ista ab illis: *Qui pridie, quam pateretur*, usque ad finem profert solum *recitative*.

II. Pronomen *hoc* & *hic* non denotat panem & vinum, alias forma esset falsa, cum nec panis nec vinum sint corpus & sanguis Christi; nec denotant species panis & vini, cum nec istæ sint corpus & sanguis, sed denotant corpus & sanguinem Christi non quidem sub explicita & distincta ratione corporis & sanguinis, alias formæ consecratoriæ essent propositiones nugatoriæ, cum sensus esset: *Hoc corpus meum est corpus meum &c.* sed sub ratione confusa illius, quod sub speciebus continetur in fine prolationis formæ. Pronomina enim *hoc* & *hic* cum inserviunt pro subjecto propositionis, & substantivum adjunctum non habent, significant confuse & generatim rem aliquam, quæ res tandem, si propositio est affirmativa, idem est, ac prædicatum: ut si dicerem: *hoc est aurum*, illud *hoc* signicat hanc rem, quæ licet tandem sit aurum, confuse tantum exprimit rationem auri. Dixi hæc pronomina significare id, quod *sub speciebus continetur in fine prolationis formæ*; cum enim hæc sit practica & operativa, illud debet denotari, quod per ipsam producetur, quodque non producetur nisi in fine prolationis formæ, ut si E. G. incipiendo circulum circino delineare dicam; *hic est circulus*, illud *hic* denotat illud, quod in fine actionis per illam producetur. Nec dicas formam consecratoriam importare conversionem materiæ in corpus & sanguinem Christi, unde illud *est* significat *convertitur*, quo admisso illud *hoc* & *hic* significat panem & vinum, cum hæc sola convertantur in corpus & sanguinem Christi; nam forma hanc conversionem significat in actu solum exercito, non in actu signato. Ex quo patet vocem *hic* non sumi ut adverbium, sed ut pronomen, & quidem *hic* sicuti & *hoc* non adjective sumi, sed substantive. Ubi etiam adverto pronomen *hic* in forma vini denotare calicem, sumendo tamen continens pro contento. Ut

Ut verificetur forma conſecratoria requiritur primo, ut materia ſit præſens conſecranti; alias non poſſent verificari pronomina *hoc* & *hic* rem præſentem denotantia. Præſentiam hanc aliqui determinant, ut materia non poſſit eſſe diſtans pluſquam 10. paſſus, alii pluſquam 20., alii pluſquam 40., alii pluſquam 100. Quidquid ſit de hoc, ſtandum eſt praxi Eccleſiæ, quæ non conſecrat materiam niſi valde propinquam. Secundo ut materia ſit aliquo ſenſu perceptibilis, alias per pronomina *hoc* & *hic* non denotaretur. Ubi noto ſufficere, ſi ſenſu ſit perceptibilis ſaltem in alio, E. G. in theca aut vaſe illam continente: ſicque valida eſt conſecratio particularum in pixide contentarum, etſi pixis ob inadvertentiam Sacerdotis non aperiatur (ſi tamen cætera concurrant). Tertio ut materia ſit determinata, idque ob eandem rationem ad verificanda ſcilicet pronomina *hoc* & *hic*. Hinc ſi hoſtia non conſecrata miſceatur conſecratis, ita ut ab iis diſcerni non poſſit, cum nequeat ſola conſecrari, quia non poteſt determinari, vel diſtribuendæ erunt ſingulis communicantibus duæ hoſtiæ. vel conſecrandus denuo totus cumulus hoſtiarum. Rurſus ſi Sacerdos E. G. mille particulas coram ſe haberet, & vellet tantum 10. conſecrare, nec eas determinaret: nulla eſſet conſecrata, ſecus ſi ipſe putaret unam eſſe hoſtiam, & poſtea duæ ſimul in eodem corporali reperirentur; tunc enim regulariter loquendo ambæ eſſent conſecratæ, cum regulariter Sacerdos velit conſecrare materiam præſentem in corporali. Quod ſi hoſtia eſſet extra corporale, non eſſet conſecrata, cum intentio conſecrandi materiam extra corporale nunquam præſumatur. Idem dic reſpectu guttarum vini calici adhærentium, nam ſi adhæreant interius, cenſentur conſecratæ: ſi exterius, non cenſentur, cum intentio Sacerdotis regulariter dirigatur ad conſecrandum totum id, quod eſt in calice, non vero quod eſt extra calicem. In praxi tamen curandum, ut ante Offertorium iſtæ guttæ etiam interius adhærentes abſtergantur, aut levi calicis inclinatione reliquo vino uniantur.

CAPUT TERTIUM.

De reali præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia.

AFferam hic 1. errores, qui fuerunt circa hanc præsentiam: 2. probabo corpus & sanguinem Christi esse realiter præsentia in Eucharistia. 3. probabo in Eucharistia non esse substantiam panis & vini: 4. probabo in Eucharistia esse corpus & sanguinem Christi permanenter. 5. aliquot quæsita afferam ad meliorem dictorum intelligentiam spectantia.

ARTICULUS PRIMUS.

Multi fuerunt antiquitus Hæretici, qui realem præsentiam corporis & sanguinis Christi ab Eucharistia sustulerunt, ut Simoniani, Marcionitæ aliique Phantasiastæ, necnon Messaliani & Entusiastæ. Sæculo 9. in suspicionem erroris circa hoc venerunt Rabanus Maurus, & Ratramnus, qui scripserunt contra librum Paschasii Ratberti, in quo ostendebat realem præsentiam corporis & sanguinis Domini in Eucharistia, sed illos a Paschasio discordasse solum circa modum loquendi tradunt plures. 11. sæculo prodiit hæresis Berengarii, qui primo videtur negasse realem Christi præsentiam in Eucharistia, mox illam admisisse simul cum pane. Hos tandem errores ipse rejecit. Sequentibus sæculis Petrus de Bruis, deinde Albigenses, postea Carlostadius, Zuinglius, Ecolampadius, Bucerus, & Sociniani hanc præsentiam sustulerunt. Lutherus illam admisit, sed simul cum pane, unde ipse & ipsius asseclæ *Impanatores* dicti sunt. Ex quo sequitur ipsum transubstantiationem negasse, idest mutationem de una in aliam substantiam, quamvis & hanc postea inconstanti animo videatur admisisse. Præterea Lutherani docent corpus & sanguinem Christi non esse permanenter in Eucharistia, sed solum transeunter, vel in actu scilicet, quo comeditur,

vel

vel tempore paulo longiore, permanentiam vero stabilem, qualem admittunt Catholici, ipsi negant: unde irrident Catholicis sacras hostias in tabernaculis conservantibus, & in processionibus gestantibus. Calvinus docuit nos in cœna sola fide uniri corpori & sanguini Domini.

Non enumeravi inter hæreses circa corpus Christi errorem Stercoranistarum, aliquorum scilicet volentium corpus Christi per secessum a communicantibus emitti; hæc enim hæresis a pluribus commentitia existimatur. Cæterum etsi aliquando extitisset, apparebit ex dicendis illius falsitas.

ARTICULUS SECUNDUS.

ASSERTIO. *In Eucharistia est vere & realiter corpus & sanguis Christi*. Est de fide.

Prob. ex Scripturis: & I. ex promissione institutionis Eucharistiæ. Hanc promittens Christus, postquam dixerat Patrem suum jam hominibus dedisse panem de Cœlo, qui erat idem Christus, transit ad panem, quem ipse postea daturus erat, & ait (a): *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Christum hic proprie & litteraliter esse locutum ostendit, quod litigantibus ad invicem Judæis: *Quomodo hic potest carnem suam dare ad manducandum?* tantum abest, quod sensum litteralem tollendo ipse difficultatem declinaret, quinimo denuo hunc inculcavit respondens: *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam... Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Quod con-

(a) *Jo.* 6.

firmatur; nam Christus cum dixit se daturum corpus suum pro pane, ex contextu significavit se daturum aliquid nobilius manna, quale non fuisset panis, qui tantum metaphorice esset corpus Christi, cum manna & ipsum metaphorice possit dici corpus Christi, quatenus erat illius umbra & figura, & præterea esset fabricatum manibus Angelorum, omnes sapores contineret &c. quod de simplici pane, quicumque ille sit, non verificatur Ergo &c.

Reponunt hæretici hic Christum innuere carnem suam futuram cibum spiritualem, non corporalem, cum ipse loquatur de illius manducatione non corporali, sed spirituali. De hac autem sola ipsum loqui probant

I. Ex quo Christus loquatur de manducatione illius cibi, de quo dixerat (a): *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis*. Hæc porro manducatio est spiritualis & per fidem; nam quærentibus Judæis: *Quid faciemus, ut operemur opera Dei, respondit Jesus . . . Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem ille misit*.

II. Ex quo de hac sola verificetur illud (b): *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*.

III. Ex quo Christus loqueretur de manducatione tunc facienda; inquit enim in tempore præsenti: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem &c.* Talis autem manducatio non poterat esse nisi spiritualis, cum tunc etiam per Catholicos Eucharistia nondum esset instituta.

IV. Ex quo manducatio, de qua Christus loquebatur, erat ejusdem conditionis ac mansio ipsius Christi in manducante, quæ cum manducatione conjungitur ut effectus immediatus cum sua causa; inquit

(a) *Ibid. v.* 27. (b) *Ibid. v.* 55.

quit enim Christus (a): *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Atqui mansio hæc est mere spiritualis, cum ex textu adducto sit similis mansioni manducantis in Christo, quæ sane est mere spiritualis. Ergo &c.

V. Ex quo Christus versus finem capitis inutilem dicat manducationem corporalem, spiritualem commendet, & asserat esse spiritualiter intelligenda quæ ante dixerat: inquit enim (b): *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam: verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.*

VI. Ex quo id expresse doceat Augustinus (c); hic enim explicans illud Christi: *Hic est panis, qui de cœlo descendit, ut si quis manducaverit ex ipso, non moriatur*, ait: *Sed quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad visibile Sacramentum. Qui manducat intus, non foris, qui manducat in corde, non qui premit dente.* Rursus inquit (d): *Hunc cibum & potum societatem vult* (Christus) *intelligi corporis & membrorum suorum, quod est sancta Ecclesia in prædestinatis, & vocatis, & justificatis & glorificatis sanctis & fidelibus suis*: & alibi (e): *Illi* (Judæi) *putabant eum* (Christum) *erogaturum corpus suum. Ille autem dixit se ascensurum in cœlum utique integrum. Cum videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius, certe vel tunc videbitis, quia non eo modo, quo putatis, erogat corpus suum: certe vel tunc intelligetis, quia gratia ejus non consumitur morsibus.* Rursus alibi inducit Christum sic loquentem de manducatione corporis sui (f): *Spiritualiter intelligite quod locutus sum, non hoc cor-*

O 2 *pus*

(a) *Ibid. v.* 57. (b) *Ibid. v.* 64.
(c) *Tract.* 26. *in Jo. n.* 12. (d) *Ibid. n.* 15.
(e) *Tract.* 27. *in Jo. n.* 3.
(f) *In Psal.* 98. *n.* 9.

pus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos. Tandem alibi tradens regulas pro intelligentia Scripturæ ait (a): *Si preceptiva est locutio, aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem, aut beneficentiam jubens, non est figurata. Si autem flagitium, aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata est. Nisi manducaveritis, inquit, carnem filii hominis, & sanguinem biberitis, vitam in vobis non habebitis; flagitium vel facinus videtur jubere: figura ergo est precipiens passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter in memoria recondendum, quod caro ejus crucifixa & vulnerata sit.*

VII. Tandem ex quo sicuti non convenit cibo corporis, ut manducetur spiritualiter, ita nec convenit cibo animæ, ut manducetur corporaliter. Sed

Contra I. Christus non de eodem cibo loquitur loco in objectione adducto, ac loco adducto in probatione; triplex enim est distinguenda pars in capite 6. S. Joannis, a principio usque ad versum 25. agitur de cibo mere corporali, idest de multiplicatione quinque panum, quibus Christus quinque hominum millia satiavit: a versu 25. usque ad 51. de cibo mere spirituali, idest de fide: a versu 51. fere usque ad finem de cibo materiali simul & spirituali, scilicet de corpore & sanguine Christi. Cum ergo quod adducitur in objectione sit in secunda parte, quod vero adducitur iu probationibus sit in tertia, nil mirum, si de diversis cibis fiat mentio. Ergo &c.

Contra II. Argumentum solum probat non sufficere manducationem corporalem, sed requiri etiam spiritualem, quod & nos concedimus duce Apostolo, qui ait (b): *Qui manducat & bibit indigne*

(a) *Lib.* 3. *de Doctr. Christ. cap.* 16.
(b) 1. *Co.* 11.

gne, judicium sibi manducat & bibit, unde verba adducta in objectione non sunt dicta de manducatione spirituali præcisa a corporali.

Contra III. Christus locutionem illam quamvis materialiter prolatam in tempore præsenti, formaliter tamen retulit ad futurum, cum scilicet Eucharistiam instituisset. Et sane ipse indicavit se carnem suam tunc non exhibere, sed solum promittere in cibum; inquit enim in futuro (a): *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

Contra IV. In primis omissa majore negari potest minor; nam per Eucharistiam & Christus in nobis manet corporaliter, & nos quodammodo ita in Christo manemus, ut testantur Patres, qui dicunt nos per Eucharistiam Christo incorporari. Secundo negatur major; ejusdem enim conditionis non est Sacramentum, quod debet esse sensibile, ac illius effectus, qui debet esse spiritualis. Cum ergo manducatio ad Sacramentum, mansio vero Christi in nobis ad effectum pertineat, potest hæc esse spiritualis, quin sit illa. Sane etiam in Baptismo regeneratio hominis est immediatus effectus ablutionis, & tamen, quia hæc pertinet ad rationem Sacramenti, est materialis, illa autem, quæ solum est Sacramenti effectus, est spiritualis. Ergo a pari &c.

Contra V. Stat Augustinus inquiens (b): *Quid est, caro non prodest quidquam? Non prodest quidquam, sed quomodo illi* (Judæi) *intellexerunt: carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur .... Caro non prodest quidquam, sed sola caro: accedat spiritus ad carnem .. & prodest plurimum.* Ex his patet sensus verborum Christi.

Contra VI. Augustinus primo loco (si loquitur de Eucharistia) tantum innuit effectum illius

 non

(a) *Ibid.*
(b) *Tract. 27. in Jo. n. 5.*

non a præcisa manducatione materiali corporis Christi pendere, sed etiam a manducatione spirituali, unde ibidem ait: *Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi, sed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium sibi manducat & bibit, quia immundus præsumpsit ad Christi accedere Sacramenta.*

Dixi *si loquatur de Eucharistia*; fortasse enim ibi dictum Christi sumit metaphorice. Et sane aliquando Augustinus cibum & potum exhibendum a Christo sumit in sensu metaphorico, ut loco secundo adducto in objectione, ubi illæ sumit pro corpore Christi mystico quod est Ecclesia; & etiam alibi pro fide divinitatis Christi, ut cum relatis verbis ipsius Christi: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille*, subjungit: (a) *Hoc est manducare cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Ut quid paras dentes & ventrem? crede, & manducasti:* & rursus: (b) *Credere in eum* (Christum), *hoc est manducare panem vivum. Qui credit, manducat.* Sed per has metaphoricas explicationes non exclusisse Augustinum sensum litteralem ad Eucharistiam pertinentem patet tum ex loco supra adducto: *Qui non manet in Christo &c.* tum ex aliis infra adducendis. Ex his patet quid respondendum ad secundum locum ex S. Doctore objectum. Tertio loco S. Doctor solum asserit Christum integrum in cœlum ascensurum ad tollendum pravum sensum, quem Judæi hauserant ex verbis Christi promittentis se daturum corpus suum, quasi scilicet ipse esset divisurus corpus suum, & uni unam, alteri alteram portionem exhibiturus. Quarto pariter loco eun-

(a) *Tract.* 23. *in Jo. n.* 12.
(b) *Tract.* 26. *in Jo. n.* 1.

eundem tantum errorem excludit, sed ibi aperte etiam manducationem corporalem indigitat; immediate enim subjungit: *Etsi necesse est illud Sacramentum visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi*. Quinto tandem loco non dicit figuratam illam locutionem *nisi manducaveritis &c.* ad excludendam realitatem manducationis Christi; illam enim dicit figuratam, vel solum ad excludendam realitatem illius manducationis, quam juxta superius dicta perperam intelligebant Judæi, vel solum quatenus ad aliquid aliud, scilicet ad passionem Christi significandam ordinatur. Si primo modo figura accipitur, patet per eam non excludi realem (dummodo diversam ab ea, quam Judæi intelligebant) carnis Christi manducationem. Idem dicendum, si accipiatur secundo modo; potest enim stare quod caro Christi realiter manducetur, & quod talis manducatio aliquid aliud significet. Et de facto Augustinus (a) plura affert exempla factorum, quæ figurate vult intelligi, quatenus ad aliud significandum referuntur, quin tamen illorum realitas excludatur, ut exemplum mulieris peccatricis unguento ungentis pedes Jesu, & Oseæ ducentis mulierem fornicariam, & veterum Patriarcharum plures simul uxores habentium.

Contra VII. id quidem non convenit ex natura rei, sed convenit ex libera institutione Christi. Et sane sicuti verbum Dei, quod est spirituale, aure corporis percipitur, & sicuti in omnibus aliis Sacramentis habetur corporalis operatio, ut anima spiritualiter sanctificetur, cur non poterit anima nutriri ex corpore Christi, quod corporaliter manducetur? Ergo &c.

Prob. rursus assertio ex Scripturis, & quidem ex ipsa Eucharistiæ institutione. Christus hanc instituens ait: (b) *Hoc est corpus meum, hic est sanguis*

(a) *Ibidem cap.* 12.
(b) *Matt.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22.

guis meus. Ergo Eucharistia continet corpus & sanguinem Domini. Sane hæc verba litteraliter esse intelligenda suadet & quod Christus tunc testamentum instituebat, quod in claro & litterali sensu solet proferri, & quod ipse tunc ut pater familiariter filios alloquebatur, quos proinde alloquebatur litteraliter, ut familiari colloquio convenit; & quod, si tropice fuisset locutus, hoc (in re tanti momenti) notassent Evangelistæ, ut in plerisque similibus casibus notarunt, sicut cum dixit Jesus: (a) *Solvite templum hoc &c.* Joannes subdit: *Ille autem dicebat de templo corporis sui*: & cum dixit: (b) *Qui credit in me, . . . flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*, idem Joannes subdit: *Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. Ergo &c.

Respondent Adversarii I. illud *est* idem denotare, ac *significat*, seu *est signum*, quod probant his exemplis. Dicitur: (c) *Septem boves pulchræ, & septem spicæ plenæ septem ubertatis anni sunt*, idest *significant*: dicitur: (d) *Tu es caput aureum*, idest *per illud significaris*: dicitur: (e) *Hæ quatuor bestiæ magnæ quatuor sunt regna*, idest *significant quatuor regna*. Imo ipse Christus ait: (f) *Ego sum vitis vera*: (g) *Ego sum ostium*, quorum sane sensus tantum est vitem & ostium esse signa Christi. Ergo a pari &c.

II. in verbis institutionis plura sunt figurata, ut illud *calix*, quod accipitur pro vino, illud *testamentum*, quod accipitur pro re testamento legata, illud *frangitur* (quod ponitur in textu Græco pro eo: quod in vulgata legitur *traditur*); corpus enim Christi non est fractum. Ergo etiam tota sententia figurata est.

III.

(a) *Jo.* 2. (b) *Jo.* 7. (c) *Gen*, 41.
(d) *Daniel*. 2. (e) *Daniel*. 7.
(f) *Jo.* 15, (g) *Jo.* 10.

III. Verba hæc sunt sacramentalia. Ergo sensu sacramentali, idest tropico & figurato debent intelligi.

IV. si quis ostendens imaginem Cæsaris diceret: *Hic est Cæsar*, indicaret esse figuram Cæsaris, non ipsum Cæsarem. Ergo a pari &c.

V. Christus hoc Sacramentum instituebat in sui memoriam. Cum ergo memoria sit rerum absentium, non præsentium, Christus in Eucharistia non erit præsens.

VI. de eodem pane & vino, quæ Apostolis exhibuerat Christus, ipse comedit. Quis autem dicat ipsum de proprio corpore & sanguine comedisse?

VII. Augustinus ait Christum per verba institutionis indicasse se tantum dare signum corporis sui, inquit enim: (a) *Non dubitavit Dominus dicere: hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui*. Sed

Contra I. vox *est* aliquando sane sumitur pro *significat* sed tunc solum sic sumitur, cum circumstantiæ denotant ita esse sumendam. Sane in tribus prioribus exemplis notum erat jam indicata esse signa eventuum futurorum, solumque quærendum remanebat quorumnam eventuum signa essent. Cum ergo dicebatur *septem boves*, *septem spicas &c.* esse *septem annos &c.*, statim animo occurrebat illa esse tantum harum rerum signa. In posterioribus autem Christus ipse se metaphorice loqui ostendit, dum ait: (b) *Ego sum vitis . . . sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis . . . Ego sum ostium. . . per me si quis introierit, salvabitur &c.* per quæ denotavit se tantum dixisse vitem & ostium, quatenus vitis

(a) *Cont. Adimant. cap.* 12.
(b) *Ibid.*

& ostii aliquæ illi proprietates competebant, adeoque metaphorice. Adde sensum illarum locutionum aperte esse metaphoricum, cum enunciet de subjecto prædicatum, quod in sensu proprio non potest illi convenire; Christus enim proprie non potest esse vitis, ostium &c. At in illis: *Hoc est corpus, hic est sanguis &c.*; non est cur prædicatum proprie non possit convenire subjecto, hoc enim subjectum, ut supra dixi, non est panis, sed illud (sub conceptu confuso) quod Christus præ manibus habebat, quod quidem poterat esse corpus ipsius Christi. Adde rursus sensum Ecclesiæ hæc omnia metaphorice intelligentis, secus illud: *Hoc est corpus meum &c.* Ergo &c.

Contra II. ex quo in verbis institutionis aliqua sint figurata, non sequitur totam propositionem esse figuratam; alias ex quo E. G. in illa Domini sententia de Baptismo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S., non potest introire in regnum Dei*, vox *renatus* figurate sumatur, sequeretur totam sententiam esse figuratam: & ex quo in illa sententia: *Verbum caro factum est*; vox *caro* figurate sumatur, idest pro homine, sequeretur totam sententiam esse figuratam, quod nec Adversarii admittunt. Verba ergo enunciata sunt figurata, sed figura hic est tam aperta, ut sine ulla explicatione omnes eam sint intellecturi; omnes enim vident illud *calicem* hic sumi pro *vino*, illud *testamentum* pro *signo testamenti*, seu pro re testamento legata, illud *frangitur* pro *distribuitur*. At è contra, si figurata esset tota sententia, nullus absque ejus explicatione, (quæ tamen nuspiam habetur) eam esset intellecturus. Ergo &c.

Contra III. quod verba institutionis sint sacramentalia importat quidem ea habere mysticam significationem relate ad nutritionem spiritualem animæ, sed non ad exclusionem sensus litteralis connotantis realem præsentiam corporis & sanguinis Christi; alias, cum E. G. verba supra adducta relate ad institutionem Baptismi sint sacramentalia, non denotarent litteraliter aquam.

Con-

Contra IV. constat ex modo loquendi imaginem Cæsaris non dici Cæsarem, nisi quatenus illum repræsentat. At cum panis non repræsentaverit Christum, non poterat hoc modo dici Christus. Ergo alio modo, & non alio sane, nisi quia esset revera corpus Christi, sensu supra explicato.

Contra V. memoria est aliquando rerum absentium, aliquando rerum præsentium quidem, sed quarum facile obliviscimur. Utroque modo Eucharistia est rememorativa Christi salva ipsius reali præsentia: in illa est enim rememorativa passionis & mortis Christi, quæ præteriit, adeoque rei absentis, & est rememorativa ipsius Christi præsentis, cujus tamen facile oblivisceremur, nisi ipse realiter se sub speciebus sisteret oculis nostris.

Contra VI. quamvis nesciamus explicare modum, quo Christus de se ipso comedit, non ideo tamen hoc est negandum. Quot enim sunt, præcipue si de mysteriis supernaturalibus loquamur, quæ non intelligimus, nec tamen idcirco negamus?

Contra VII. Augustinus cum asserit Eucharistiam esse signum corporis Christi, non excludit illius realitatem, sed dicit illius signum primo ratione specierum, quæ illud sub illis latens denotant: secundo quia est symbolum corporis & sanguinis Christi ut in cruce immolatorum: tertio quia corpus Christi sub speciebus velatum est figura sui ipsius ut in cœlo revelati.

Prob. assertio ex Conciliis. Ephesinum approbavit epistolam S. Cyrilli ad Nestorium; in qua ita ait: (a) *Accedentes ad mysticas benedictiones participes fieri sancti corporis, & pretiosi sanguinis Christi, neque communem carnem percipere, sed vere vivificatricem, & ipsius Verbi propriam factam*. In Nicæno II. de pane & vino dicitur: (b) *Post sanctificationem corpus proprie, & sanguis Chri-*

O 6

(a) *Epist. 3. ad Nestor. Anathem. 7.*
(b) *Act. 6.*

Christi appellantur, sunt, & creduntur. Tridentinum ait: (a) *Si quis negaverit in Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem una cum anima & Divinitate Domini nostri Jesu Christi, & proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit.*

Prob. Ex Patribus. S. Justinus de Eucharistia inquit: (b) *Non ut communem panem, atque communem potum ista sumimus, sed .... alimoniam, unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem & sanguinem esse edocti sumus.* Origenes ait: (c) *Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane, & poculo frueris, manducas & bibis sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur.* S. Cyprianus docet in persecutione non esse denegandam communionem fidelibus subdens rationem: (d) *Quomodo docemus, aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus?* S. Cyrillus Hierosolymitanus *Cum Christus*, inquit (e), *pronunciaverit & dixerit de pane: hoc est corpus meum, quis audebit deinceps ambigere? & cum ipse asseveraverit, & dixerit: hic est sanguis meus, quis unquam dubitaverit ajens non esse suum sanguinem?* Chrysostomus inquit (f): *Quoniam ille dixit: hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus. O quot modo dicunt: vellem figuram, & speciem ejus, vellem vestimenta ipsa videre? Ecce ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis.* S. Augustinus *Ferebatur*, inquit (g), *Christus in ma-*

(a) *Sess.* 13. *Can.* 1. (b) *Apolog.* 2.
(c) *Homil.* 5. *in varia loca nov. testam.*
(d) *Epist.* 54. (e) *Catech.* 4.
(f) *Homil.* 82. *al.* 33. *in Matt. n.* 4.
(g) *Enarrat.* 1. *in psalm.* 33. *n.* 10.

manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: hoc est corpus meum; ferebat enim illud corpus in manibus suis: & alibi: (a) *Panis ille, quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Dei corpus est Christi. Calix ille, imò quod habet calix sanctificatum per verbum Dei, sanguis est Christi*. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis I. Si Christus esset realiter præsens in Eucharistia, jam permansisset in mundo post ipsius ascensionem, imo permansurus esset usque in finem sæculorum. Hoc non; nam ipse ait (b): *Si quis vobis dixerit: ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere:* rursus (c): *Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habebitis:* & alibi dicitur (d): *Oportet Christum cælum suscipere usque in tempora restitutionis omnium*. Ergo &c.

II. Veritas corporis cognoscitur ex tactu & aspectu juxta illud Christi (e): *Palpate & videte quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Cum ergo in Eucharistia nec tangatur, nec videatur corpus & sanguis Christi, hæc vere ibi non erunt.

III. Ex Apostolo (f): *Patres* veteris testamenti *eandem escam spiritualem manducaverunt, & eundem potum spiritualem biberunt* (nobiscum.) Atqui ipsi non manducaverunt carnem & sanguinem Christi. Ergo nec nos. Ergo Christus non est realiter in Eucharistia præsens.

Ad I. ℟. Christum mansisse utique post ascensionem, & usque ad finem mundi mansurum inter nos in Eucharistia, quod non inficiantur textus adducti. Primo enim tantum innuitur non esse credendum iis deceptoribus, qui jactaturi erant se esse Christum: secundo innuitur Christum non semper fu-

---

(a) *Serm.* 227. *al.* 83 *de divers.*
(b) *Matt.* 24. (c) *Matt.* 26. (d) *Act.* 3. 21.
(e) *Luc.* 24. (f) 1. *Cor.* 10.

futurum in terris in ea forma, in qua posset aliquid utilitatis ab hominum ministerio percipere, ut tunc percipiebat, cum unguento a Magdalena ungeretur, propter quod fuit hæc reprehensa a Juda asserente melius fuisse, ut pretium hujus unguenti in pauperes erogaretur, cui tunc occurrit Christus dicens: *Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me; nam semper pauperes habetis vobiscum &c.* Tertio loco innuitur Christum post ascensionem in cœlum non amplius nisi in fine sæculi appariturum in terris in forma hominis sensibili. Ergo &c.

Ad II. ℟. Non valere hoc argumentum. Quod palpatur & videtur, corpus est. Ergo non est corpus, quod nec palpatur, nec videtur; potest enim aliquid esse corpus, quin palpetur aut videatur divina id impediente virtute, ut dicimus in Eucharistia evenire.

Ad III. ℟. Apostolum non asserere Patres veteris Testamenti eandem escam & eundem potum sumpsisse, ac nos, sed tantum inter sese; omnes scilicet simul comederunt manna, & biberunt aquam de petra eductam, quæ idcirco dicuntur esca & potus spiritualis, vel quia erant producta non naturaliter, sed miraculose, vel quia præfigurabant corpus & sanguinem Christi in Eucharistia. Quod si placeat cum Augustino asserere illos eandem escam, eundemque potum sumpsisse nobiscum, dico hoc verificari, quatenus illi corpus & sanguinem Christi in figura, nos in veritate sumimus.

Obj. ex Patribus. I. ex iis aliqui docent in Eucharistia non esse illud Christi corpus, quod de Virgine natum est, quod crucifixum, quod sepultum est. Ergo &c.

II. Ex iis aliqui Eucharistiam appellant *panem, & vinum*, & docent per Eucharistiam nutriri corpora nostra, quod de corpore Christi nequit verificari, bene vero de pane. Ergo &c.

Ad I. ℟. Patres id tantum docere, quatenus non retinet corpus Christi in Eucharistia affectiones extensionis sensibilis, visibilitatis, passibilitatis &c. quas habebat cum de Virgine natum est, cum est crucifixum, & sepultum. Ergo &c.

Ad II. ℟. Eucharistiam eatenus dici *panem* & *vinum*, quatenus illius materia (transiens) est panis & vinum, illosque effectus præstat in anima, quos panis & vinum præstant in corpore, illius scilicet vitam conservant & nutriunt augentque vires &c. Eatenus autem dicitur ipsa nutriri etiam corpora nostra, quatenus hæc per Eucharistiam semen quoddam immortalitatis accipiunt, scilicet jus veluti acquirunt ad immortalem resurrectionem.

Instabis. Responsio hæc etsi aliis aptari posset, non tamen posset aptari Theodoreto, qui ita vult Eucharistiam esse panem & vinum, ut excludat realem præsentiam corporis Christi: ipse (a) enim vult de Christo prophetice a Jacobo dictum fuisse illud (b): *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum*, quod verificatum vult, cum sanguinis & aquæ rivi ex Christi occisi latere per totum corpus manarunt. Reddens autem rationem, quare sanguis Christi dictus sit a Jacobo vinum, seu sanguis uvæ, asserit ideo hoc factum esse, quia Christus se dixit vitem, unde potest ipsius sanguis vinum dici: tum subdit: *Sicut nos mysticum vitis fructum post sanctificationem Sanguinem Domini nominamus, sic veræ vitis sanguinem uvæ sanguinem nominavit* (Jacobus.) Infra autem dicit Christum appellasse panem corpus suum, postea subdit: *Salvator noster nomina permutavit, & corpori quidem symboli*, idest panis, *nomen imposuit, & symbolo nomen corporis. Sic cum se vitem nominasset, symbolum*, idest vinum, *sanguinem appellavit . . . qui enim quod natura corpus est frumentum & panem appellavit, is visibilia symbola corporis & sanguinis sui appellatione honoravit non naturam mutans, sed naturam gratiæ adjiciens*. Ex his autem talia possunt institui argumenta. Per Theodoretum ita nos vinum sancti-

ca-

(a) *Dialog.* 1. *contr. Eutichian.*
(b) *Gen.* 49.

catum appellamus sanguinem Christi, ut Jacob sanguinem uvæ, sive vinum eundem Christi sanguinem appellavit. Atqui Jacobus vinum dixit Christi sanguinem non proprie, sed figurate. Ergo a pari &c. Rursus Christus nomina permutavit, & seipsum panem esse dixit, & panem dixit esse corpus suum. Atqui cum Christus dixit se esse panem, sensu tantum metaphorico est locutus. Ergo a pari &c. Tandem Christus panem & vinum corporis sui appellatione honoravit. Ergo panis & vinum non sunt vere corpus Christi: non enim aliquid honoratur appellatione illius, quod vere est: præcipue cum subjungat Theodoretus non fuisse mutatam panis & vini naturam, quod esset falsum, si conversa essent in corpus Christi. Ergo &c.

℟. Dictis comparationibus Theodoretum non adstruere paritatem nisi quoad appellationem, vult scilicet panem & vinum consecratum appellari corpus & sanguinem Christi, quomodo idem sanguis appellatus est vinum, & Christus dictus est panis. Cæterum rationem harum appellationum nec Theodoretus eandem semper agnoscit; licet enim has posteriores metaphoricas tantum agnoscat, priorem tamen agnoscit propriam. Sane alibi aperte fatetur (a) panem & vinum consecratum nedum appellari, sed etiam vere esse corpus & sanguinem Christi; quærenti enim Eranisti, seu Eutychiano *quomodo post sanctificationem symbola appellentur*, respondet ipse in persona Orthodoxi: *corpus & sanguinem Christi:* & instanti Eranisti: *& credis te corpus Christi & sanguinem percipere?* respondet: *ita credo .... Intelliguntur autem* (symbola) *ea esse, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint, quæ creduntur.* Nec ex quo dicat panem & vinum honorata esse appellatione corporis & sanguinis Christi, sequitur ipsum negasse ea vere corpus & sanguinem Christi facta esse, sed hoc

(a) *Dialog.* 2.

hoc solum dicit, quatenus hæc conversio est indebita pani & vino, ac mera gratiæ operatio. Quod si dicit non esse mutatam naturam panis & vini, id solum dicit, quatenus remanent panis & vini accidentia, ut uberius articulo sequenti ostendetur.

Obj. ex ratione. Repugnat quod corpus Christi sit in pluribus locis, quod ad punctum redigatur &c., quæ tamen omnia ex reali Christi præsentia in Eucharistia consequuntur. Ergo &c.

℟. Hæc omnia quidem naturaliter præstari non posse: sed unde probabunt Adversarii hæc etiam Divinæ virtuti repugnare? Ostendant prius se omnipotentiæ Dei sufficientem ideam habere, & tunc poterunt affirmare hoc vel illud absolute repugnare. Unde sicuti alibi respondendo objectionibus, quæ ex lumine naturali petuntur contra mysterium Trinitatis, Incarnationis &c. dixi non posse nos ex ideis, quas de rebus naturaliter habemus, argumentari ad illas, quæ superant captum nostrum; ita a pari in hoc casu. Ergo &c.

ARTICULUS TERTIUS.

Assertio. *In Eucharistia non remanet substantia panis, sed in corpus Christi convertitur, quod idem de vino respectu sanguinis dicendum est, adeoque admittenda est transubstantiatio.* Est de fide.

Antequam probetur assertio, noto *transubstantiationem* esse transitum de una natura in aliam: ita E. G. dicitur facta transubstantiatio, cum in nuptiis Canæ Galilææ aqua versa est in vinum. Quæ quidem potest fieri dupliciter, primo per hoc, quod remanente eadem materia mutetur forma substantialis, & ita facta est transubstantiatio dictæ aquæ in vinum: secundo per hoc, quod etiam mutetur materia ipsa, ita ut loco prioris alia materia ponatur, & ita contendimus panem transubstantiari in corpus Christi, & proinde dicimus panem se habere ad corpus Christi tanquam terminum *a quo* hujus conversionis, non tanquam terminum *ex quo*. Prob.

Prob. ergo assertio ex Scripturis. Christus instituens hoc Sacramentum dixit: *Hoc est Corpus meum*. His positis sic: si in Eucharistia esset panis, pronomen *hoc* ipsum solum panem denotaret. Hoc non, cum ita propositio haberet hunc sensum: *hic panis est corpus Christi*, quod nec Lutherani admittunt: hi enim, licet velint panem esse cum corpore Christi in Eucharistia, non tamen volunt esse cum illo identificatum. Ergo &c. Prob. major cum Becano. Cum duæ substantiæ sunt in eodem loco, & una per propria accidentia videtur, altera est invisibilis, tunc qui demonstrat contentum sub accidentibus, non designat substantiam invisibilem & latentem, sed illam, cui talia accidentia inhærent, præsertim si proprie, & non figurate loquatur: ita si quis E. G. habens panem in manu, & demonstratis accidentibus propriis panis diceret: *hæc est substantia Divina*, improprie loqueretur, & inepte ad captum hominum, quia licet Divina substantia sit pani præsens, per accidentia tamen panis non ipsa, sed panis demonstratur. Ergo &c.

Prob. ex Conciliis. Lateranense IV: ait: (a) *Credimus, & confitemur corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini veraciter contineri, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate divina*. Florentinum ait: (b) *Verborum* Christi *virtute substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur*: & Tridentinum: (c) *Si quis dixerit in Sacramento Eucharistiæ remanere substantiam panis & vini una cum corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, ma-*

(a) *Cap.* Firmiter.
(b) *In Decret. Eugen. pro union. Armen.*
(c) *Sess.* 13. *Can.* 2.

manentibus dumtaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat, anathema sit.

Prob. ex Patribus. S. Cyrillus Hierosolymitanus *Panis*, inquit (a), *Eucharistiæ post S. Spiritus invocationem non amplius est panis communis, sed est corpus Christi*. S. Joannes Damascenus, *Panis*, inquit, (b) *& vinum aqua per S. Spiritus invocationem, & adventum mirabili modo in Christi corpus, & sanguinem vertuntur*. S. Ambrosius: (c) *Panis iste panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi*. S. Gregorius Nissenus (d) *Panis item panis est initio communis, sed ubi eum mysterium sanctificaverit, corpus Christi & dicitur & est: eodem modo vinum*. Ergo &c.

Obj. ex Patribus. I. Chrysostomus, (e) ut ostendat in Christo post Incarnationem fuisse utramque naturam divinam & humanam, adhibet exemplum Eucharistiæ, in qua est natura panis & natura corporis Christi; inquit enim: *Sicut antequam sanctificetur panis, panem nominamus, divina autem illum sanctificante gratia mediante Sacerdote liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus est Dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in illo permanserit, & non duo corpora, sed unum corpus Filii prædicatur; sic & hic Divina inundante corpori natura unum Filium, unam personam utraque hæc fecerunt*. Ergo &c.

II. Theodoretus ait (f): *Symbola & signa, quæ videntur, nomine corporis & sanguinis honoravit* (Christus) *non mutans naturam, sed naturæ gratiam adjiciens*: & alibi (g): *Neque enim signa mystica post sanctificationem recedunt a sua natu-*

(a) *Catech.* 3. (b) *Lib.* 4. *de fide cap.* 14.
(c) *Lib.* 4. *de Sacr. cap.* 4. (d) *Lib. de S. Bapt.*
(e) *Ep. ad Cæsarium.* (f) *Dialog.* 1.
(g) *Dialog.* 2.

tura; manet enim in priore substantia & figura, & potentia. Ergo &c.

Ad I. omisso quod illa epistola, ex qua hæc desumuntur, sit Chrysostomi; probabiliter enim non esse pluribus ostendit Cl. Maffei, R. ipsum, cum asserit naturam panis in Eucharistia remanere, nomen *natura* sumere tantum pro congerie accidentium, & proprietatum ejudem panis: & hoc apposite ad retundendos Synusiastas, contra quos ipse argumentabatur, & qui (Eutychianæ hæresi præludentes) ita Verbum carnem factum dicebant, ut proprietates carnis in ipsius persona perierint. Hos autem ut confutet S. Doctor, affert exemplum Eucharistiæ, in qua per hoc quod sit corpus Christi, non destruuntur proprietates panis, scilicet color, sapor &c., unde infert nec in Christo per hoc, quod sit unica persona Divina, destructas esse proprietates humanæ naturæ.

Ubi est advertendum, quod licet exemplum panis & vini, quorum species tantum, & non realiter substantiæ remanent in Eucharistia, non sit perfecte simile naturæ humanæ, quæ in Christo fuit nedum quoad illius proprietates, sed etiam quoad substantiæ realitatem, adhuc jure optimo adhibitum est in casu a Chrysostomo, qui sollicitus tantum erat de adstruendis proprietatibus humanæ naturæ in Christo, non ipsa naturæ realitate, cum Synusiastæ, contra quos ut dixi, ipse argumentabatur, non renuerent admittere hanc ejusdem humanæ naturæ in Christo realitatem, solumque renuerent admittere ipsius proprietates, quas dicebant absortas a Divinitate, propterea quod volebant humanam hanc naturam factam fuisse Divinitati consubstantialem. Unde licet paritas inter panem & vinum relate ad Eucharistiam ex una parte, & naturam humanam in Christo ex altera perfecte non currat, currit tamen pro ea parte, qua adhibetur a Chrysostomo, pro parte scilicet proprietatum, quæ utrobique integræ subsistunt,

Non est autem novum, quod nomen *natura* ad denotandas proprietates rei usurpetur; nam Ter-

tul-

tullianus ait: (a) *aliud esse substantiam, aliud naturam substantiæ. Siquidem substantia propria est rei cujusque, natura vero potest esse communis. E. G. substantia est lapis, ferrum &c. duritja lapidis & ferri est natura substantiæ*, ubi per naturam intelligit rei proprietates. Et S. Hilarius ait; (b) *Corpus per fidem mortificatum in naturam animæ... evadit*, idest acquirit proprietates animæ: & S. Ambrosius affirmat (c) *naturas fuisse mutatas, quando aquæ maris viam Hebræis permiserunt; & cum quæ erant amaræ, dulces evaserunt*, idest amisisse suas proprietates. Imo ipse Chrysostomus alibi agens de igne fornacis Babylonicæ, in quem injecti sunt pueri, ait: (d) *Juvenum pietas rerum naturam mutavit*, idest effecit, ut suspenderetur proprietas, quam habet ignis, comburendi.

Cæterum Chrysostomum aperte transubstantiationi favere patet ex quo alibi affirmet (e) *consecrationis verbis oblationes transformari*; & rursus ait: (f) *Is, qui tunc in illa cœna hæc confecit, & nunc etiam operatur. Nos ministrorum habemus ordinem, qui vero illa sanctificat & transmutat, ipse est*. Ergo &c.

Ad II. ℟. cohærenter ad dicta Theodoretum nomine *naturæ* intelligere illius proprietates, cum & ipse loquatur contra Eutychianum, qui corpus & animam Christo non negabat, sed tantum volebat proprietates utriusque a Divinitate fuisse absortas, adeoque periisse.

Obj. ex ratione. Transubstantiationis nomen novum est, & inauditum in Scripturis. Ergo &c.

℟. hoc nomen novum esse quoad vocem, sed non quoad sensum. Eodem ergo jure illud adhibet

(a) *De Anima cap.* 32.
(b) *Cap.* 10. *in Matt. n.* 24.
(c) *Lib. de Mysteriis cap.* 9.
(d) *Hom.* 4. *n.* 3. *ad Popul. Antioch.*
(e) *Homil.* 1. *de prod. Jud. n.* 6.
(f) *Homil.* 83. *in Matt. n.* 5.

bet Ecclesia, quo adhibuit vocem *homousion*, & vocem *Deipara*, quæ novæ & ipsæ erant, nec in Scripturis materialiter continebantur, licet continerentur formaliter, & quoad sensum.

ARTICULUS QUARTUS.

Assertio. *In Eucharistia est corpus Christi, & sanguis etiam extra usum*. Est de fide.

Prob. ex Ecclesiasticis monumentis. I. certum est antiquitus fuisse in usu communionem domesticam, Christiani scilicet maxime tempore persecutionum, quo difficile erat ad Ecclesiam progredi, domi conservabant Eucharistiam, ut eam pro opportunitate sumerent. Hujus usus testes sunt Tertullianus, (a) S. Hieronymus, (b) S. Gregorius Nazianzenus (c) & S. Cyprianus (d), qui narrat *fœminam quandam, cum arcam suam, in qua Sanctum Domini fuerat, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterritam fuisse*. II. certum est usum fuisse antiquitus in Ecclesia mittendi Eucharistiam ad absentes in signum pacis & concordiæ. Constat hoc ex S. Justino (e) & ex actis S. Luciani (f), ubi narratur post sacrum ab ipso in carcere peractum missam fuisse Eucharistiam ad absentes; & ex S. Irenæo scribente ad Victorem Papam nullum ex prædecessoribus ipsius Victoris pacem fregisse cum Quartodecimanis, & subdit; *Verum illi ipsi, qui te præcesserunt, Presbyteri, quamvis id minime observarent* (morem scilicet celebrandi Pascha Luna 14), *Ecclesiarum Presbyteri, qui id observabant, Eucharistiam transmiserunt*. *III.* certum est antiquitus fuisse asservatam in templis Eucharistiam maxime pro infirmis: Hoc ostendunt columbæ illæ argenteæ & par-

(a) *Lib.* 2. *ad Uxor.* (b) *Epis. ad Pammach.*
(c) *Orat.* 11. (d) *Serm. de lapsis*.
(e) *Apol.* 2. (f) *Apud Baron. ad ann.* 311.

parvæ turres, in quibus Eucharistia asservabatur, de quibus Amphylochius (a) Gregorius Turonensis, aliique. His autem positis patet primitivam Ecclesiam existimasse sub speciebus panis & vini etiam extra usum contineri corpus & sanguinem Domini. Ergo &c.

Prob. ex Conciliis. Tridentinum ait: (b) *Si quis dixerit peracta consecratione in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post, & in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, anathema sit.* Ergo &c.

Obj. ex ratione. I. Eucharistia est ordinata ad manducationem. Ergo non debet subsistere nisi in actu manducationis.

II. Omnia alia Sacramenta transacto usu amplius non sunt. Ergo etiam hoc.

Ad I. ℟. negando consequentiam; nam etiam cibus corporalis ad manducationem ordinatur, & tamen vere subsistit in se, & in ratione cibi etiam extra manducationem. Ergo &c.

Ad II. ℟. juxta alias dicta in his, quæ pendent a libera Dei voluntate, non valere argumentum a pari. Per Ecclesiam autem & Patres constat voluisse Deum, ut alia Sacramenta essent transeuntia, hoc permanens. Ergo &c.

Si quæras quamdiu duret corpus Christi in Eucharistia. ℟. durare quousque durant species; nam ex supra visis in hostiis consecratis Christus reperitur: quandiu ergo hæ subsistunt, debet in iis reperiri Christus. Adde quod nulla est ratio, ob quam debeat Christus etiam extra usum reperiri in hostiis ad aliquod tempus semper, quamdiu

---

(a) *In Vit. S. Basil.*
(b) *Sess.* 13. *Can.* 4.

diu hæ durant: durant autem hæ species, quamdiu moraliter verificatur illas retinere proprietates panis. Ex quo patet, quod corpus Christi ibi desinit esse, cum in stomacho communicantium ita species alterantur, ut non amplius panis proprietates retineant; consequenter quod post talem alterationem subit cibi vicissitudines, non est corpus Christi, sicque hoc non est, quod per secessum emittitur contra ac dicantur docuisse Stercoranistæ, de quibus supra.

ARTICULUS QUINTUS.

Quæ hucusque dixi pro tuendis catholicis dogmatibus circa realem Christi præsentiam in Eucharistia contra Hæreticos, magis illustrabuntur per sequentia quæsita, ac correspondentes responsiones.

Quæres igitur I. quid sub utraque specie consecrata contineatur.

℟. Contineri sub singulis speciebus corpus & sanguinem Christi, ipsius animam & Divinitatem. At hæc non eodem modo ibidem continentur; nam sub specie panis directe, & ex vi verborum continetur solum corpus, cum illud sit in Eucharistia directe & ex vi verborum, quod significatur per verba consecratoria, per hæc autem relate ad speciem panis importetur solum corpus. Reliqua vero, idest sanguis, anima, & Divinitas, solum ibi sunt indirecte, & per concomitantiam, idest titulo connexionis. quæ habetur inter illa & corpus; cum enim corpus Christi modo sit illis unitum, ubi est corpus, & illa debent esse. Quæ quidem connexio talis est, ut si per impossibile divinitas non esset ubique; esset tamen in Sacramento ex vi concomitantiæ. Quo si corpus hæc non haberet sibi unita, ut evenit respectu animæ in triduo mortis, tunc sine illis sub speciebus panis esset corpus Christi. Eadem proportionaliter ratione sub speciebus vini directe, & ex vi verborum continetur sanguis, corpus vero, anima, & Divinitas continentur tantum per concomitantiam.

No-

Nomine autem ſanguinis nedum venit ſanguis, qui pro noſtra ſalute effuſus eſt, ſed totus etiam ſanguis quamvis non effuſus, licet enim in forma conſecratoria fiat mentio tantum ſanguinis effundendi, hæc tamen verba non adducuntur ad limitandam quantitatem ſanguinis, ſed ſolum ad declarandam hujus efficaciam & virtutem. Nomine porro Divinitatis hic comprehenditur etiam Perſonalitas verbi, cum ad hanc unio hypoſtatica, ratione cujus Divinitas concomitanter ponitur, immediate terminetur. Imo etiam Perſonalitas Patris ac Spiritus S. concomitanter ponuntur in Eucharistia ratione identificationis cum Divinitate, cum plurium identificatorum non videatur unum poſſe poni, niſi etiam concomitanter ponatur alterum.

Nec dicas poſſe in Eucharistia non obſtante identificatione Divinitatis cum tribus perſonis unam ex his poni, altera non poſita, quomodo non obſtante tali identificatione potuit incarnari Perſona Filii non incarnatis aliis; nam diſparitas eſt quia, ut inquit Platellius, exiſtentia afficit Deum materialiter ſecundum omnem entitatem ipſi identificatam, cum non reſpiciat ipſum ut aliquid relativum, ſed tantum ut aliquid abſolutum: terminatio autem Verbi ad humanitatem reſpicit Verbum formaliter ut Verbum eſt (adeoque ut aliquid relativum) & Divinitatem ut Verbo identificatam, quo fit, ut Incarnatio poſſit uni identificatorum competere, quin competat alteri.

Quæres II. quomodo Chriſtus exiſtat in Eucharistia.

Pro reſponſione adverto dupliciter juxta Philoſophos rem poſſe exiſtere in loco, ſcilicet *circumſcriptive*, *&* *definitive*. Primum importat, ut res ſit in toto loco, ſed ita ut una pars illius correſpondeat uni parti loci, altera alteri; & ita ſunt in loco corpora. Alterum importat, ut res ſit tota in toto loco, & tota etiam in qualibet loci parte: & ita ſunt in loco Spiritus, ut Deus, Angeli &c. Res in loco exiſtens alterutro ex his modis, non tamen extra locum illum exiſtit (excepto

Deo, qui ita est in uno loco, ut sit etiam in aliis omnibus, adeoque dicitur esse in loco *repletive*). Cum igitur Christus ita existat in Eucharistia, ut sit quidem in una hostia, sed sit etiam extra illam, quin tamen (quoad humanitatem) sit ubique, ideo modus quo Christus existit in Eucharistia, est modus quidam peculiaris, qui dicitur a Theologis *Sacramentalis*.

An autem Christus ita sit totus in tota hostia, ut totus quoque sit in qualibet illius parte etiam ante separationem, controvertitur: (dixi *ante separationem* nam post illam certum est de fide adesse in qualibet parte separata, dummodo sensibili totum Christum; id enim definit Tridentinum inquiens (a): *Si quis negaverit in Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri, anathema sit.*) Contendunt aliqui Christum ita esse totum in tota hostia, ut tamen non sit totus in qualibet illius parte, sicque potius imitetur modum existendi in loco circumscriptive, licet facta separatione veluti multipliciter Christus in partibus separatis, quod declarant exemplo speculi, in quo, cum est integrum, una tantum est imago objecti, si vero in plures partes dividatur, plures quoque exurgunt imagines.

Communius tamen Theologi cum S. Thoma sentiunt contrarium: I. quia Corpus Christi post divisionem est totum in qualibet hostiæ parte. Ergo etiam ante divisionem, cum divisio non sufficiat, ut multiplicetur Christus (contra ac accidat in speculo, in quo divisio sufficit ad multiplicandas imagines, quia per illam multiplicantur radiorum reflexiones, quæ imagines constituunt). Nec dicas multiplicationis causam esse verba consecrationis; nam hæc jam transierunt, &

(a) *Sess.* 13. *Can.* 3.

& totum illum effectum, quem poterant producere, produxerunt. II. Sic arguit Lugo. Ponamus duos calices seorsim consecratos, & postea simul misceamus utrumque vinum. In hoc casu juxta sententiam priorum Christus non amplius esset totus sub singulis duabus antea separatis partibus vini. Hoc autem admisso deficit veritas verborum consecrationis; nam hæc denotabant sub utraque portione esse totum Christum. Ergo &c. Solet etiam pro hac sententia adduci Tridentinum, quod, licet citato canone solum loquatur de speciebus facta separatione, alibi tamen generatim dicit: (a) *Totus & integer est Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte: totus item sub vini specie, & sub ejus partibus existit.* Per istos ergo auctores modus, quo Christus in Eucharistia existit, accedit ad definitivum. Hæc sane sententia &, ut dixi, est communior, & tutior etiam videtur.

Quæres III. an partes corporis Christi in Eucharistia retineant ordinem inter se.

℟. Affirmative; non enim pes confunditur cum capite, manus una cum alia manu &c. Quo tamen non obstante, cum Christus veluti ad punctum miraculose rédactus sit, docent communius Theologi cum S. Thoma ipsum naturaliter nec posse pati ab agentibus externis, nec agere in objecta externa, adeoque nec exercere actiones vitales & sensitivas, ut videre, audire, &c., sed ibi esse veluti mortuo modo.

Quæres IV. quid veniat nomine specierum, sub quibus Christus continetur.

℟. Antiquiores Theologos nomine specierum communius intellexisse accidentia Peripatetica quantitatis & qualitatis, quæ in Sacramento miraculose remanent sine subjecto. Recentiores vero communius accidentia Peripatetica respuentes docent

(a) *Ibid. cap.* 3.

species Eucharisticas solum esse apparentias efformatas immediate a Deo similes illis, quæ efformabantur ante consecrationem a pane: unde hi nihil in Eucharistia ponunt reale nisi Corpus Christi. Prima sententia est securior, quamvis modo nostro intelligendi videatur accomodatior secunda. Ubi tamen noto in mysteriis explicandis non sufficere ad amplectendum aliquod systema, quod hoc sit præ opposito accomodatius nostro modo intelligendi. Non placet tamen in hac controversia immorari; nam multum de lite philosophica sapit, & aliunde similes lites utpote de rebus obscurissimis, in quibus claræ non habentur Ecclesiæ definitiones facem nobis præbentes, difficillime & valde periculose definiantur.

CAPUT QUARTUM.

De Ministro & Suscipiente Eucharistiæ, ubi etiam de Communione.

Agam hic 1. de Ministro Eucharistiæ: mox ad suscipientem descendens: 2. examinabo ad quemnam pertineat illius susceptio: 3. an, & quando necessitas adsit illam suscipiendi: 4. an adsit præceptum Divinum obligans laicos ad communionem sub utraque specie: 5. agam de dispositionibus requisitis ad suscipiendam Eucharistiam: & 6. de illius effectibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Dupliciter potest spectari ministerium Eucharistiæ, quoad confectionem ipsius, & quoad distributionem. Quoad primum:

Potestatem conficiendi Eucharistiam soli habent Sacerdotes. Hoc præter dicta de Sacramentis in genere circa personam Ministri colligitur etiam ex Niceno I., ubi Diaconi, qui audebant Eucharistiam porri-

rigere ipſis Sacerdotibus, ita reprimuntur: (a) *Nec regula, nec conſuetudo tradidit, ut ab his, qui poteſtatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, Chriſti corpus accipiant*: rurſus ex Lateranenſi IV. ubi dicitur: (b) *Hoc Euchariſtiæ Sacramentum nemo poteſt conficere niſi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus ſecundum claves Eccleſiæ*: tandem ex quo ſi alii præter Sacerdotes poſſent Euchariſtiam conficere, ii maxime eſſent Diaconi. Atqui hi non poſſunt, quod oſtendit & ſupracitatus Canon Nicænus, & auctoritas Patrum; nam Epiphanius ait: (c) *Neque Diaconis Eccleſiaſtica regula concreditum eſt peragere Sacrificii myſterium, ſed miniſtrare tantum, dum perficiuntur*: & Hieronymus reprehendens quemdam Diaconum, qui audebat ſe præferre Presbyteris, *Quis patiatur*, inquit, (d) *ut ſupra eos ſe tumidus Diaconus efferat, ad quorum preces Chriſti corpus ſanguiſque conficitur?* Quo modo loquendi S. Doctor ita confectionem corporis Chriſti tribuit Presbyteris, ut deneget Diaconis. Ergo &c. Sed

Dices Concilium Arelatenſe I. ait; (e) *De Diaconibus, quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere* quo loco Concilium ſupponit conſuetum fuiſſe, ut Diaconi offerrent Sacrificium, adeoque conſecrarent, cui quidem conſuetudini licet ſe opponat, non tamen dicit Diaconos nullam conſecrandi habere poteſtatem, quod profecto, ſi ſubſiſteret, eſſet præcipua ratio, adeoque afferenda, hujus prohibitionis. Inſuper, Ancyranum I. ita ſtatuit: (f) *Diaconos, qui Idolis ſacrificarunt, poſtea autem Idololatriæ ſtrenue reluctati ſunt.. ab omni Sacerdotali miniſterio ceſſare & panem vel calicem offerendi*

(a) *Can.* 18. (b) *Cap.* Firmiter.
(c) *Hæres.* 79. *n.* 4. (d) *Epiſ.* 101. *al.* 85.
(e) *Can.* 15. (f) *Can.* 2.

rendi. Hic pariter ita prohibetur Diaconis lapsis sacrificare, adeoque consectare, ut supponatur ipsis antea fuisse concessum. Idem colligitur ex verbis S. Laurentii, qui erat solum Diaconus ad Sixtum: (a) *Quo Sacerdos Sancte sine Diacono properas? Nunquam sine ministro Sacrificium offerre consueveras ... Cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem, cui Sacramentorum consummandorum consortium, huic tui sanguinis consortium negas?* Idem tandem colligitur ex Prato Spirituali laudato a Nicæno II, ubi narratur Diaconum verba consecrationis proferentem super materiam revera consecrasse.

℟. Arelatense per illud *offerre* solum intelligere oblationem communionis, quæ antiquitus fiebat a Diaconis, & maxime respectu speciei vini. Prohibet ergo Concilium Diaconis, ne absque licentia Episcopi, vel presbyteri offerant communionem Fidelibus. Idem prohibet Ancyranum, vel etiam fortasse prohibet ne tales Diaconi ministrent ad Altare, quod indicatur per illa verba: *ab omni sacerdotali ministerio cessare & panem, vel calicem offerendi*, cum enim Diaconus ministrat ad Altare exercet ministerium sacerdotale, quatenus ministrat Sacerdoti, & offert panem & calicem, quatenus offert Sacerdoti consecraturo materiam consecrandam. Ad id, quod additur de S. Laurentio, ℟. plures contendere non esse legendum: *cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem*, *sed dispensationem*, & ita illa verba in officio S. Laurentii adoptat Ecclesia; hoc autem de S. Laurentio utpote Diacono juxta superius notata dici poterat. Sed etiam dato, quod sit legendum *consecrationem*, ut habent plura antiqua exemplaria, ℟. illud esse ita explicandum: *cui commisisti, ut uteretur divino sanguine ad consecrandos fideles*: *vel cui commisisti ut tibi in sacrificando inserviret, & quasdam cæremo-*

(a) *Apud S. Ambros. lib.* 1. *de Offic. cap.* 41.

remonias ad Sacrificium accidentaliter spectantes perageret; hujusmodi enim cæremonias aliquando venire nomine *consecrationis* patet ex hodierno Missæ canone, ubi Sacerdos particulam hostiæ consecratæ miscens vino pariter consecrato inquit: *hæc commixtio & consecratio corporis & sanguinis &c.* Quod tandem dicitur in Prato spirituali, vel repetendum est a miraculo independente a verbis consecrationis, vel potius est commentitium, cum liber iste licet conducens ad pietatem, ob quod laudatur a Nicæno, multa tamen quoad historiam incredibilia, & falsa contineat, ac nimia Auctoris credulitate scripta.

Ex dictis patet potestatem distribuendi Eucharistiam ordinarie competere Presbyteris, extraordinarie vero & per delegationem Diaconis. Narrat quidem S. Justinus (a) aliquando transmissam fuisse ad assentes Eucharistiam per Accolitos, sed hic casus fuit rarissimus. Cum autem Diaconi ministrabant Eucharistiam, consueverunt illam ministrare sub specie vini: immo videtur ipsis fuisse prohibitum illam ministrare sub specie panis præsente Presbytero juxta illud Arelatensis II. de Diacono: (b) *Corpus Christi præsente Presbytero tradere non præsumat.* Prohibitum quoque erat Diaconis ministrare Eucharistiam Infirmis juxta illud: (c) *Omnimodo Presbyter per seipsum infirmum communicet, quod si aliter fecerit gradus sui periculo subjacebit*: Nunc autem consuetudo fert, ut nullo modo Eucharistia a Diaconis ministretur, sed tantum a Presbyteris.

ARTICULUS SECUNDUS.

De suscipiente Eucharistiæ acturus noto hic non quæri, quodnam sit subjectum aptum ad suscipiendam Eucharistiam materialiter; omnes enim homi-

(a) *Apol.* 2. (b) *Cap.* 15.
(c) *Cap.* pervenit *de Cons. dis.* 2.

homines, imo etiam bruta sunt apta: sed quodnam sit subjectum aptum ad illam suscipiendam etiam formaliter & cum fructu, & cum certum sit solum hominem viatorem baptizatum ita esse capacem, quæritur quinam inter homines viatores baptizatos taliter sint capaces.

In primis itaque est certum esse capaces etiam infantes. Constat hoc ex antiqua praxi Ecclesiæ, quæ illis immediate post Baptismum Eucharistiam exhibebat. Hic tamen usus sublatus est I. quia, cum subinde daretur infantibus Eucharistia sub specie vini, ut illam possent ad stomachum facilius trajicere, periculum erat effusionis: II. quia periculum erat ne sacræ species expuerentur, vel evomerentur: III. quia visum est magis expediens, ut hoc Sacramentum tunc solum reciperetur, cum homo agnoscit, quod recipit. Multo autem magis sunt capaces Eucharistia pueri, qui ad rationis usum pervenerunt, quamvis isti non soleant ad illam admitti ante annum 10. vel 11., ut melius cognoscant hoc Sacramentum: præcipue attento, quod illud non sit summæ necessitatis & hinc ante hoc tempus non tenentur præcepto annuæ communionis. Si tamen isti sint moribundi, probabilius adest obligatio dandi illis viaticum, licet antea non cummunicaverint; in articulo enim mortis præceptum divinum sumendi Eucharistiam obligat omnes ratione utentes, ut infra probabitur, & aliunde nihil absolute impedit, ne Eucharistia pueris tunc tribuatur. Ergo &c. Quinimo ministranda est etiam Eucharistia puero moribundo, de quo dubitatur utrum ad usum rationis pervenerit, licet Diana tunc non agnoscat strictam de hoc obligationem. Adulti vero post duodecim annum, si ratione utuntur, semper per se loquendo capaces sunt.

At quid dicendum de Energumenis, de amentibus, de afficiendis extremo supplicio, & de surdis, mutis, & cæcis a nativitate?

℟. Etiam Energumenis expedite, ut exhibeatur Eucharistia, si tamen non adsit periculum irreverentiæ non enim est cur iis in casu denegetur.

Amen-

Amentes, qui tales semper fuerunt, considerandi sunt ut parvuli, & de iis loquendum ut de parvulis: qui vero lucidis gaudent intervallis, horum intervallorum tempore possunt refici Eucharistia. Tempore autem amentiæ non expediet illos reficere, præterquam in articulo mortis; tunc enim, si ante amentiam laudabiliter vixerint, vel exhibuerint signa pœnitentiæ, nec timeatur aliqua irreverentia, expediet eos Eucharistia reficere. Expedit etiam sic reficere afficiendos extremo supplicio, ut ea roborati alacrius mortem subeant, & ita fert hodierna praxis Ecclesiæ. Idem dic de iis, qui sunt tantum muti & surdi; nam hi aliquo modo saltem per nutus circa Eucharistiam instrui possunt: secus si præterea sint cæci; non enim apparet, quomodo tunc possint instrui, unde potius cum illis agendum, ut cum amentibus.

ARTICULUS TERTIUS.

Certum est infantibus nullo modo esse necessariam Eucharistiam ita definiente Tridentino (a): *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit*. Videtur quidem contradicere Augustinus, dum ait (b): *Numquid & illud ambiguum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S., non potest introire in regnum Dei? . . . Numquid etiam illud: quia nisi manducaverint homines carnem ejus, hoc est participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam. His atque hujusmodi aliis, quæ nunc prætereo testimoniis ... nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat non solum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere præter Christi corpus; cui ut in-*

(a) *Sess. 21. Can. 4.*
(b) *Lib. 3. de peccat. mer. & remiss. cap. 4.*

corporentur, *Sacramento Baptismatis imbuuntur*. Sed his solum contendit Augustinus necessarium esse, ut parvuli incorporentur corpori Christi mystico, idest Ecclesiæ.

Quo loco, cum textus illi allati sint ex Augustino: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Et *nisi manducaveritis &c.* qui æqualem videntur importare necessitatem respectu Baptismi & Eucharistiæ, notare juvat particulam *nisi* esse indifferentem ad importandam necessitatem vel medii, vel solum præcepti: primam autem importat respectu Baptismi, quia hic est ordinatus ad regenerandum (nemo porro potest salvari non regeneratus): alteram respectu Eucharistiæ, quia hæc est ordinata ad augmentum gratiæ, potest autem quis salvari etiam absque gratiæ augmento. Præterquamquod disparitas inter necessitatem Baptismi, & Eucharistiæ optime etiam colligitur ex sensu Ecclesiæ.

Adverto insuper nec Eucharistiam esse necessariam adultis in re necessitate medii, quod licet non sit expresse definitum, communiter tamen ut certum admittitur. Colligitur autem tum ex communi sensu Ecclesiæ, tum ex quo nihil sit assignabile in quo fundetur hæc necessitas.

Eucharistiam saltem in voto esse adultis necessariam necessitate medii videtur docuisse S. Thomas, qui tamen a suis varie explicatur. Probabilius hæc necessitas non videtur admittenda; nam illud solum est ita necessarium in voto, quod producit effectum ad salutem omnino necessarium. Talis non est ex dictis Eucharistia. Ergo &c.

Quo loco noto hic excludi necessitatem Eucharistiæ in voto stricte tali importante scilicet propositum respiciens modo peculiari Eucharistiam. Quod si de voto minus stricte tali agamus importante propositum suscipiendi Eucharistiam tantum inclusum in generali voluntate servandi omnia divina præcepta, adeoque etiam hoc de sumenda Eucharistia, hoc votum debebit dici adultis necessarium etiam necessitate medii. His suppositis

Adultis est necessaria necessitate præcepti divini Eucharistia etiam in re. Hoc præceptum agno-

scit

-scit Ecclesia in illo (a): *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Hoc idem præceptum ex communiori extenditur etiam ad non baptizatos, non quatenus isti, quamdiu tales sunt, debeant communionem percipere, sed quatenus debent suscipere Baptismum etiam ad finem talis perceptionis; ita ut si in fine vitæ voluntarie omittant Baptismum, duo peccata distincta committant, unum contra præceptum de Baptismo, alterum contra præceptum de Eucharistia: quomodo si quis semel in anno non confiteatur mortalia, quæ habet, ex quo non possit accedere ad Eucharistiam, duplici peccato peccat, & contra præceptum confessionis, & contra præceptum communionis, ad quam tenebatur se reddere idoneum. Ex quo patet discrimen inter Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ relate ad non baptizatos, quod ad illud nec mediate obligantur, quia nequit ante Baptismum haberi ne mediate quidem materia sufficiens pro tali Sacramento, scilicet dolor & confessio de peccatis commissis post Baptismum: & post ipsum fidelis ad illud absolute non obligatur, sed solum in hypothesi peccati commissi, ad quam ipse, ut patet, non obligatur. Ad Eucharistiam vero saltem mediate obligatur, quia licet ad illam non sit aptus ante Baptismum, posito tamen Baptismo est statim aptus, & ad illam statim obligatur. Ergo &c.

Præcepto divino baptizati obligantur ad Eucharistiam in articulo vel periculo mortis; nam hæc est instituta præcipue ut viaticum salutis. Tunc ergo præcipue obligabit præceptum divinum circa illam, cum proxime est instituendum iter ab hac vita ad æternitatem, adeoque in mortis articulo, vel periculo. Per tale autem periculum venit nedum quod provenit a causa intrinseca, ut a morbo,

P 6

(a) *Jo.* 6.

bo, sed etiam extrinseca, ut a conflictu, a periculosa navigatione &c. Quo tamen non obstante aliquæ Ecclesiæ consueverunt aliquibus in mortis articulo negare Eucharistiam, ut reis enormiorum quorundam criminum, & etiam afficiendis extremo supplicio, quia putarunt se id potuisse ea facultate, quam Tridentinum docet (a) datam Ecclesiæ, ut in Sacramentorum dispensatione salva illorum substantia statueret, quæ ipsorum venerationi expedire putaret. Apud nos tamen viget usus contrarius.

Quæres an qui sanus mane ex devotione communicavit, si vespere improviso morbo ad mortem corripiatur, teneatur ad iterum communicandum pro Viatico.

Respondent aliqui affirmative, quia prior communio non videtur facta in articulo mortis, sed probabilius alii respondent negative; nam licet ita correptus ignoraret periculum, erat tamen saltem moraliter in illo, & prior communio ob proximitatem cum periculo, moraliter in eodem potest dici facta. Ubi etiam noto pluries posse sumi etiam in eadem infirmitate Viaticum, dummodo tamen aliquot dies inter unam, & aliam sumptionem sint. Synodus nostra (b) concedit iterationem Viatici, dummodo saltem 10. dies transierint ab antecedenti sumptione.

Præcepto itidem divino obligantur baptizati ad sumendam Eucharistiam aliquando in vita. Ita communiter Doctores interpretantur præceptum Dominicum. Quæ autem dilatio communionis sit mortale respectu præcepti divini, difficile est definire.

Dixi signater *respectu præcepti divini:* nam præter hoc adest etiam præceptum Ecclesiasticum obligans fideles ad communionem semel in anno, idest

(a) *Sess.* 27. *cap.* 2.
(b) *Lib.* 2. *cap.* 3.

idest in Paschate in propria Parœcia. Hoc præceptum habetur in Lateranensi IV., ubi dicitur: (a) *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Paschate Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de consilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum, alioquin & vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens Christiana careat sepultura*. Hoc præceptum confirmavit Tridentinum (b).

Circa tale præceptum hæc sunt notanda. I. illi non satisfieri ab eo, qui communicet extra propriam Parœciam, etsi communicaret in Cathedrali. Poterit tamen in hoc dispensare ex rationabili causa Parochus, & multo magis Ordinarius. II. tempus relate ad hoc præceptum comprehendere 15. dies, nimirum a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive, nisi privilegium, aut consuetudo alicubi tempus producat. III. eum, qui intra tale tempus non satisfecit, teneri postea ad satisfaciendum, cum poterit; nam hoc tempus est assignatum ab Ecclesia non ad finiendam, sed ad determinandam obligationem: ob quam rationem tenetur etiam anticipare qui prævidet se tempore Paschali impediendum. Quod si quis ante tempus Paschale in Parœcia communicasset, non inde deobligaretur a communione tempore Paschali, cum per priorem communionem præcepto communionis paschalis non satisfecisset. Si vero tempore Paschali non posset, non teneretur postea, quia jam impletum esset præceptum quoad substantiam, & quoad circum-

---

(a) *Cap.* Omnis utriusq. sexus.
(b) *Sess.* 13. *Can.* 9.

cum legislator expresse protestatur se illum velle, ut exprimit in casu; nam Deus & Ecclesia clare præcipiunt se velle a fidelibus communionem ut nutritivam animæ. Ergo &c.

ARTICULUS QUARTUS.

At daturne præceptum divinum obligans laicos ad communionem sub utraque specie? Pro quæstionis solutione

Noto 1. hic agi de laicis; utrum enim Sacerdotibus sacrificantibus necessaria sit communio sub utraque specie, videbitur capite sequenti.

Noto 2 consuetum passim fuisse per 12. priora Ecclesiæ sæcula præbere laicis communionem sub duplici specie, sed postea cæpisse tribui sub una specie panis. Hunc usum nullo repugnante introductum 15. sæculo Petrus Dresdensis, & Jacobellus Misniensis reprobarunt docentes præcepto divino obligari, quotquot comunicant, ad communicandum sub duplici specie. His adhæsit Joannes Huss, & errorem facile hauserunt Bohemi, quibus tandem Concilium Basileense pro bono pacis concessit usum calicis cum expresso tamen pacto, ut illum non adhiberent nisi erga petentes, & prius ab eis exigita professione fidei, quod sub unaquaque specie totus Christus contineatur. Quibus conditionibus cum non starent Bohemi, facultas sublata est. Errorem postea renovavit 16. sæculo Carlostadius, & ipse Lutherus modo necessitatem utriusque speciei negavit, modo admisit protestatus (a) se admisurum, si illam Concilium negasset, negaturum si admisisset. Pro necessitate tamen utriusque speciei communius stant Lutherani. Contra hos omnes sit.

Assertio. *Nullum extat præceptum divinum obligans Laicos ad communionem sub utraque specie*. Est de fide.

Prob.

(a) *Lib. de Missa*.

Prob. ex Scripturis. Christus unicam tantum speciem sumentibus promisit fructum Sacramenti: (a) *Si quis*, inquit, *manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, & qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Ergo &c.

Prob. ex Conciliis. Constantiense, postquam dixit servandam esse consuetudinem introductam, ut laici sub unica specie communicarent, subdit: (b) *Quapropter dicere, quod hanc consuetudinem aut legem observare sit sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum, & pertinaciter asserentes oppositum præmissorum tamquam hæretici arcendi sunt, & graviter puniendi*. Idem & eodem sensu repetit Basileense (c): & novissime Tridentinum inquit: (d) *Si quis dixerit Dei præcepto vel necessitate salutis omnes & singulos Christifideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit*: & rursus: (e) *Si quis dixerit Sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis & rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit*. Ergo &c.

Prob. ex usu Ecclesiæ. Dixi antiquitus jam fuisse datam Eucharistiam sub duplici specie, at hoc non ideo factum esse, quia putatum fuerit necessarium jure divino, probatur ex quo aliquando dabatur etiam sub unica specie, quod nunquam factum fuisset, si agnitum fuisset præceptum divinum de duplici specie. Communionis autem sub unica specie exhibitæ possunt exempla peti.

I. a communione infirmorum; istis enim ita fuit data aliquando, ut fertur de Serapione, qui ex Eusebio (f) in extremis solam speciem panis acce-

---

(a) *Jo.* 6. (b) *Sess.* 13. *cap.* Cum in nonnullis.
(c) *Sess.* 30. (d) *Sess.* 21. *Can.* 1.
(e) *Can.* 2. (f) *Lib.* 6. *Hist. cap.* 44.

accepit in aqua intinctam, & ut narrat Uldaricus Cluniacensis de Monachis ejusdem Ordinis, qui in morte solam speciem panis in vino non consecrato intinctam percipiebant. Imo Græcos ita se gerere testatur ex Leone Allatio Cardinalis Bona. (a) qui narrat singulis annis feria quinta in Cœna Domini ab ipsis consecrari panem recentem consueto majorem, cujus quartam partem Sacerdos sumit, tres alias leviter divino sanguine humectat tum igne totum humorem exprimit, & ita indurat, ut per totum annum servari possit. Cum vero opus est, ad ægrotum portionem hujus panis, a quo certe totum vinum consecratum evanuit, defert, & in cocleari vino communi perfundit, ut emollescat, & ita communicat infirmum.

II. Ex communione domestica, de qua supra; hanc etiam fuisse factam sub specie vini nullibi legimus, præsertim cum Athanasius testetur, (b) nullum calicem, aut poculum mysticum alibi, quam in Ecclesia reperiri.

III. A communione Præsantificatorum, quam adhibent Græci in Quadragesima, & Latini feria 6. majoris hebdomadæ. Consueverunt scilicet Græci in Quadragesima celebrare solum Sabbatho & Dominica, & aliis diebus communicare speciebus antecedenter consecratis: hoc autem fieri in sola specie panis docent peritissimi Græcorum rituum Arcudius, & Leo Allatius. Nec dicant hæretici consuevisse tunc intingi panem consecratum in calice; nam in primis etiam hoc dato communio non posset dici facta sub utraque specie cohærenter ad ipsorum principia, juxta quæ non sufficit sanguinem sumere, sed oportet illum sumere per modum potus, quod respectu sanguinis mixti pani non verificatur. Ulterius quamvis consueverint Græci recentiores panem in vino consecrato tingere

(a) *Lib. 2. rerum Liturgicar. cap.* 18.
(b) *Apolog.* 2.

gere, antiquitus tamen non tingebant, imo Michael Cerularius Auctor Schismatis Græcorum in libro, quem conscripsit in defensionem Præsanctificatorum, expresse asserit hunc panem recipi nulla ei gutta sanguinis Christi infusa. De communione Latinorum feria 6. jam dicta nihil adjungam, cum constet ex Missali eam in sola specie panis fieri. Ergo &c.

IV. Ex facto narrato a Sozomeno (a) de quadam muliere Macædoniana, quæ tempore Chrysostomi metu mariti accessit ad communionem, & postquam sacrum panem accepit, illum occultavit suscipiens secreto de manibus ancillæ panem communem domo asportatum, ut loco Eucharistiæ sumeret, sed ori illum admovens in lapidem reperit mutatum, & postea facti pœnitens detulit ad S. Episcopum, errorem accusans. Sane si sub specie etiam vini data tunc fuisset Eucharistia, quomodo potuisset mulier sperare se fraudem completuram, præsertim cum calix non in singulorum manus traderetur, sed ori a Ministro admoveretur.

V. Ex eo, quod narrat S. Leo Magnus circa Manichæos (b) qui Romæ aliquandiu latuerunt, unde ad hos detegendos dedit S. Pontifex hoc indicium, quod ipsi a calice abstinebant, sumentes ceteroquin speciem panis (ideo autem a calice abstinebant, quia putabant vinum esse fel draconis): quo posito sic argumentor. Si Manichæi aliquando Romæ latuerant, non obstante, quod abstinerent a calice; hæc igitur abstinentia non erat Romæ inusitata; si enim omnes de calice sumpsissent, statim, qui contra egisset, fuisset notatus. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis I. Christus necessitatem utriusque speciei ostendit illis verbis: (c) *Nisi man-*

(a) *Lib.* 3. *Cap.* 5.
(b) *Serm.* 4. *de Quadrages. cap.* 5.
(c) *Jo.* 6.

manducaveritis &c. quibus ut patet, nedum adstruitur necessitas sumendi corpus & sanguinem Christi, sed etiam sumendi per modum cibi & potus. Ergo &c.

II. Christus panem Apostolis porrigens dixit: (a) *Manducate*, & porrigens calicem dixit: *Bibite ex eo omnes*: hoc autem ad omnes etiam fideles extendendum patet ex quo alibi dixerit: (b) *Quod vobis dico, omnibus dico*. Ergo &c.

III. Sumptio Eucharistiæ debet esse commemoratio mortis Christi juxta illud: (c) *Quotiescumque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis*. Talis autem commemoratio utramque speciem exigit, cum sic repræsentetur corpus separatum a sanguine. Ergo &c.

IV. Apostolus, postquam tradidit institutionem Eucharistiæ sub duplici specie, subdit: (d) *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*. Ergo &c.

Ad I. ℟. Quod ibi præcipitur non esse modum sumptionis, sed ipsam sumptionem; effectus enim Sacramenti producitur a re, quæ sumitur: non a modo sumendi. Quod si contenderent Adversarii ibi adstrui præceptum etiam circa hunc modum, responderem utrumque modum præcipi solum disjunctive, nec obstare particulam copulativam &, cum hæc non raro pro disjunctiva sumatur. ut cum dicitur: (e) *Argentum, & aurum non est mihi*: & cum dicitur: (f) *Qui maledicit patri suo & matri extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris*; in priore enim loco sensus est: *Argentum, vel aurum &c.* in altero: *Qui maledicit patri vel matri &c.* Quare autem disjunctive intelligi velimus hoc præceptum Christi constat ex probationibus. Ergo &c.

Ad

(a) *Matt.* 26. (b) *Marc.* 13.
(c) 1. *Cor.* 11. (d) 1. *Cor.* 11.
(e) *Act.* 3. (f) *Prov.* 2.

Ad II. ℟. Illud *manducate & bibite ex illo omnes* ad solos Apostolos referri, qui tunc præsentes aderant, sicut cum dicitur *& biberunt ex illo omnes*, de solis Apostolis præsentibus fit sermo. Inepte autem adducitur illud *quod vobis dico &c.* ubi Christus de Eucharistia ne verbum quidem habet, sed tantum de vigilantia spirituali. Porro notat Maldonatus & alii dixisse Christum *manducate*, nec apposuisse illud *omnes*, apposuisse autem, cum dixit *bibite*, quia cum panem porrexit, illum porrexit divisum, & singulis propriam portionem dedit, quo facto satis ostendit unicuique comedendum esse panem. At cum porrexit calicem, non distribuit singulis propriam portionem, sed idem vas priori porrexit transferendum successive ad alios. Ne ergo primi putarent se posse totum calicem bibere, dixit: *Bibite ex hoc omnes*, scilicet *ita bibite, ut omnibus supersit bibendum*. Quod si etiam non ad solos Apostolos verba illa velit quis relata, non abnuam illa esse dicta ad Apostolos, ut repræsentabant Sacerdotes sacrificantes. Ergo &c.

Ad III. ℟. Commemorationem mortis Christi posse haberi etiam per sumptionem unius speciei, cum per illam exhibeatur corpus ex vi verborum sine sanguine, vel sanguis sine corpore, quod ad commemorandam mortem sufficit. Sed etsi taliter non exhiberetur corpus, & sanguis Christi per sumptionem unius speciei, adhuc posset hæc esse commemorativa mortis Christi, cum ad habendam simplicem commemorationem sufficiat quodcumque signum ad id institutum etiam nullam habens analogiam cum re significata. Quod ut plenius intelligatur, distinguendum est inter *repræsentationem*, & simplicem *commemorationem*; hæc enim importat tantum, ut aliquid fiat revocans in mentem rem gestam, quodcumque illud tandem sit: repræsentatio vero importat, quod aliquid fiat nedum revocans in mentem rem gestam, sed illam revocans per similitudinem, quam habet cum eadem re. Sit exemplum. Velit Princeps post reportatam victoriam die anniversaria hu-

hujus victoriæ celebrare convivium in memoriam illius; cum hoc habebitur, dicetur haberi simplex victoriæ commemoratio, etsi nullam habeat mensa analogiam cum victoria. Quod si præter mensam velit, ut in scena prælii & victoriæ series oculis adstantium exhibeatur, tunc præterea dicitur haberi *repræsentatio* victoriæ ob similitudinem inter hoc spectaculum & victoriam. Per communionem autem debet haberi simplex commemoratio passionis & mortis Christi; nam repræsentatio est tantum necessaria pro sacrificio, & hæc commemoratio habetur per sumptionem etiam unius tantum speciei, cum hæc sumptio a Christo ordinata sit, ut in mentem sumentium revocet maximam illam charitatem, qua ipse corpus & sanguinem suum reparationis nostræ pretium in cruce obtulit Patri. Ergo &c.

Ad IV. ℟. Ibi solum adstrui præceptum de munditia a peccatis præmittenda communioni, sive hæc sub una, sive sub duplici specie fiat: quod ostendit versus sequens: *Qui enim manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini*.

Obj. ex summis Pontificibus. Gelasius inquit: (a) *Comperimus, quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione a calice sacri cruoris abstinent: qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione decentur obstringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur; quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi Sacrilegio non potest provenire*. Ergo &c.

℟. Gelasium jussisse perceptionem utriusque speciei, non ut satisfieret præcepto divino, sed ut detegerentur Manichæi suo tempore Romæ latentes, qui a calice abstinebant ex grandi sacrilegio, ex quo scilicet putarent, ut supra dixi, vinum esse fel Draconis, & a Diabolo creatum, & omnem illius usum esse peccaminosum.

Obje-

(a) *Cap.* Comperimus *de Cons. dist.* 2.

Objectiones ex Patribus superfluum est afferre, cum quæ ex illis objiciuntur, solum adstruant usum priorum temporum, quibus, ut dixi, Eucharistia communius sub duplici specie omnibus, qui ita petebant, ministrabatur: sed nunquam invenitur eos adstruxisse præceptum divinum de tali sumptione.

Obj. ex ratione. Per distributionem unius tantum speciei I. fit injuria Sacramento, quod debet habere rationem convivii spiritualis, quodque proinde debet imitari convivia usitata, in quibus nedum cibus apponitur, sed & potus; præcipue cum Eucharistia præfigurata sit nedum per manna, quod comederunt Hebræi, sed etiam per aquam de petra fluentem, quam biberunt.

II. Fit injuria fidelibus, qui privantur ampliore gratia, quam ex sumptione utriusque speciei perciperent. Ergo &c.

Ad I. ℞. Eucharistiam etiam sub unica specie habere sufficienter rationem convivii, cum in ipsa contineatur & cibus & potus, scilicet & corpus & sanguis Christi. Porro cum in aliis conviviis idem non habeat rationem cibi & potus, ideo apponi solet cibus divisus a potu. Manna vero & aqua de petra optime figurabant Eucharistiam sub unica specie, quia, ut dixi etiam sub unica specie adest & cibus & potus quoad substantiam, licet non quoad modum sumptionis.

Ad II. ℞. primo Theologos communius asserere eandem percipi gratiam & per sumptionem unius, & per sumptionem utriusque speciei, & id, quia idem Christus utrobique percipitur: & licet in secundo casu bis percipiatur, illæ tamen duæ perceptiones se habent per modum unius, uti se habent perceptiones plurium particularum, quæ successive sumantur. Docent propterea quod supposita æquali dispositione tam in principio, quam in fine communionis, ex sumptione secundæ speciei non crescit gratia, quæ in prima ex opere operato data est tum virtute Sacramenti sub specie, quæ prius sumpta est, tum virtute Sacramenti sub altera specie. Quod idem valere dicunt

de

de Sacerdotibus in Missa sub utraque specie communicantibus. Dixi *supposita æquali dispositione tam in principio, quam in fine communionis;* si enim in fine cresceret dispositio, probabiliter cresceret quoque gratia. Ubi obiter noto aliquos putare, quod si suscipiens a principio non esset dispositus, & postea in decursu communionis disponeretur, gratiam tunc acciperet, quod alii extendunt ad casum, quo hic disponereretur tantum peracta communione, si tamen species consecratæ remanerent in stomacho. ℞. secundo etiam dato, quod major gratia perciperetur in sumptione utriusque speciei, quam unius, potuisse Ecclesiam prohibere utriusque speciei sumptionem, quomodo potuit prohibere, ne quis pluries in die communicaret, & ne sacerdos pluries in die sacrum faceret, quamvis ex pluribus distinctis communionibus & sacrificiis major gratia resultaret, quam ex unica communione, & unico sacrificio.

Causæ autem, ob quas in desuetudinem primo venit communio sub specie vini, & postea prohibita est, fuerunt I. ut omnes essent uniformes in communicando, quod antea non accidebat, cum aliqui essent abstemii, qui proinde a specie vini abstinebant: II. ut evitaretur periculum effusionis sacri calicis: III. quia cum eidem calici omnes communicantes deberent ora admovere, aliqui magis delicati ab eo abhorrebant: IV. ut Ecclesia ostenderet se detestari errorem Hæreticorum illorum, qui dicebant adesse præceptum divinum de communione sub utraque specie, & ut ostenderet se credere, quod sub utraque specie Christus contineretur.

His tamen non obstantibus adhuc permittitur Græcis communicare sub utraque specie: & de facto testatur Platellius ita eos Romæ communicare in Ecclesia proprii ritus. Posset præterea etiam apud Latinos laicus existens in gratia sumere speciem vini, si irruentibus in Ecclesiam infidelibus periculum esset profanationis sacri calicis, & sacerdos aut deficeret, aut fugeret. Præterea refertur a Clemente VI. concessum privi-

le-

legium sumendi Eucharistiam sub specie vini Regi Galliarum vel, ut quidam dicunt, semel in anno, & cum ungitur in Regem, vel, ut dicunt alii, bis solum in vita, nimirum & cum ungitur in Regem, & in articulo mortis. Hoc idem aliis concedere posset Ecclesia, & de facto Tridentinum (a) declaravit pertinere ad prudentiam summi Pontificis hoc concedere alicui Nationi vel Regno datis justis causis. Ubi etiam noto non licere apud nos dare Viaticum moribundo sub specie vini, etsi illud sub specie panis non posset sumere. Ita colligunt Doctores ex praxi Ecclesiæ.

ARTICULUS QUINTUS.

Sed jam ad aliud, quod fuerat propositum inquirendum, deveniendo, quænam scilicet dispositiones requirantur ad rite suscipiendam Eucharistiam, dico:

I. Requiri statum gratiæ. Hoc colligitur tum ex quo Eucharistia sit Sacramentum vivorum, tum ex Tridentino hoc docente (b): quod etiam præcipit, ut qui sibi conscius est lethalis, nedum per contritionem, sed etiam per sacramentalem confessionem, si possit, curet emundari.

II. Requiritur jejunium naturale, quod scilicet excludat quamcumque sumptionem cibus & potus etsi minimi a media nocte antecedente usque ad horam communionis. Præceptum hoc jejunii repetitur a tempore Apostolorum. Non violatur hoc jejunium, nisi quod sumitur, habeat rationem cibi vel potus, & sumatur per modum cibi vel potus, & sumatur ab extrinseco. Hinc qui deglutiret ferrum, non violaret hoc jejunium, quia ferrum non habet rationem cibi vel potus: nec violaret qui respirando trajiceret ad stomachum muscam, quæ forte in illius os volaret, quia licet mu-

---

(a) *Sess. 22. in decret. sup. petit. concession. calicis.* (b) *Sess. 13. cap. 7.*

muſca habeat rationem cibi, non tamen in caſu ſumeretur per modum cibi, ſed potius per modum reſpirationis: nec pariter illud violaret, qui ad ſtomachum trajiceret ſanguinem e capite in os interius manantem, quia tunc non ſumeretur ab extrinſeco. In præcepto jejunii naturalis non datur parvitas materiæ, Ab hoc præcepto excuſantur qui communicant per modum Viatici, ſaltem ſi non poſſint ſervare jejunium: excuſatur qui non jejunus deberet ſtatim percipere Euchariſtiam, ne hæc incideret in manus illorum, qui eſſent injuriam ipſi allaturi; excuſatur ſacerdos non jejunus, qui deberet complere ſacrificium inchoatum ab alio ſacerdote morte ex. gr. vel deliquio correpto: & qui in ſumptione calicis advertit aquam fuiſſe pro vino appoſitam, tunc enim debet ſtatim apponere vinum, offerre, conſecrare, & ſumere: & qui poſt conſecrationem recordatur ſe non eſſe jejunum, & qui poſt ſumptam ablutionem invenit in patena aut corporali aliqua hoſtiæ fragmenta: excuſatur tandem ille, cui non jejuno alter comminatur mortem, niſi communicet, dummodo id non fiat in contemptum Eccleſiæ, vel præcepti. An autem ſacerdos poſſit non jejunus celebrare ad dandum Viaticum moribundo, controverſum eſt: probabilius videtur non poſſe, quomodo non poteſt pro tali caſu celebrare in fermentato, & ſine ſacris veſtibus.

III. tandem requiruntur prævii actus fidei, ſpei &c. qui vel ipſis pueris noti ſunt.

Hic autem adverto non requiri ad Euchariſtiam rite percipiendam, ut illi præmittatur ſatisfactio pro peccatis jam confeſſis; non eſt enim unde eruatur hæc obligatio, & hinc Alexander VIII. proſcripſit hanc propoſitionem: (a) *Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad communionem perci-*

(a). 23.

piendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint. Similiter nec absolute requiritur, quamvis optimus sit, amor Dei purissimus, & hoc pariter quia non est, ubi fundetur hæc necessitas, & alias paucissimi essent admittendi ad Eucharistiam; & hinc ab eodem Alexandro damnata est propositio (a): *Similiter arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers*.

ARTICULUS SEXTUS.

De effectibus tandem sacræ communionis dicendum. Hi ex Tridentino (b) sunt primo enutritio & impinguatio spiritualis animæ consistens partim in augmento gratiæ habitualis, partim in gratiis actualibus, quibus cum suavitate & gaudio excitamur ad actus virtutum; remissio venialium, quæ quidem ab hoc Sacramento provenit tum mediate, quatenus per illud conceduntur pii motus, quibus talem remissionem consequamur, tum etiam immediate & ex opere operato supposita tamen aliqua retractatione illorum: præservatio a mortalibus, quæ quidem solum mediate ab Eucharistia provenit, mediantibus scilicet gratiis actualibus a Deo vi illius concessis, ut homo facilius mortalia evitet; & remissio pœnæ temporalis peccatis debitæ, quam tamen & ipsam causat solum mediate, quatenus scilicet per Eucharistiam homo excitatur ad ferventes actus virtutum, qui ex ipsorum vi satisfactiva tollunt reatum pœnæ. Præterea Eucharistia quodammodo sanctificat corpus nostrum, præbet illi jus ad gloriosam resurrectionem in fine mundi.

Ex his patet quantæ utilitatis sit frequens communio, quæ etiam in primordiis Ecclesiæ erat quotidiana. Ne tamen quis sibi suadeat per solam fre-

(a) 23. (b) *Sess.* 13. *cap.* 2.

frequentem communionem absque sanctitate vitæ se posse salutem consequi, attendenda est damnatio facta ab Innocentio XI. propositionis: (a) *Frequens confessio & communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.*

CAPUT QUINTUM.

De Eucharistia, ut est Sacrificium.

AFferam in primis quæ spectant ad generalem notionem Sacrificii: 2. examinabo, an ratio Sacrificii in lege nova conveniat Eucharistiæ: 3. quinam sint effectus Sacrificii nostri: 4. reliqua expediam ad hoc Sacrificium spectantia.

ARTICULUS PRIMUS.

Sacrificium in genere definitur: *Oblatio externa rei sensibilis, per ejus realem vel moralem immutationem Deo facta a legitimo Ministro in protestationem supremi illius dominii præsertim in vitam, & interitum omnium rerum.* Definitionis sensus ex dicendis in decursu clare patebit.

Usus Sacrificiorum cœpit mundi exordio; etenim præter Sacrificium Abel & Cain, quod commemorat Scriptura, dubitari nequit, quin ipse Adam Deo Sacrificium obtulerit. Sacerdotes in lege naturæ erant Patresfamilias, non tamen exclusive ad aliquos homines peculiariter a Deo destinatos ad sacrificandum, ut fuit Abel, Melchisedech, Abraham &c. Offerebantur tunc vel animalia, vel fructus terræ, vel alia similia.

In statu autem legis Mosaicæ fuit peculiariter destinata tribus Levi ad officium sacerdotale, adeoque ad sacrificandum. Legis Mosaicæ sacrificia tripliciter dividi poterant, primo ratione materiæ, secundo ratione formæ & finis, tertio ratione temporis.

(a) 56.

poris. Ex parte materiæ hæc erat ratio divisionis. Vel offerebantur animalia, quæ ut plurimum occidebantur & comburebantur, & hæc dicebantur *victima*, seu *hostia*, & oblatio veluti antonomastice dicebatur *Sacrificium*: vel offerebantur fructus terræ, ut panis, thus &c., quæ quidem immutabantur vel per hoc, quod dissecarentur in frusta, vel per hoc, quod comburerentur, vel aliter, & tunc dicebatur fieri *immolatio*: vel offerebantur liquores, ut vinum, oleum &c., quæ quidem effundebantur, & tunc dicebatur haberi *libamen*. Ex parte finis & formæ ita dividebantur. Vel Sacrificium unice dirigebatur ad honorem Dei, & tunc dicebatur *Latreuticum*, & præcipue fiebat *Holocausto*, in quo tota victima ad honorem Dei comburebatur: vel dirigebatur in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, & tunc sacrificium dicebatur *Eucharisticum*, & fiebat *hostia pacifica*, cujus una pars in honorem Dei consummebatur, altera cedebat in usum sacerdotum, tertia in usum sacrificantis: qua eadem hostia pacifica fiebant sacrificia ad impetranda a Deo nova beneficia, quæque dicebantur *impetratoria*: vel tandem Sacrificium dirigebatur ad impetrandam a Deo remissionem peccatorum, & tunc dicebatur *propitiatorium*, & fiebat sacrificio quodam specialiter dicto *pro peccatis*, in quo una pars victimæ consummebatur, altera cedebat in usum Sacerdotum. Tandem ratione temporis aliud erat *juge sacrificium*, quod quotidie offerebatur, aliud sacrificium offerendum tantum in quibusdam solemnitatibus, ut erant Pascha, Sabbathum, & Neomeniæ &c.

Certum est de fide etiam in lege Evangelica haberi sacrificium. Hoc prædictum fuit, cum antiquis Sacerdotibus dictum est a Deo: (a) *Non est mihi voluntas in vobis ... & munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim solis usque ad occa-*

(a) *Malach.* I.

caſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Pariter prædictum erat (a) Antichriſtum ablaturum juge ſacrificium, ideſt ſacrificium Chriſtianorum, & Chriſtus dicitur Sacerdos (b) ob juge ſacrificium, quod offert per manus Sacerdotum. Præterquamquod, cum ſacrificium ſit actus nobiliſſimus Religionis, debuit in Religione noſtra omnium perfectiſſima inſtitui. Hoc rurſus uberius conſtabit per infra dicenda, ubi probabitur Euchariſtiam eſſe verum noſtrum ſacrificium. Nec dicas ſacrificium, utpote importans oblationem externam, & materialem, dedecere legem novam, quæ eſt lex ſpiritualis, & quæ Deum non per ſigna materialia, ſed in ſpiritu debet adorare juxta illud: (c) *Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate;* nam R'. per adorationem *in ſpiritu* intelligi adorationem, quæ non ſit mere materialis & externa, & mediantibus ſacrificiis, quæ peragantur victimis ſolum materialibus & externis, ſed ſit etiam interna, & mediante ſacrificio, quod victimam habeat ex parte ſaltem ſpiritualem, & inviſibilem: & per *veritatem* intelligi excluſionem figurarum veteris Teſtamenti. Hæc autem adoratio optime congruit ſacrificio noſtro. Ergo &c.

ARTICULUS SECUNDUS.

Videndum modo utrum ratio ſacrificii legis novæ conveniat Euchariſtiæ. Circa quod

Noto certum eſſe apud omnes Chriſtum in cruce ſe obtuliſſe in ſacrificium, ſed controvertitur, utrum præter ſacrificium crucis inſtituerit Chriſtus ſacrificium incruentum ſui corporis & ſanguinis jugiter offerendum, quod præter paucos antiquos Hæreticos communiter negant Novatores,

(a) *Daniel.* 12. (b) *Heb.* 5. (c) *Jo.* 4.

qui idcirco Missam dicunt abominabilem cæremoniam, inventum Diaboli, & similia. Sit ergo

Assertio Prima. *Christus in ultima cœna obtulit sacrificium sui corporis & sanguinis sub speciebus panis & vini*. Est de fide.

Prob. ex Scripturis. Hæ narrant Christum in ultima cœna consecrasse panem, & vinum. Quod porro tunc obtulerit suum corpus & sanguinem in sacrificium colligitur ex Apostolo (a) illum vocante Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, ubi communiter Patres docent ipsum sic fuisse vocatum, quia sub speciebus panis, & vini seipsum obtulit, non autem sic seipsum obtulit cum adhuc mortalis viveret nisi in ultima cœna. Ergo &c.

Prob. ex Tridentino dicente (b): *Dominus .... in cœna novissima .... ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur ..... Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo obtulit, ac sub earundem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit, & eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit*. Ergo &c.

Prob. ex Patribus. S. Cyprianus ait (c): *In Sacerdote Melchisedech sacrificii Dominici sacramentum præfiguratum videmus ... Nam quis magis Sacerdos Dei summi quam Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, idest panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem*. Et S. Gregorius Nissenus de Christo ait (d): *Sese oblationem ac*

(a) *Heb.* 7. (b) *Sess.* 22. *cap.* 1.
(c) *Ep.* 63. *ad Cæcil.* (d) *Orat.* 1. *de Resur.*

ac victimam offert pro nobis Sacerdos ſimul & agnus Dei .... Quando hoc accidit? Cum ſuum corpus ad comedendum, & ſanguinem ſuum ad bibendum familiaribus prebuit. Ergo &c.

Obj. ex ratione. I. Chriſtus in ultima cæna confecit Euchariſtiam ut ſacramentum, & ut teſtamentum. Ergo non ut ſacrificium; hæc enim ratio cum prioribus pugnat, cum ſacramento accipiatur aliquid a Deo, teſtamento declaretur ultima voluntas, & ſacrificio aliquid detur Deo. Præterea ſacrificium debet offerri Deo, non comedi ab hominibus, ut exhibita eſt a Chriſto comedenda Euchariſtia. Ergo &c.

II. Si Chriſtus tunc obtuliſſet ſe in ſacrificium, per iſtud antecedenter ad ſacrificium crucis conſummata fuiſſet redemptio. Hoc non, cum ſit certum redemptionem fuiſſe conſummatam per mortem. Ergo &c.

Ad I. ℟. Confectionem Euchariſtiæ fuiſſe Sacramentum, & ſacrificium ſub multiplici reſpectu, ut fuit agnus Paſchalis in veteri lege: quatenus ſcilicet oblata eſt Deo, fuit ſacrificium, quatenus ſanctificavit ſumentes, fuit Sacramentum. Fuit etiam teſtamentum ſub alio reſpectu, quatenus fuit veluti authenticum inſtrumentum divinæ voluntatis, & promiſſionis vitæ æternæ. Ad id, quod ſubditur, occurritur per diſtinctionem duplicis reſpectus Euchariſtiæ & exemplo agni Paſchalis, qui & Deo offerebatur, & comedebatur. Ergo &c.

Ad II. ℟. Negando majorem; prius enim ſacrificium, ſicuti reliqua opera Chriſti, non fuerunt a Patre acceptata niſi ut conſummata per mortem. Ergo &c.

Assertio secunda. *Chriſtus præcepit, ut jugiter ſacrificium ſui corporis & ſanguinis ſub ſpeciebus panis & vini in Eccleſia offerretur*.

Prob. ex Scripturis narrantibus Chriſtum poſt conſecrationem Apoſtolis dixiſſe (a): *Hoc facite in meam commemorationem*. Ergo &c.

(a) *Luc.* 22.

Prob. ex Tridentino. ubi præter verba supra adducta huc quoque referenda habetur (a)*: Si quis dixerit illis verbis: hoc facite in meam commemorationem Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum, anathema sit.*

Obj. ex Scripturis. I. sacrificium crucis fuit sufficiens pro salute hominum teste Apostolo dicente (b): *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Ergo post illud nullum datur sacrificium, alias hoc esset priori injuriosum.

II. unus est Sacerdos, nempe Christus; dicit enim Apostolus: (c) *Alii plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem* (Christus) *eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium*; ex quo patet per Apostolum plures quidèm in veteri Testamento fuisse Sacerdotes, sed unum tantum, qui Christus est, esse in novo, consequenter nullum potest esse sacrificium nisi oblatum a Christo. Ergo &c.

Ad I. ℟. cohærenter ad alibi dicta unum & idem esse sacrificium crucis & sacrificium altaris, quia idem est Sacerdos, eadem victima sola offerendi ratione diversa; illud enim fuit cruentum, hoc est incruentum. Pariter illud fuit certe sufficientissimum pro salute hominum, at hoc non tollit, quin possit denuo per istud repræsentari (ut de facto repræsentari testatur Augustinus inquiens: (d) *Christiani jam peracti . . . sacrificii in cruce memoriam celebrant sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi*) & repeti, ut illius applicetur vis & efficacia. Sane si valeret argumentum Adversariorum, posset quis etiam ita argumentari: sacrificium crucis est sufficiens

(a) *Sess.* 22. *Can.* 2. (b) *Heb.* 10.
(c) *Ibid.* 7. (d) *Lib.* 2. *cont. Faust. cap.* 18.

ficiens pro ſalute hominum. Ergo nec ſunt admittenda alia Sacramenta, prædicatio divini verbi, Scriptura &c. Hoc non. Ergo &c.

Ad II. ℟. Chriſtum ſolum eſſe Sacerdotem ſummum, qui propria auctoritate & principaliter offert ſacrificium, quod non tollit, quin alii ſint inferiores Sacerdotes, quorum miniſterio utatur ipſe in oblatione ſacrificii incruenti. Oppoſitio autem, quam inſtituit Apoſtolus, optime ſtat per hoc, quod in lege veteri unus Sacerdos ſuccedebat alteri deficienti, nec ille operabatur dependenter ab iſtius auctoritate, in nova autem ſemper manet ſummus Sacerdos Chriſtus, & qui ipſi ſuccedunt Sacerdotes, dependenter ab illo & ut ipſius Miniſtri operantur. Ergo &c. Recolantur etiam quæ dixi in tractatu de Incarnatione agendo de ſacerdotio Chriſti.

Si ergo & Chriſtus, cum conſecravit corpus ſuum & ſanguinem, ſe obtulit in ſacrificium, & juſſit, ut hoc ſacrificium continuaretur in Eccleſia, patet jam in Miſſa verum & proprium ſacrificium offerri, cum illud ipſum hic peragatur, quod a Chriſto ſacrificante peractum fuit, & juſſum fuit, ut perageretur. Quod etiam innuunt Concilia, ut Epheſinum, quod ait: (a) *Sanctum ac vivificum incruentumque in Eccleſiis ſacrificium peragimus: corpus, quod proponitur, ſimiliter & pretioſum ſanguinem . . . credentes . . . proprium corpus effectum & ſanguinem etiam Verbi, quod omnia vivificat:* & Tridentinum, quod ait: (b) *Si quis dixerit in Miſſa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, aut quod offerri non ſit aliud, quam Chriſtum nobis ad manducandum dari, anathema ſit*. Innuunt etiam Patres, qui Miſſam appellant *Sacrificium*, *oblationem*, *immolationem &c.* Ab illorum teſtimoniis hic excribendis

 nos

(a) *In declar. quorund. cap. declarat.* 11.
(b) *Seſſ.* 22. *cap.* 1.

nos eximunt Novatores, qui ultro fatentur Patres stare pro nobis. Ita Lutherus inquiens: (a) *Hic non moramur, si clamitent Papistæ: Ecclesia Ecclesia, Patres Patres, quia, ut dixi, hominum dicta aut facta nihil in tam magnis causis curamus; scimus enim ipsos Prophetas lapsos esse, adeoque Apostolos. Verbo Christi judicamus Ecclesiam, Apostolos, adeoque ipsos Angelos.*

Ubi tamen adverto Novatores saltem plures quamvis respuentes Missam, ut est sacrificium corporis Christi, illam admittere, prout est participatio sacramenti ejusdem corporis: admittunt scilicet cæremoniam quandam publicam ad hoc solum institutam, ut fidelibus distribuatur corpus & sanguis Christi, unde Missas privatas, in quibus solus Sacerdos communicat, ipsi execrantur: quas tamen admittendas esse præter dicta hucusque probat, quod in ipsis habeatur vera ratio sacrificii; probat usus antiquæ Ecclesiæ; nam pluries a sanctissimis viris privatim celebratum certo constat, ut constat de S. Marcello Papa ex ejus actis, de patre S. Gregorii Nazianzeni ex Oratione 29. ejusdem S. Gregorii, de S. Ambrosio ex Paulino in ejus vita, de S. Luciano ex Philostorgio &c.

Sed ad meliorem hucusque dictorum intelligentiam præstat modo examinare in quanam præcise Missæ actione consistat ratio formalis sacrificii, ex quo etiam magis magisque apparebit verum sacrificium in ultima cœna a Christo oblatum esse.

Noto ergo I. Missam esse sacram illam cæremoniam, in qua consecratur Eucharistia, quæque probabilius hoc nomen sortita est a *mittendo*, seu *dimittendo*, quia olim post Evangelium dimittebantur Cathecumeni, & modo etiam in fine

---

(a) *Lib. de Miss. privata.*

fine sacræ cæremoniæ dimittuntur fideles per illud; *Ite Missa est*. Negari tamen nequit, quin ratio hujus nominis sit valde incerta.

Noto 2. victimam, quæ in sacrificio Altaris offertur, esse solum corpus & sanguinem Christi; species enim non ingrediuntur victimam ut illius partes, licet sint veluti conditiones necessariæ, ut victima aliquo modo sensibilis reddatur.

Noto 3. varias esse actiones in Missa, de quibus dubitatum est, utrum in iis consistat ratio sacrificii. Prima est oblatio, quæ fit ad Offertorium, secunda consecratio, tertia oblatio, quæ fit post consecrationem, cum dicitur: *unde & memores* &c. quarta fractio hostiæ, quinta sumptio ejusdem facta a sacerdote.

Noto 4. non pertinere ad essentiam sacrificii primam oblationem; hæc enim non fit nomine Christi, nec ab ipso instituta est, sed ab Ecclesia, & quod tunc offertur, non est Christus, sed panis & vinum. Nec ad hanc essentiam pertinet oblatio, quæ fit post consecrationem; nam nec illa fit in persona Christi, & a sola Ecclesia est introducta, & præterea in Rubrica præscribitur, ut, si sacerdos in sumptione calicis advertat non fuisse appositum vinum, sed aquam, vinum apponat, benedicat, & consecret, & statim sumat nulla facta hujus oblationis mentione, quæ sane non omitteretur, si ad essentiam pertineret. Nec ad essentiam pertinet fractio, cum hæc non sit in usu apud omnes, nec fiat in persona Christi, & præterea Rubrica præscribat, ut, si hostia consecrata inciderit in calicem ante fractionem, non debeat frangi, quod non præciperet, si fractio esset de essentia sacrificii. Remanet ergo consecratio & communio, de quibus dubitatur in quanam illarum debeat poni formalis ratio sacrificii. Alii illam constituunt in sola communione; alii in communione simul & consecratione: alii in utraqne seorsim, ita scilicet ut alterutra sufficiat ad rationem sacrificii; alii tandem & quidem communius in sola consecratione. Cum his sit

ASSERTIO. *Formalis ratio sacrificii nostri consistit in sola consecratione.*

Prob. ex Tridentino (a), quod docens Jesum in ultima cæna se ostendisse sacerdotem, solius consecrationis meminit. Ergo &c.

Probat. ratione. I. sola consecratio fit nomine Christi; nam tunc sacerdos induens personam Christi dicit: *Hoc est Corpus meum, hic est sanguis meus*: & in aliis actionibus talem personam non induit, quod etiam dicendum de sumptione, ut constat ex verbis, quæ sacerdos profert: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat &c.* Ergo &c. II. Ita refertur communio ad sacrificium nostrum, ut in veteri lege referebatur ad sacrificia antiqua manducatio victimarum facta a sacerdotibus. Atqui hæc non erat formaliter actio sacrificativa, sed potius erat complementum extrinsecum sacrificiorum. Ergo a pari &c. III. Consecratio maxime est expressiva sacrificii cruenti crucis, cum per eam Christus ponatur in hostia veluti mortuo modo, & ponatur ex vi verborum corpus a sanguine separatum, cum e contra in aliis actionibus vel nulla, vel saltem non tam clara habeatur sacrificii cruenti repræsentatio. Ergo &c. IV. Cum sacerdotium per se primo ordinetur ad sacrificium, illa actio debet esse formaliter sacrificativa, ad quam primario ordinatur sacerdotium. Atqui hoc primario ordinatur ad consecrationem. Ergo &c.

Obj. ex sensu Ecclesiæ. I. Tridentinum distinguit actionem sacrificativam a consecratione; dicit (b) enim sacerdotibus traditam esse facultatem *consecrandi*, *offerendi*, *&* *ministrandi* corpus Christi. Ergo actio consecratoria non est sacrificativa.

II. Feria 6. majoris hebdommadæ habetur verum sacrificium: dicit enim sacerdos illa die: *Sic fiat*

(a) *Sess.* 22. *cap.* 1. (b) *Sess.* 23. *cap.* 1.

fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo : & : *Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat &c.* Atqui illa die non habetur consecratio, sed solum communio. Ergo &c.

III. Ecclesia applicat sacrificium ante illius confectionem, & tamen applicat pro defunctis post consecrationem, cum dicitur: *Memento famulorum, famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei &c.* Ergo &c.

Ad I. ℟. Ideo *consecrationem* ibi poni ut distinctam ab *oblatione*, quia ratione distinguuntur penes diversa connotata, cum *consecrare* importet tantum ponere Christum sub speciebus, *offerre* autem importet illum sic ponere in protestationem supremi dominii Dei, unde potuisset Deus hæc duo separare, si nempe non elevasset consecrationem in sacrificium, quo casu consecrans non esset sacerdos. cum hic essentialem ordinem dicat ad sacrificium.

Ad II. ℟. Illa die haberi sacrificium solum late tale, quatenus per sumptionem hostiæ antecedenti die consecratæ habetur complementum sacrificii diei antecedentis: & de facto in Missali dicitur quidem illa die haberi officium, sed non dicitur haberi Missam.

Ad III. ℟. Sacrificii applicationem proficuam defunctis ex opere operato fieri debere ante consecrationem; quæ enim preces post illam funduntur, illis solum prosunt ex opere operantis.

Obj. ex ratione. I. actio consecrativa ponit Christum sub speciebus. Non ergo eum destruit. Non ergo in illa debet constitui ratio sacrificii, sed potius in communione, quæ ipsum Christum destruit, quatenus per illam ipse manducatur. Et sane ut habeatur hostiæ destructio necessaria ad sacrificium, debet ipsa hostia præsupponi. Cum ergo hostia sacrificii nostri sit Christus non utcumque, sed ut sensibilis per species, ideo Christus ut sic sensibilis debet sacrificio præsupponi. Non autem præsupponeretur, si sacrificium in consecratione consisteret; nam hæc ita Christum non supponit, sed ponit. Ergo &c.

II.

II. In consecratione nulla habetur oblatio. Ergo &c.

Ad I. ℟. Actionem consecrativam ponere quidem Christum sub speciebus, sed veluti mortuo modo, & præterea ponere corpus ex vi verborum separatum a sanguine, quod sufficit, ut aliquo modo destructum sit. Hæc porro destructio oritur ex vi ipsius positionis Christi sub speciebus, cum ideo Christus destruatur, quia sic ponitur: & hanc destructionem sufficere ad rationem sacrificii patet; nam licet non sit physica, sed tantum moralis, hæc tamen sufficit, cum etiam in veteri lege haberentur vera sacrificia per destructionem tantum moralem, ut cum sacrificabatur vinum per hoc, quod in terram effunderetur, quo sane casu tantum moraliter destruebatur, quatenus ineptum reddebatur ad usus humanos. Nec est necessitas, ut sacrificium nostrum imitetur illa sacrificia, in quibus victima destruebatur physice, imo est hoc impossibile attento statu glorioso Christi incapacis physice destructionis.

Nec dicas hanc moralem destructionem esse insufficientem ad sacrificium constituendum, cum effectus, qui per se vi verborum produceretur, impediatur a statu præsenti Christi, qui nec potest vere poni mortuo modo, nec illius sanguis posest vere a corpore separari, unde sicuti in antiqua lege, si sacerdos manus injecisset in victimam ad illam occidendam, sed miraculose impeditum fuisset vulnus, nullum habitum fuisset sacrificium, ita in casu; nam ℟. ideo in hoc casu non futurum sacrificium, quia ex institutione horum sacrificiorum debebat vere occidi animal: at hoc non evenit in nostro, quod est incruentum. Et ratio ulterior est quia sacrificium est signum ad libitum: sicuti ergo potuisset Deus instituere pro sacrificio actionem, quæ nullo modo esset destructiva victimæ, ita potuit instituere actionem, quæ sit tantum destructiva moraliter modo indicato. Ergo &c.

Ad id, quod additur, ℟. primo sufficere ad præexistentiam hostiæ, si præexistat id, ex quo, vel

vel saltem loco cujus consurgit hostia, ut cum offerebatur sacrificium thuris, solum præsupponebatur materia, ex qua odor & suffitus, qui erat principalis hostia, exurgebat. In casu autem præsupponitur panis. Ergo &c. Sed etiam hoc misso ℟. non esse necessarium, quod victima præexistat sacrificio, quod, cum sit signum ad libitum, potuit institui a Deo, quomodocumque ipsi placuerit: & etiamsi esset necessarium, dici potest, quod victima etiam principalis præexistat præexistentia rationis, quatenus consecratio habet duos respectus, & positionis nimirum victimæ, & illius destructionis, quorum postremus est formaliter sacrificium, & tamen priorem supponit, quatenus causa destructionis victimæ est illius positio tali modo habita.

Ad II. ℟. In consecratione non haberi quidem oblationem signate, ita ut sacerdos dicat se offerre, sed haberi exercite, quatenus consecratio est oblatio, quomodo in antiquis sacrificiis ipsa destructio victimæ erat oblatio etiam ab alio quocumque signo sejuncta.

Hic tamen adverto communionem licet non pertinentem ad essentiam sacrificii, esse præceptam de jure divino, adeo ut si sacerdos, qui consecravit, non possit communicare, debeat alius sacerdos id facere, & id, quia voluit Christus, ut in sacrificio ostenderetur etiam ratio sacramenti, quæ ostenditur per hoc, quod sacerdos de illo participet, & ut Sacerdos de victima participaret, ut participabat in plerisque Sacrificiis veteris legis.

Adverto quoque ex dictis sequi in consecratione etiam unius tantum speciei sufficienter haberi veram rationem sacrificii absolute spectati, cum Christus etiam sic ponatur veluti mortuo modo. Quo tamen non obstante si spectetur sacrificium ut a Christo institutum, docent communiter Theologi essentialiter ad illud requiri consecrationem utriusque speciei, qua expressius repræsentatur mors Christi per hoc, quod vi verborum ponatur corpus seorsim a sanguine; & hoc colligunt ex institutione Christi, & ex sensu communi

muni Ecclesiæ, & ex quo sacrificium nostrum debeat imitari sacrificium Melchisedech, qui in pane & vino sacrificavit.

ARTICULUS TERTIUS.

De effectibus modo sacrificii nostri acturus noto, valorem illius esse in actu primo infinitum ex infinita dignitate Christi, qui in illo est sacerdos & victima. Habet ergo hoc sacrificium virtutem producendi effectus infinitos, quos tamen subinde in actu secundo non producit, quia nonnisi in mensura finita applicatur ex finitate dispositionis in hominibus.

Putant aliqui eundem effectum sacrificii participari ab eo, pro quo sacrificium applicatur, sive pro ipso solo, sive pro ipso aliisque simul applicetur. Nec obstat, inquiunt, quod valor sacrificii applicetur in mensura finita; nam etiam Sol ex. gr. illuminat & calefacit finito modo, & tamen eodem modo te calefacit & illuminat, si solus ipsi objiciaris, ac si alii tecum objiciantur. At jure contradicunt alii præcipue ob sensum communem fidelium, qui abundantius aliquem de sacrificii fructu participare putant, si pro ipso tantum offeratur, quam si pro pluribus (Patet hic sermonem esse de iis, pro quibus applicatur sacrificium; nam si loquamur de iis, qui præcise ipsi assistunt, certum est ex illorum multiplicatione non minui fructum respectu singulorum) Quod dictum est de casu, quo applicetur sacrificium vel pro uno, vel pro pluribus, proportionaliter dicatur de casu, quo applicetur vel ad unum, vel ad plures effectus obtinendos, ex gr. ad obtinendum vel unum, vel plura beneficia.

His generaliter visis circa effectus sacrificii, ut ad singulos descendam, noto idem sacrificium esse *latreuticum*, quatenus Deo offertur in protestationem supremi illius dominii: esse *eucharisticum*, quatenus offertur in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis: esse *propitiatorium*, quatenus offertur in remissionem peccatorum: & esse *impetra-*

tra-

tratorium, quatenus offertur ad impetranda a Deo nova beneficia. De ratione sacrificii, ut est *latreuticum* & *eucharisticum*, nihil est specialiter dicendum: speciatim vero dicendum de duabus aliis rationibus, & quidem considerandus est in ordine ad has rationes valor sacrificii ex opere operato; nam de illius valore ex opere operantis idem valet, ac de aliis virtutum actibus a justo elicitis.

Sacrificium itaque nostrum, quatenus propitiatorium est, virtutem habet remittendi peccata & pœnas peccatorum. Mortalia ex communi non remittit immediate, sed tantum mediate, quatenus scilicet Deus intuitu sacrificii placatur in peccatorem relate ad non negandam gratiam pœnitentiæ, qua postea immediate deleantur peccata. Hoc colligitur ex Tridentino dicente (a): *Hujus oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens crimina & peccata etiam ingentia dimittit*. Probabile est etiam gratiam hanc pœnitentiæ semper & infallibiliter concedi vi hujus sacrificii, quamvis non semper ex culpa nostra effectum sortiatur: sicuti probabile est semper eodem modo conferri gratias præservativas a peccatis futuris. Quoad venialia communior est sententia ea non remitti a sacrificio nisi mediate, ut dictum est de mortalibus, cum Tridentinum loco nuper adducto, quamvis expressam mentionem faciens tantum de mortalibus, ita tamen loquatur, ut videatur supponere idem valere de venialibus: dicit enim: *crimina & peccata etiam ingentia dimittit*, quasi diceret: *nedum dimittit* mediante pœnitentia *peccata levia*, *sed etiam gravia*. Aliqui tamen advertentes, quod supra idem Tridentinum (b) remissionem venialium simpliciter tribuerat sacrificio

(a) *Sess.* 22. *cap.* 2.
(b) *Sess.* 22. *cap.* 1.

cio dicens illud offerri *in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum*, idest venialium, volunt hæc remitti a sacrificio immediate, supposita tamen aliqua retractatione peccatoris. Res sane est incerta. Certius est & communiter admissum, quod sacrificium immediate remittat pænas debitas peccatis quoad culpam dimissis; nam ex eodem Tridentino (a) eas remittit Animabus Purgatorii, & certe immediate: ergo etiam sic viventibus. Has tamen pœnas non semper dimittit totaliter, sed plus minusve pro majore vel minore devotione subjecti, pro quo offertur.

Idem sacrificium, quatenus est impetratorium, habet vim impetrandi quæcumque bona spiritualia, vel etiam temporalia, si ad salutem conducant, ut colligitur ex Tridentino docente offerri sacrificium nedum pro peccatis, pœnis, & satisfactionibus, sed etiam pro aliis necessitatibus: & hos effectus sacrificium causat infallibiliter, dummodo quod petitur, cum debitis conditionibus petatur. Ubi tamen noto ex communi Sacrificium quia tale non esse impetratorium augmenti gratiæ immediate, sed solum mediate, mediantibus scilicet gratiis actualibus, quas impetrat, ut homo juvetur ad eliciendа opera salutaria, quibus crescat gratia habitualis: si enim hoc sacrificium immediate impetraret, non esset, cur non posset applicari parvulis baptizatis, ut crescerent in gratia, quod tamen est contra usum & sensum fidelium. Adde, quod non est, ubi fundetur vis hæc impetrativa immediata. Dixi sacrificium *qua tale &c.*; de sacrificio enim, ut Sacramentum est, nullum est dubium, quin immediate conferat augmentum gratiæ.

Ex dictis patet pro quibus possit hoc Sacrificium offerri; pro iis scilicet offerri potest, qui de omni-

---

(a) *Sess.* 22. *cap.* 2. *&* *Sess.* 25. *decret. de Purgat.*

omnibus, vel de aliquibus ex enumeratis effectibus possunt participare. Et hinc potest offerri primo pro viventibus baptizatis etiam peccatoribus, dummodo non excommunicatis (pro his enim saltem si non sint tolerati, non potest Sacerdos ut persona publica offerre sacrificium ex Ecclesiæ prohibitione); secundo pro Cathecumenis & infidelibus, saltem quatenus est impetratorium; tertio pro animabus Purgatorii, quatenus est propitiatorium, & quidem probabile est etiam iis prodesse infallibiliter, cum offerens principalis sit Christus, cui illæ subditæ sunt, secus ac contingat ex dicendis infra relate ad Indulgentias, quæ iisdem animabus non prosunt infallibiliter, cum ipsæ non sint amplius subditæ Papæ concedenti Indulgentias: quarto pro animabus beatis, quatenus est eucharisticum, ut scilicet gratias Deo agamus pro beneficiis, quæ a Deo acceperunt.

Cum autem dicitur pro aliquo offerri sacrificium, id intelligitur hoc sensu, quod Sacerdos illi applicet fructum ejusdem specialem. Quod ut intelligatur, noto effectus, quos supra dixi a sacrificio produci, in tres veluti partes dividi, quarum prima dicitur fructus *generalis*, secunda fructus *specialis*, sive *medius*, tertia fructus *specialissimus*. Primus est, qui ex Christi institutione in totam Ecclesiam derivatur: secundus qui derivatur in illum, pro quo Sacerdos applicat sacrificium; tertius qui est proprius Sacerdotis sacrificantis. Ex his patet fructum specialem illum esse, quem Sacerdos potest pro libito applicare, adeoque illum, pro quo offertur sacrificium, esse illum, cui talis fructus applicatur.

ARTICULUS QUARTUS.

Reliqua modo expediam ad hoc sacrificium spectantia.

Sacerdos ergo Missam celebraturus ex supradictis debet esse in gratia, & si antea fuerit sibi conscius lethalis, debet confiteri, si possit. Hoc au-

autem est peculiare Sacerdoti sacrificanti, ut si habeat lethale, nec adsit commoditas confessionis, & aliunde ipse sit in necessitate celebrandi cum sola contritione, & ita celebret, debeat postea *quamprimum* confiteri, ut habet Tridentinum (a). Ubi noto locutionem Tridentini non importare consilium, sed præceptum; damnata est enim ab Alexandro VII. propositio; (b) *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum*. Noto etiam particulam *quamprimum* non importare, ut quidam docuerunt, primam opportunitatem confitendi, quandocumque hæc offeratur, sed tempus parum distans a Missa celebrata; damnata est enim ab eodem Alexandro propositio: (c) *Illa particula* quamprimum *intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur*. Communius Theologi illam particulam explicant intra triduum. Dixi mandatum confitendi quamprimum in allatis circumstantiis esse peculiare Sacerdoti sacrificanti: si enim laicus in dictis circumstantiis communicet, probabiliter non tenetur ad confitendum quamprimum, quia lex Tridentini de solis Sacerdotibus sacrificantibus loquitur.

Sacerdos tenetur aliquando intra annum celebrare, unde non videtur excusari a mortali, qui non legitime impeditus nunquam celebraret. Docet autem S. Thomas teneri in festis solemnioribus. Semel tantum in die potest celebrare excepto die Nativitatis Domini, & excepto casu, quo Parochus duas haberet Parœcias ita disparatas, ut populus non posset in unum convenire, nec alius adesset Sacerdos; tunc enim diebus festis posset bis celebrare de licentia Episcopi, dummodo tamen

(a) *Sess.* 13. *cap.* 7.
(b) 38. (c) 39.

men in prima Missa non sumeret purificationem ad servandum jejunium. Qui autem ex Beneficio aut Cappellania tenetur quotidie celebrare, poterit probabilius quater vel quinquies in anno pro se, vel pro suis proximioribus (absque eo tamen, quod ab illis accipiat stipendium) celebrare; ita enim præsumendum est de voluntate institutoris Beneficii vel Cappellaniæ : non autem poterit celebrare pro aliis.

Potest Sacerdos accipere pro Missa stipendium, seu eleemosynam vel lege, vel consuetudine taxatam, non tamen per modum pretii, vel pro labore intrinseco ipsi sacrificio: hoc enim esset simoniacum, sed per modum sustentationis (qui enim ministrat Altari debet vivere de Altari) & etiam pro labore extrinseco, puta pro itinere extraordinario facto ad celebrandum &c.

Circa hoc stipendium adverto I. quod, qui acceptat stipendium minus justo, adhuc tenetur celebrare pro eo, qui tale stipendium dedit, ut constat ex Bulla 43. Urbani VIII. (a) II. aliquos olim contendisse non esse contra justitiam stipendium pro pluribus sacrificiis accipere, & unum tantum sacrificium offerre, & hoc ob rationem supra attactam, quia scilicet ex multiplicitate eorum, pro quibus offertur, non minuitur singulis fructus sacrificii: ex quo etiam inferebant id non esse contra fidelitatem, etsi Sacerdos promisisset se pro nullo alio oblaturum, cum hujus promissionis sit sensus, quod exhibens stipendium non sit fraudandus fructu sibi debito sacrificii, quod utique in casu ex adducta ratione verificatur. Hæc autem opinio sustineri non potest, tum quia Urbanus VIII. in dicta Bulla docet talem Sacerdotem peccare graviter, & teneri ad restitutionem, quod indicat ipsum peccare contra justisiam: tum quia, cum fundamentum supra attactum, cui talis

(a) *Tom. 4. Bullar.*

lis opinio nititur, sit tantum probabile, imo ex dictis probabilius falsum, non potest fundare nisi solutionem probabilem, quæ insufficiens est ad satisfaciendum debito certo contracto accipiendo stipendium. Ex quo etiam patet Sacerdotem in casu peccare contra fidelitatem. Et hinc merito damnata est ab Alexandro VII. hæc propositio: (a) *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

III. non posse Sacerdotem accipere duplex stipendium applicando uni fructum medium, alteri specialissimum; non est enim certum, quod fructus hic possit a Sacerdote alienari, adeoque quod satisfiat menti dantis eleemosynam, qui cæteroquin habet jus certum, ut sibi satisfiat; & prætetea hoc ab eodem Urbano prohibitum est, unde merito damnata est ab Alexandro VII. propositio; (b) *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.* Si quis tamen acceperit unum stipendium pro sola præsentia, potest accipere aliud pro applicatione. IV. non posse, qui stipendium consueto pinguius accepit, celebrare Missam per alium dando illi stipendium consuetum, & retinendo sibi alteram partem; hoc enim & continet detestabile mercimonium, & est contra mentem dantis eleemosynam, qui censetur velle, ut tota sit illius, qui pro ipso celebrat, & expresse prohibitum est ab Urbano VIII. (c); unde merito damnata ab Alexandro VII. hæc propositio: (d) *Post*

De-

(a) 10. (b) 8.
(c) *Bulla allata.*
(d) 9.

Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta. Quod etiam ex Sacra Congregatione (a) extenſum eſt ad caſum, quo ſecundus Sacerdos eſſet contentus minoris ſtipendii. Ubi tamen excipiendi ſunt iſti caſus: primo ſi ſtipendium pinguius alicui detur non intuitu Miſſæ, ſed intuitu perſonæ, puta quia eſt amicus, vel pauper: ſecundo ſi quis teneatur Miſſam celebrare ratione Beneficii; niſi enim in fundatione aliter cautum ſit, poteſt Beneficiarius pingues redditus ſibi retinere, & oneri Miſſarum ſatisfacere per eleemoſynam conſuetam, & hoc quia iſti redditus cenſentur conceſſi etiam ob alia onera.

Noto etiam ex pluribus decretis Sacræ Congregationis Concilii (b) teneri Parochum applicare ſacrificium pro populo omnibus diebus feſtis, etſi non habeat congruam, ſolumque permitti, ut, ſi detur ipſi eleemoſyna pro ſacro applicando die feſto, poſſit illud applicare, ſupplendo tamen alia die, & celebrando in Paræcia die feſto pro commoditate populi. Non tenetur autem hic tria ſacra in die Nativitatis Domini applicare pro populo; ſufficit enim ſi applicet unum, quamvis probabilius teneatur tria ſacra celebrare ad ſatisfaciendum devotioni populi.

Tempus celebrationis Miſſæ eſt a tertia parte horæ ante auroram uſque ad tertiam partem horæ poſt meridiem, nec prius, nec poſt niſi ex ſpeciali privilegio, vel ratione ſolemnitatis. Locus ſunt Templa, & Oratoria publica, vel privata: extra hæc loca noniſi ex privilegio celebrari poteſt. In Oratoriis privatis regulariter nonniſi una Miſſa celebrari poteſt, & quidem ſolum præſente aliquo illorum, in quorum gratiam conceſſa eſt licentia celebrandi.

Sa-

(a) 23. *Auguſ.* 1664.
(b) *Apud Lambertin. Notif.* 10. *Volu.* 1.

Sacerdos tenetur celebrare cum sacris indumentis benedictis, & cum calice benedicto; debet adhibere lumina ex cera; nam ex sebo vel oleo sunt prohibita. In casu gravis necessitatis defectus alicujus ex istis excusabit a peccato, numquam tamen defectus omnium, nec majoris partis; nam sic non salvaretur debita decentia. Debet etiam inservire Minister aliquis, & in casu necessitatis potius nullus, quam fœmina. Tenetur Sacerdos se conformare ritui Ecclesiæ in qua celebrat, & observare Rubricas Missalis: non potest interrumpere Missam, nisi vel ex causa concionis, vel ad ministrandum Baptismum, aut Pœnitentiam, aut Viaticum, aut Extremam Unctionem moribundo. Si tempore Missæ Ecclesia polluatur, debet a Missa cessare, si non consecravit, secus statim sumere, & in Sacristia reliqua perficere; quod idem dicendum, si Ecclesiam ingrediatur excommunicatus vitandus, nec possit ejici, vel si immineat incursio Hæreticorum, vel Infidelium in Ecclesiam. Debet pariter interrumpere Missam, si recordetur se non esse jejunum, aut in gratia, & possit ab Altari recedere sine scandalo, nec adhuc consecraverit: secus debet Missam prosequi eliciendo tamen pro secundo casu actum contritionis.

Finis Partis primæ Tomi Quarti.

IN-

INDEX

Eorum, quæ in hac prima Parte quarti Tomi continentur.

TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE Pag. 3.
DISSERTATIO I. *Explicatur natura Sacramenti in genere, & agitur de Sacramentis veteris Testamenti.* ibid.
CAP. I. *Explicatur natura Sacramenti in genere.* ibid.
ART. I. *Explicatur quid sit Sacramentum juxta doctrinam Catholicam.* 4.
ART. II *Quid sit Sacramentum novæ legis juxta doctrinam Novatorum.* 10.
CAP. II. *De Sacramentis veteris legis.* 14.
ART. I. *De Sacramentis status innocentiæ.* ibid.
ART. II. *De Sacramentis status legis naturæ.* 15.
ART. III. *De Sacramentis status legis scriptæ.* 18.
DISSERTATIO II. *De iis, quæ intrinsece pertinent ad Sacramenta novæ legis.* 22.
CAP. I. *De partibus, quibus perficiuntur Sacramenta novæ legis.* 23.
ART. I *Explicatur natura harum partium.* ib.
ART. II. *Examinatur quomodo hæ determinatæ sint a Christo.* 26.
ART. III. *Quænam debeat esse forma Sacramentorum.* 31.
ART. IV. *Reliqua expediuntur ad has partes spectantia.* 41.

CAP. II. *De numero Sacramentorum novæ legis, & eorum ordine inter sese.* 45
Art. I. *De numero Sacramentorum novæ legis.* ibid.
Art. II. *De eorundem ordine inter sese.* 53.
DISSERTATIO III. *De iis, quæ extrinsece spectant ad Sacramenta novæ legis.* 56.
CAP. I. *De Auctore Sacramentorum novæ legis.* ib.
Art. I. *Examinatur quinam sit hic Auctor.* ib.
Art. II. *An sit de fide Christum esse institutorem immediatum omnium Sacramentorum.* 61.
CAP. II. *De ministro Sacramentorum novæ legis.* 63.
Art. I. *Examinatur quis sit minister horum Sacramentorum.* ibid.
Art. II. *Utrum in illo ad valorem Sacramenti requiratur probitas.* 68.
Art. III. *Utrum requiratur fides.* 83.
Art. IV. *Utrum requiratur intentio.* 90.
Art. V. *Quænam intentio requiratur.* 100.
Art. VI. *Agitur de requisitis in ministro ad licitam Sacramentorum administrationem.* 134.
Art. VII. *Aliquot quæsita proponuntur & resolvuntur maxime ad dictorum intelligentiam, & praxim inservientia.* 136.
CAP. III. *De suscipiente Sacramenta novæ legis.* 139.
Art. I. *Examinatur quis sit hic suscipiens.* ib.
Art. II. *Quid requiratur, ut valide suscipiat Sacramentum.* ibid.
Art. III. *Quid ut suscipiat licite.* 148.
CAP. IV. *De effectibus Sacramentorum novæ legis.* 151.
Art. I. *Probatur gratiam sanctificantem conferri ab his Sacramentis.* ibid.
Art. II. *Examinatur, utrum hæc æqualiter conferatur ab omnibus.* 158.
Art. III. *An Sacramenta vivorum possint per accidens causare primam gratiam, & an*

se-

ſecundam Sacramenta mortuorum. 159.
Art. IV. *An Sacramenta ficte ſuſcepta ſublato obice reviviſcant ad productionem gratiæ.* 162.
Art. V. *Utrum Sacramenta cauſent gratiam phyſice, an moraliter.* 165.
Art. VI. *De gratia ſacramentali.* 173.
Art. VII. *De charactere.* 175.

Tractatus de Sacramentis in specie. 183.

DISSERTATIO I. *De Sacramento Baptiſmi.* ibid.
CAP. I. *Quid & quotuplex ſit Baptiſmus.* ibid.
Art. I. *De nomine Baptiſmi, & de Baptiſmo Joannis.* 184.
Art. II. *Afferuntur diviſiones Baptiſmi, definitio Baptiſmi fluminis, & illius denominationis, ac oſtenditur illum eſſe verum Sacramentum.* 186.
Art. III. *Agitur de illius inſtitutione.* 188.
CAP. II. *De materia & forma Baptiſmi fluminis.* 192.
Art. I. *Examinantur quæ ſpectant ad materiam remotam.* ibid.
Art. II. *Quæ ſpectant ad materiam proximam.* 195.
Art. III. *Quæ ſpectant ad formam.* 199.
CAP. III. *De miniſtro Baptiſmi fluminis, & de Patrino.* 213.
Art. I. *De miniſtro.* ibid.
Art. II. *De Patrino.* 217.
CAP. IV. *De ſubjecto Baptiſmi fluminis.* 218.
Art. I. *Examinantur quæ ſpectant ad infantes jam in lucem editos.* ibid.
Art. II. *Quæ ſpectant ad infantes adhuc in uteris matrum degentes.* 228.
Art. III. *Quæ ſpectant ad adultos & monſtra.* 230.
CAP. V. *De effectibus Baptiſmi fluminis, ejuſque neceſſitate.* 233.
Art. I. *De effectibus hujus Baptiſmi.* ibid.

Art. I. *Afferuntur errores, qui fuerunt circa hanc præsentiam.* ibid.
Art. II. *Probatur corpus & sanguinem Christi esse realiter præsentia in Eucharistia:* 313.
Art. III. *Probatur in Eucharistia non esse substantiam panis & vini.* 329.
Art. IV *Probatur in Eucharistia esse corpus & sanguinem Christi permanenter.* 334.
Art. V. *Aliquot quæsita afferuntur ad meliorem dictorum intelligentiam spectantia* 330
CAP. IV. *De ministro ac suscipiente Eucharistiam, ubi etiam de Communione.* 340.
Art. I. *De ministro Eucharistiæ.* ibid.
Art. II. *Ad quemnam pertineat illius susceptio.* 343.
Art. III. *An & quando adsit necessitas illam suscipiendi.* 345.
Art. IV. *An adsit præceptum divinum obligans laicos ad Communionem sub utraque specie.* 351.
Art. V. *De dispositionibus requisitis ad rite suscipiendam Eucharistiam.* 360.
Art. VI. *De illius effectibus.* 362.
CAP. V. *De Eucharistia, ut est Sacrificium.* 363.
Art. I. *Afferuntur quæ spectant ad generalem notionem sacrificii.* ibid.
Art. II. *Examinatur, an ratio sacrificii in lege nova conveniat Eucharistiæ.* 365.
Art. III. *Quinam sint effectus sacrificii nostri.* 376.
Art. IV. *Reliqua expediuntur ad hoc sacrificium spectantia.* 379.

FINIS.

MAG 2008893

Digitized by Google

[illegible] by Google